1

UNIVERSA

MORALIS THEOLOGIA

AD USUM CONFESSARIORUM

AUCTORE P. CONSTANTINO RONCAGLIA

CONGREGATIONIS MATRIS DEI

CUM ANIMADVERSIONIBUS ET ADDITIONIBUS

P. JOSEPHI ALEXANDRI BAMBACARI

EJUSDEM CONGREGATIONIS

EDITIO ABSOLUTISSIMA

A P. OPTATO BELLOTTI

Ord. min. reg. obs. S. P. Francisci sacrae theologiae Lectore Jubilato, in patrio regali lucano lyceo publico theologiae moralis professore medullitus inspecta, et permultis aliis notis, et additionibus illustrata, locupletata.



TOMUS VII.



LUCAE

EX OFFICINA JOSEPHI JUSTI

MDCCCXXXIV

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS

DE OCTAVO

DECALOGI PRÆCEPTO

Hoc octavum negativum praeceptum sequentibus verbis traditum fuit Exod. 20. 16. et Deuter. 5. 20. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Postquam igitur in superioribus secundae tabulae praeceptis Deus prohibuit ea, quibus injuria nostris proximis facto irrogatur, in isto ne verbis offendatur, pariter prohibuit. Duo igitur praecipue hoc vetantur praecepto. Primum, ne in judicio falsum testimonium dicatur adversus proximum. Secundum, ne extra judicium mendacium proferatur.

Ut autem observat concilii Tridentini Catechismus, sicut testium mendacia, et perjuria hoc praecepto prohibentur, ita et accusatorum, reorum, tabellionum, procuratorum, advocatorum, et judicum; cum hi omnes intervenire soleant in judicio constituendo. Hinc multi theologi de hoc praecepto disserentes, disserunt pariter de omnibus iis, quae necessaria sunt, ut praefati munus suum rite exerceant. De his ergo et nos agamus.

QUAESTIO I.

DE FALSO TESTIMONIO ET MENDACIO

CAPUT I.

De falso testimonio et falso teste; et quando testis fateri teneatur veritatem

Q. I. Quid sit falsum testimonium; et quale peccatum.

R. I. Non est hic sermo de testimonio falso materialiter tali; de teste scilicet, qui putat inculpabiliter dicere verita-

tem, sed revera falsa profert. Sermo praecipue est de testimonio falso formaliter tali, quando scilicet testis de facto cognoscit testificari falsum, vel saltem putat testificari.

R. II. Testimonium falsum semper est cum peccato mortali, quia nemo admittitur in judicio ad ferendum testimonium, nisi praemisso juramento de veritate dicenda; ac proinde cum falsus testis sit semper perjurus, semper etiam graviter peccat: d. Thom. 2. 2. *quaest.* 70. *art.* 4. Caeterum ipsa falsitas, quam profert, posset non esse peccatum mortale, ut dicemus de mendacio.

Q. II. An quid teneatur, qui in judicio falsum testatus est.

R. I. Si testis solum materialiter falsum testatus est, dum scilicet saltem sine gravi culpa putavit dicere verum, tunc cum gravi suo incommodo non tenetur retractare, quod testatus est. Ratio est, quia ipsius actio non fuit formaliter saltem graviter injuriosa, adeoque ex ea non tenetur grave incommodum subire. Si vero tale incommodum non adsit, et possit prodesse, retractare debet testimonium prolatum; nam licet mutatio testimonii non admittatur, nisi fiat statim:* *cap. Praeterea de test. cogend. et cap. Praeterea de test. et attest.* Barbosa et ab eo citati *in d. cap. de test. cog.* Lugo *de just. disp.* 39. *n.* 24. Sanch. *lib.* 6. *consil. cap.* 5. *dub.* 21. Navarr. *sum. cap.* 25. *n.* 40. Cajet. 2. 2. *q.* 70. *art.* 4.* nihilominus talis mutatio potest debilitare testimonium falsum. Sot. *de just. et jur. lib.* 5. *quaest.* 7. *art.* 4. Quod si incommodum in retractando testimonium non deberet esse grave, et aliunde ex tali testimonio proximus grave pateretur incommodum, vel in vita, vel in fama, vel in bonis fortunae, tunc deberet aliquod incommodum subire propter liberandum proximum a tali damno, ita exigente charitate, ut diximus in ejus tractatu.

R. II. Si testis fuit formaliter falsus, et simul causa efficax damni, tunc etiam cum suo gravi detrimento in fama et bonis fortunae tenetur damnum illatum reparare; gravi etenim injuriae proximo factae, optime correspondet obligatio etiam cum gravi damno illam reparandi. Dixi, si fuit causa efficax damni, si scilicet suum testimonium, cum non praecessissent testes sufficientes, causa fuit illum condemnandi. Idem dicitur de eo, qui persuasit aliquibus falsum testificari; debet enim cum gravi damno detegere suam machinationem, si ipsi testes nolint se retractare. Petr. Navarr. *tom.* 1. *de restit. lib.* 2. *capit.* 3. *num.* 232. Fagund. *in decal. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 42. *num.* 4. Less. *lib.* 2. *de ju-*

stit. cap. 30. *dub.* 7. *num.* 54. Oportet tamen semper adesse spem, quod retractatio sit profutura, alias enim superflue fieret.

Q. III. Quando testis teneatur fateri veritatem.

R. I. Duo prius sunt supponenda. Primo quod testis juridice interrogatus tenetur fateri veritatem; judex etenim constitutus a republica, vel principe est illi superior, adeoque legitime praecipit manifestationem criminis: stante autem quod legitimum sit praeceptum, adest obligatio obediendi: d. Thom. 2. 2. *quaest.* 70. *art.* 1. Azor. *part.* 3. *institut. lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 1. Praeterea si non adesset obligatio manifestandi veritatem judici legitime interroganti, intercluderetur omnino via ad delicta punienda, quod non posset esse sine discrimine communis boni. Secundo supponendum est duplici via judices procedere, per accusationem nempe, et inquisitionem. Per inquisitionem autem tripliciter procedere potest. Primo per inquisitionem generalem; ut quando nil sciens, vel de persona criminosa, vel de aliquo delicto, inquirit generaliter, an in aliquo loco sint personae criminosae; vel an commissum fuerit aliquod delictum. Secundo per inquisitionem mixtam; ut quando judex scit commissum fuisse aliquod delictum, at ignoratur persona, quae illud commisit, unde nescit de qua particulari persona debeat inquirere; vel quando scit in generali aliquam personam esse criminosam, sed nescit in particulari quod delictum commiserit. Tertio per inquisitionem specialem; ut quando interrogat in particulari de delicto et de persona; ut si interroget, an Titius commiserit homicidium: sed de his iterum infra. His positis

R. II. Quando praecessit accusatio, seu denuntiatio, testis etsi unicus tenetur fateri veritatem. Ratio est, quia lex vult, ut testis in judicio vocatus debeat reum manifestare; nam ita exposcit bonum publicum: neque enim multoties accusarentur rei, si unicus testis in judicio vocatus occultare posset veritatem. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 10. *quaest.* 3. *punct.* 3. *n.* 5. Ulterius eo ipso quod praecesserit accusatio, vel denuntiatio, jam reus infamatus est de delicto, qua infamia stante; non amplius jus habet, ut ejus fama conservetur; bene vero respublica acquirit jus, ut ipsius punitione coerceantur malefactores, et bono publico consulatur: d. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. * Lug. *l. c. n.* 9. Sanch. *l. c. cap.* 3. *dub.* 36. Less. *lib.* 1. *cap.* 30. *dub.* 6. *

R. III. Si judex procedat per inquisitionem generalem, seu mixtam, testis singularis, hoc est, qui solum novit deli-

ctum, non tenetur, nec debet revelare delinquentem. Ratio est, quia si dum non constet judici ullo pacto nec de delinquente, nec de delicto, nihilominus interrogat, an persona particularis, Titius e. g. commiserit delictum, non legitime interrogat, unde testis singularis non tenetur veritatem manifestare. Quod autem judex non legitime interroget, probatur, quia unusquisque jus habet ad suam famam, ni illud per infamiam amiserit, quod non intervenit, quando non adest nisi testis singularis de ipsius delicto. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 29. *d.* 13. *a n.* 109. et *n.* 118. Sanch. *in cons. lib.* 6. *cap.* 3. *d.* 36. *n.* 5. *et dub.* 37.

Neque dicas expedire bono publico hujusmodi delinquentes manifestari, et ulterius futuras frustraneas praefatas inquisitiones, si non esset obligatio reos manifestandi. Contra etenim est magis expedire bono publico, ut servetur fama civium, quoties ad illam jus non amiserint. Deinde tales inquisitiones frustraneae possunt non esse; nam deserviunt ad scandalum removendum, dum vident cives fieri diligentiam ad inquirendos delinquentes, maxime si constet de aliquo delicto. Praeterea inquirendo de tempore, de modo, de persona occisa, vel offensa, vel vulnerata, fortasse judex habebit indicia sufficientia, ut postea procedere possit ad inquisitionem specialem. Caeterum si aliquem interroget de persona particulari, intelligit interrogare, quando interrogatus non sit unicus testis; nam si alii ab ipso sciant delictum, jam datur infamia, ac proinde daretur obligatio testificandi veritatem. Sanch. *cons. lib.* 6. *cap.* 3. *d.* 36. *n.* 8. *et cap.* 5. *d.* 4. *n.* 3.

Excipienda tamen sunt a superiori doctrina crimina laesae majestatis, haeresis, proditionis civitatis etc. nam semper cum agitur de bono publico, vel temporali, vel spirituali, potius illi consulendum est, quam vitae, vel bonis civis particularis. Sanchez *loc. cit. d.* 36. *et* 37. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 30. *d.* 6. *n.* 47. Ita quamvis dum adest dubium rationabile, an judex juridice procedat, non teneatur testis ferre testimonium contra reum, immo et debeat veritatem celare, maxime in causis gravibus criminalibus, cum reus sit in certa possessione vitae et bonorum, et judex habeat jus incertum examinandi; nihilominus propter rationem allatam, dum agitur de criminibus contra bonum publicum, ne istud periculo exponatur, adest obligatio dicendi veritatem. Sot. *de rat. tegend. secret. memb.* 3. *q.* 2. *cond.* 2.

Excipienda quoque sunt ea crimina, quae machinantur in damnum grave alicujus particularis, nec ab aliis, quam a judice interrogante possunt impediri; ut si agatur de impediendo homicidio, gravi furto, vel de impedienda etiam continuatione alicujus criminis; ut si alio pacto non possit obtineri restitutio gravis furti. Ratio horum omnium est, quia ex lege charitatis tenetur unusquisque impedire grave damnum proximi, dum id potest sine suo gravi incommodo. Immo hac ratione bene probatur testem etiam non requisitum a judice debere se offerre ad testificandum; nam dum non imminet illi damnum, et ex alia parte sine suo incommodo potest avertere grave damnum proximi, videtur omnino obligari lege charitatis: d. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1.

R. IV. Dum judex inquirit inquisitione speciali, testis tenetur fateri veritatem. Ratio est, quia quamvis olim diceretur non esse obligationem manifestandi veritatem, ni reus laboraret infamia, hodie nihilominus sufficienter infamia laborare dicitur, si judex interroget de delicto et de delinquente; ex tali enim interrogatione dignoscitur judicem habere notitiam utriusque. Stante ergo quod ex interrogatione speciali, ordinarie loquendo, semper praesumatur vel praecessisse accusationem, vel reum esse de tali delicto infamatum, debet testis manifestare veritatem judici, utpote suo superiori legitime interroganti. Passer. *in trib.* *q.* 8. *art.* 7.* et *in cap. Postquam de accusat. in* 6. ubi multos tum canonistas, tum theologos affert Lug. *disp.* 37. *n.* 58. Sanch. *l. c. dub.* 20. *

Q. IV. Quod genus personarum non teneatur manifefestare veritatem.

R. Id examinabimus, cum agemus infra de testibus.

Regulae in praxi observandae.

I. Non statim ac confessarius noscit aliquem in judicio falsum tulisse testimonium, illum obliget ad retractandum suum dictum, vel ad damna compensanda. Videat ergo primo, an retractatio futura sit aliquo modo proficua reo praesumpto, et tunc utique dimittere debet falsum testem sine absolutione, si nolit se retractare etiam cum gravi suo damno, quando pariter damnum grave intulerit proximo. Secus si ipsius damnum ex retractatione futurum esset gravissimum, et aliunde damnum rei longe minus; nam tunc posset in sententia multorum excusari a retractatione. Caeterum si nullatenus retractatio profutura esset reo, superflue adige-

retur falsus testis ad retractationem, et tunc solum remaneret confessario perspicere, si esset locus reparandi damna sequuta ex falso testimonio.

Secundo inspiciat confessarius, an falsus testis fuerit causa efficax, ut condemnaretur reus praesumptus, et aliqua pertulerit damna. Tunc fuisset causa efficax, quando sine ipsius testimonio non fuissent testes sufficientes ad illum condemnandum, vel quamvis fuissent, ex ejus tamen testimonio reus fuit condemnatus; ut quando primo vel secundo loco testificatus est. Tunc vero e contra non fuisset causa efficax, quando ante ipsum sufficientes praecessissent testes pro reo praesumpto condemnando. Dum igitur fuerit causa efficax damnorum, ad eorum utique reparationem, meliori modo, quo potest, tenetur, secus si non fuerit causa efficax.

II. Non facile liberet confessarius a manifestanda veritate testem, allegantem pro sua excusatione non esse interrogandum juridice a judice. Animadvertat ergo, quod, nisi gravibus indiciis contrarium probetur, semper praesumendum est judicem legitime interrogare, cum nemo praesumatur malus nisi probetur.

III. Tertio confessarius habeat prae oculis eam excommunicationem, qua in nostra dioecesi excommunicantur: *Ferentes falsum testimonium, veritatem negantes, aut occultantes legitime interrogati in judicio in alterius grave damnum.* Sciat igitur confessarius excommunicationem latam esse solummodo contra testes, non vero contra reum, accusatorem, aut denunciatorem, ni postea denunciator formaliter adhiberetur, ut testis. Item ut locum habeat haec excommunicatio, debuit testis interrogari in judicio, non vero in inquisitione generali, seu mixta, quando in hac non fit interrogatio, an particularis persona commiserit delictum; nam hujusmodi inquisitiones, vulgo *discolato*, non sunt judicium, sed praeparatio ad judicium. Tertio ad incurrendam hanc excommunicationem debuit testis dicere falsum, vel negare, seu occultare veritatem *in alterius grave damnum*: puta si aliquis damnetur ad carcerem non ita brevem, vel puniatur aliqua summa pecuniae, quae vel ex se, vel respectu rei praesumpti sit damnum grave. Advertere etiam est falsum esse testem, qui dicit se vidisse aliquem delinquere, quando de facto solum sciverit ex auditu, quamvis a viris probis; nam testis de auditu solum praebet indicium levissimum, testis vero de visu facti semiplenam probationem. Nec obstat aliquem fuisse reum, nam unusquisque jus habet, ne fraude

damnetur, quamvis fuerit reus. Item dicitur falsus testis, qui legitime interrogatus in judicio, omnia dicit, ut unus absolvatur, et omnia subticet quae essent contra illum, et in favorem alterius; nam si etiam de istis interrogetur, et taceat, est falsus testis, sive veritatem occultat.

Demum advertat confessarius posse incidere in hanc excommunicationem illum testem, qui suo falso testimonio, vel occultando veritatem, causa est, ut reus absolvatur. Consideret igitur, an in judicio agatur solum de punitione rei, vel etiam de refectione damnorum, ita exigente parte laesa. Si primum, testis falsus non incurreret in excommunicationem; quia illa testificatio solum per accidens conjuncta esset cum damno alterius, cum de eo in judicio non ageretur. Si vero in judicio simul agatur de reparatione damni jam illati, vel de impediendo damno alicujus imminenti, tunc falsus testis incurreret in excommunicationem, quando ex suo testimonio ita liberaretur reus, ut non compensaretur damnum illatum, vel non impediretur damnum inferendum. Qui plura desiderat consulat P. Mansi agentem de hac excommunicatione *de casib. reserv. p.* 2. *q.* 2. *excom.* 3.

* Ulterius ex ultima Synodo Fabii Colloredo *part.* 2. *cap.* 6. excommunicatione reservata innodantur falsantes, adulterantes, surripientes scripturas publicas in alterius grave damnum. Scripturae autem publicae dicuntur illae, quae manu publicae personae subscriptae sunt adhibitis solemnitatibus a jure praescriptis, et adhuc illae, quae licet non subscriptae manu publicae personae, tamen publicae censentur ex consuetudine, vel statuto municipali, ut evenit in ditione Lucensi in testamento prophano, si adsint quinque testes licet sine notario. Insuper illae dicuntur publicae scripturae, quae authentico principis, episcopi, vel magistratus sigillo munitae sunt, in rebus ad eorum officium spectantibus, quae exemplatae sunt judicis auctoritate, vel in judicio apud acta publica conscriptae. Inter has quoque accensendi illi parochiales libri, qui pro baptismi, matrimonii, defunctorum, ac confirmatorum fide a parochis conscribuntur. Qui ergo has publicas scripturas falsaverit, vel falsas fabricando, vel radendo veteres, vel publicum falsis literis sigillum apponendo, vel rapuerit de manu domini, vel de publico archivio hac excommunicatione ferietur, si praeterea grave alterius damnum sequatur, et hoc probabilius statim ac scripturas vitiaverit licet subito damnum non advenerit, si vi-

tium secundum se aptum sit damnum inferre. Haec omnia ap. Mansi *de Casib. reserv. sec. edit. p.* 2. *q.* 2. *excomunicat.* 3.° (1)

CAPUT II.

De mendacio.

Q. I. Quid sit mendacium.

R. S. Thomas 2. 2. *quaest.* 110. *art.* 1. ex s. Augustino ita definit mendacium. *Enunciatio falsi cum voluntate ad fallendum prolata.* Eo ipso quod dicitur *enunciatio*, explicatur, mendacium ad peccata oris pertinere; at quia etiam scriptura, nutibus, et signis loquimur, his etiam modis possumus mentiri. Additur *falsi*, quia essentia mendacii consistit in hoc, quod falsitas proferatur. Si tamen ea a loquente non cognoscatur, et putet dicere verum, mendacium dicitur tantum materiale. Si vero falsitas proferatur cum advertentia, tunc datur mendacium formale, de quo in praesenti; et potest etiam optime definiri: *locutio studiosa contra mentem*, nempe contra veritatem, quam quis cognoscit. Ea verba, quae adduntur in definitione allata ex d. August. *cum voluntate ad fallendum* non pertinent, ut bene advertit s. Thomas, ad essentiam mendacii; nam sufficienter datur mendacium formale, cum quis advertenter profert falsitatem, absque eo quod habeat voluntatem fallendi. Ista ergo voluntas non pertinet ad essentiam, sed solum ad majorem malitiam mendacii.

Mendacium formale ratione finis intenti dividitur communiter in jocosum, officiosum, et perniciosum: d. Thom. 2. 2. *quaest.* 110. *art.* 2. Mendacium jocosum ordinatur ad propriam, vel aliorum delectationem, ut facere solent homines garruli, et blaterones. Officiosum ad propriam, vel aliorum utilitatem. Perniciosum ad alteri damnum inferendum, quod communiter est mortale, nisi excuset parvitas materiae.

(1) Citato Auctori mirifice consonat cl. noster Bernardini in sua expositione *cas. reserv. p.* 180. *n.* 5.; nam si esset expectandum ad praesentem excommunicationem incurrendam ut proximo malum eveniat, cum istud evenire possit post longum tempus, sequeretur saepe saepius, aut saltem sequi posset quamplurimos hanc poenam evitare utpote morte praeventos, unde quoad istos inutilis proculdubio foret excommunicatio, quod praesumendum haudquaquam est; et aliunde hujusmodi non praesumptio veris, rectisque principiis maxime congruit.

Q. II. An in aliquo casu licitum sit mentiri.

R. Nunquam licite profertur mendacium, unde Eccles. dicitur: *Noli velle mentiri omne mendacium*, et Proverb. 3. *Verbum mendax justus detestabitur*; et ad Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem*. Ad hoc probandum plura habet s. Augustinus *lib. cont. mend. et lib. de mend.* sicut et communiter ss. PP. quos videre est tota *causa* 22. *quaest.* 2. Ratione etiam probatur, quia mendacium de se est ex genere suo malum, unde nunquam potest esse licitum. Quod autem sit ex genere suo malum exinde probatur, quia ordo et institutio naturalis est, ut voces deserviant ad manifestandum conceptum mentis; cum ergo mendacio significetur quod in mente non est, sequitur per ipsum destrui ordinem et institutionem naturalem, adeoque semper malum esse: d. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. Addatur mendacium semper opponi Dei veracitati, et per consequens semper malum esse, utpote oppositum divino attributo.

Neque potest dici videri consonum rationi fieri posse minus malum ad impediendum gravius; ut si quis mandatarium mendacio illuderet ad salvandam vitam alicujus. Contra etenim est, quia malum in se nec licet facere, nec consulere etiam ad vitandum majus malum; semper cum etenim quis malum consulit, vel facit, peccat, ut de se patet. * Hinc Alexander III. *in cap.* 4. *de usur.* ait, quod Scriptura s. prohibeat pro alterius vita mentiri. * Potest utique quis determinato inferre grave damnum minus proponere; at tunc non se habet consulendo malum, quia nollet vel minimum malum patrari, sed homini determinato ad malum proponit hanc veritatem: quod si velit malum facere, melius est, ut faciat minus, quam majus. In casu autem quod quis mentiatur ad vitandum suum, vel alterius grave damnum, de facto eligit quod malum est, et proinde nunquam potest excusari.

Q. III. Quale peccatum sit mendacium.

R. I. Secluso scandalo, mendacium jocosum, et officiosum sunt solum peccata venialia: nam iis non laeditur saltem graviter charitas; officioso etenim mendacio propria, vel alterius intenditur utilitas, et jocoso propria, vel alterius delectatio: d. Thom. 2. 2. *quaest.* 110. *art.* 4. Quod autem in his mendaciis proximus credat rem aliter ac se habet, est quid leve, cum de se parum intersit, an res ita, aut aliter se habeat.

R. II. Mendacium perniciosum est ex genere suo mortale. Id autem probatur, quia primo potest contrariari dilectioni Dei, ut si quis mentiretur in materia fidei, aut morum; et ita non solum graviter peccaretur contra Dei dilectionem, sed etiam contra virtutes fidei, et religionis. Idem dicendum, si proponerentur falsa miracula, falsae indulgentiae et falsae reliquiae; qui etenim ita mentitur, exponit christianam fidem, et religionem illusionibus etc. adeoque semper graviter peccat. Secundo mendacium perniciosum potest contrariari charitati proximi ut si quis imponat falsum crimen, vel si mentiendo causa sit, ut proximus graviter damnificetur; et ita fit hoc mendacium non solum esse contra charitatem proximi, sed etiam contra justitiam. Caeterum potest esse peccatum leve, vel defectu plenae deliberationis, vel ex materiae parvitate.

Quia solum mendacium perniciosum est ex genere suo grave, illud per se directe prohibetur in octavo decalogi praecepto, leve vero solum indirecte.

Q. IV. Qui sint modi liciti ad vitandum mendacium.

R. Hac de re egi *tract.* 8. *quaest.* 1. *cap.* 4. *quaesit.* 2. *et reg ul.* 1. unde hic breviter dicendum licite celari veritatem, dum tamen adsit justa causa id faciendi, vel utendo verbis aequivocis, vel respondendo ad mentem interrogantis, vel utendo verbis, quae habeant sensum verum, attenta tamen circumstantia personae, quae illa profert, seu attenta actione aliqua externa, quam exerceret loquens. Aliqui addunt aliqua verba affirmativa, vel negativa in quibusdam gravissimis circumstantiis non esse mendacia; quia tunc communiter non accipiuntur; neque pro affirmatione, neque pro negatione, sed solum quod veluti reddant hunc sensum: *nolo dicere*. Ita excusant a mendacio uxorem dicentem non esse adulteratam: filium dicentem patrem non esse domi, dum scit quaeri ad occidendum etc. Et quidem in his gravissimis circumstantiis nemo sensatus credit verba, vel affirmantia, vel negantia consonare veritati, sed solum esse veritatis occultativa. Haec opinio, quae a p. Cattaneo in suis lectionibus adstruitur, impugnatur a p. Orsi ordinis s. Dominici; at contra ipsius librum prodiit nuper allegatio anonymi scriptoris, qui Cattanei opinionem pluribus defendit, et a patris Orsi impugnationibus vindicare cona-

tur. Interim creditur ex utraque parte edendos novos libros, ut moris est, dum ex novis opinionibus ingenia excitantur. (1)

Regulae in praxi observandae.

I. Cum bene se gerat confessarius non removendo a suo poenitente ignorantiam invincibilem circa aliquod peccatum, quando praevidet admonitionem non profuturam, atque ignorantia semota peccaturum non materialiter ut prius, sed formaliter; hinc caveat ab admonendo rudes mulierculas, et quosdam alios crassioris capacitatis, qui putant non esse peccatum officiose mentiri, ne herus, vel hera repleant domum clamoribus, vel aliquem dimittant a famulatu etc. Si admoneantur, nihilominus perseverabunt in suis mendaciis, et ex remotione ignorantiae peccabunt.

II. Studere debet quantum potest confessarius, ut caveat in hac materia a laxitatibus, quas summi Pontifices condemnarunt, puta a restrictionibus pure mentalibus etc. ab iisdem damnatis. At e contra videat, ne in gravissimas angustias redigat conscientiam sui poenitentis, quoties possit eidem consulere, docendo unum ex modis, quo non sine fundamento occultari posse dicunt veritatem. Et quidem quid respondere debent consultores sac. Inquisitionis, quid consiliarii principum, quid confessarii interrogati de gravissima veritate, quam omnino debent celare? Quid famuli interrogati de adulterio dominae, quod alias sciunt? Quid domina de eodem delicto interrogata etc.? Certe si absolute non possunt negare; ipsum silentium, vel etiam ipsa trepidatio in respondendo pro affirmatione reputabitur: et quae tunc non orirentur mala? Debet ergo confessarius illos monere, qua ratione possint sine haesitatione negare.

QUAESTIO II.

DE JUDICE, ACCUSATORE, ET DENUNCIATORE

CAPUT I.

De judice, ipsius jurisdictione veritate, opinione, quam sequi debet in judicando; et de scientia, quam debet habere.

Q. I. Quid sit judex et quotuplex.

(1) Auctoris sententia sustineri potest in tribus sequentibus circumstantiis, nimirum. 1. Quando adest justa causa id faciendi. 2. Quando non tenemur veritatem manifeste respondere interrogantibus. 3. Denique cum nulla est fallendi voluntas.

R. I. Judex, idem est ac quasi *jus dicens*, unde proprie dicitur ille, qui habet potestatem ad judicandum, sive hoc sit in causa civili, ut quando sententiam profert ad vindicationem alicujus rei, vel ad satisfactionem damni, seu interesse; sive in causa criminali, ut quando sententiam profert quoad poenam, quam meretur aliquod delictum: *can. Super prud.* 12. *q.* 2.

R. II. Alter est judex ordinarius, alter est delegatus. Judex ordinarius primo est ille, qui habet dignitatem, vel officium, cui ex jure, sive privilegio, praescriptione, aut consuetudine annexa est jurisdictio. Covarr. *l.* 3. *var. resol. cap.* 20. *n.* 6. * ex *l. Majorum*, *et l. Et quia ff. de jurisd. omn. judic.* * Pontifex judex est pro tota ecclesia, episcopi pro suis dioecesibus, generales pro suis religionibus, provinciales pro suis provinciis, et quicumque Superior pro suo monasterio. Ita pariter judex ordinarius est princeps supremus in sua ditione. Secundo judex ordinarius est, qui creatur a principe supremo sive ecclesiastico, sive saeculari; aut quando ab habente potestatem eligendi judicem ordinarium, confertur electo universalitas causarum. Id tamen non verificaretur, si in literis diceretur causas ipsi delegari, vel debere procedere auctoritate eligentis: * *arg. l. ult.* §. *fin. C. ubi et apud quem*, et tenet Gloss. *in l. ult. v. Cum specialis C. de judic.* * Judex delegatus est ille, cui ex mandato principis, vel alterius Superioris causa committitur: *l.* 1. §. *Qui mandatam ff. de offic. ejus cui mandata est jurisd.* Hinc non dicitur habere propriam jurisdictionem, sed usum jurisdictionis. Si hic usus sit ad omnes causas, tunc potest unam aut alteram causam alteri subdelegare; si vero solum ad certam causam et litem dirimendam, non potest eam alteri subdelegare: * *cap. Cum causam de appellat.* juncta Gloss. ibi *v. Delegatus*, Fagnan. *in d. cap. n.* 2. * Judex item ordinarius non potest exercere jurisdictionem contentiosam extra suum territorium, secus delegatus: *cap. Grave de offic. ord.* * Ibique Gonzal. et Barbos. * Arbitri compromissarii non possunt dici rigorose judices; nam hi procedunt publica auctoritate: *leg. Quippe ff. de judic.* illi vero electi sunt privata auctoritate, de consensu nempe collitigantium. Barbos. *tr. var. v. appell. v. Judex:* * ex *l. Privatorum C. de jurisdict. omn. judic.* Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *q.* 2. *a n.* 10. *

Q. II. Quot modis acquiratur jurisdictio.

R. Jurisdictio pluribus modis acquiri potest. Primo ratione dignitatis, vel officii. Secundo ratione delegationis,

seu subdelegationis; ut paulo ante dictum est. Tertio ratione delicti in alieno territorio commissi, quamvis reus non sit subditus; jura etenim volunt forum sortiri ratione delicti: *cap. Licet, cap. Postulasti de for. comp.* et ex Glossa *in leg. Solent ff. de custod. rer. et leg. A d. Pio* §. *Sententiam ff. de re judic.* Item ratione contractus, domicilii, et rei, de qua intentatur causa contra possessorem: *cap. fin. de for. compet.* Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *c.* 15. *v. Tertio.* Quarto acquiritur jurisdictio ob injuriam illatam subdito alterius principis; si etenim princeps illius qui irrogavit injuriam, interpellatus nolit eam vindicare, id potest Superior ipsius, qui injuriam passus est. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 6. *num.* 50. Azor. *cit.* Quinto ex consensu partium; ut quando voluntarie se subdunt alicui ut arbitratori cum obligatione parendi ipsius sententiae.

Sexto error communis, maxime cum titulo putativo supplet jurisdictionem, et facit valere gesta illius, qui vere judex non est: *leg. Barbarius Philippus ff. de offic. praetor. et can. Infamis* 3. *quaest.* 7. * *cap. Gratum de offic. delegat.* Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 22. *n.* 59. Laym. *in d. cap. Gratum n.* 9. Fagnan. *in cap. Ne innitaris de constit. n.* 380. et innumeri alii doctores, tum theologi, tum canonistae quos affert, et sequitur Sanch. *loc. sup. cit.* * Id autem statutum est, quia, si detecto errore omnino invalida habenda fuissent gesta a judice, qui communiter verus judex reputabatur, innumera inconvenientia et scandala sequerentur, unde per jus canonicum, et civile debuit suppleri illius jurisdictio. Porro tunc datur titulus coloratus, quando facta est collatio alicujus officii, vel beneficii ab habente potestatem ea conferendi, quamvis ex impedimento occulto recipientis non fuerint valide collata; ut si conferretur beneficium parochiale occulte excommunicato, vel irregulari. Quod si impedimentum esset de jure divino, tunc nullatenus ecclesia potest supplere ipsius jurisdictionem, ut si praefatum beneficium conferretur non sacerdoti. Error vero communis tunc intervenit, quando in loco, in quo quis exercet jurisdictionem, communiter reputatur verus judex, seu verus parochus, quamvis unus aut alter e. g. sciret verum parochum non esse, quia obtinuerit beneficium, dum erat excommunicatus. Anton. a Spir. S. *in direct. cons. p.* 1. *tr.* 5. *disp.* 11. *num.* 751. Sed de hoc iterum in tr. de poenitentia. Caeterum parochus ita exercens jurisdictionem (idem dicas de judice, si cognoscat suum defectum) gravissime

peccat, usurpando jurisdictionem, quae est res gravissima, et quae debet exerceri licite et valide per se, hoc est, quia valide habeatur, vel valide sit collata.

Q. III. An sufficiat solus error communis sine titulo colorato ad obtinendam jurisdictionem.

R. Mihi valde probabilis est opinio affirmativa. Et ratio est, quia jus dat jurisdictionem non praecipue ratione tituli, sed ob publicam utilitatem; ac proinde jurisconsultus in citata lege *Barbarius* non consideravit illum servum, de quo ibi sermo est, habuisse potestatem a populo Romano, ex quo consurgebat titulus coloratus, sed praecipue consideravit utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, adeoque putandum a populo Romano illi collatam fuisse potestatem judicis, eo quod ab eo talis fieri poterat. Item in authent. *de tabell. ante* §. *ult.* reputatur validus contractus factus a notario, qui carebat titulo. Cum igitur pro publica utilitate, et pro vitandis inconvenientibus non minus expediat non carere jurisdictione judicem, qui communiter talis reputetur, simulque habeat titulum coloratum, quam judicem, qui talis solum ex errore communi credatur, dicendum est, quod cum in utroque casu eadem sit ratio, eadem pariter esse debeat juris dispositio. Pont. *de matrim. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 2. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 86. *quaest.* 14. *num.* 50. Pal. *tom.* 5. *tract.* 28. *d.* 2. *punct.* 13. §. 10. *num.* 9. Passer. *q.* 187. *a num.* 250.

* Non desunt quidem et multi et magni nominis theologi, et canonistae, qui contrariam opinionem ultra scilicet communem errorem requiri titulum aliquem saltem putativum licet invalidum, et ob aliquod occultum vitium infectum doceant, nec non probabiliorem hanc, communioremque vocent Barbosa *de offic. paroch. cap.* 19. *num.* 7. *et de potestat. episcop. p.* 2. *allegat.* 32. *num.* 103. Fagnan. *in cap. Super eo de crimine falsi n.* 10. ubi s. Congregationis declarationem affert. Leur. *de for. benefic. p.* 1. *q.* 434. *num.* 5. Suar. *in* 3. *p.* d. Thom. *tom.* 4. *disp.* 26. *sect.* 6. *num.* 7. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. *n.* 49. ubi pene innumeros doctores citat Lessius *de just. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *n.* 68. Ideoque pro hac superiori sententia multum facit cit. lex *Barbarius*, quinimmo plus huic favere videtur; respicit enim non tam publicam utilitatem, errorem communem, quam superioris auctoritatem, qui servum, liberum putatum, praetoris officio donavit, ex quo ortus fuit titulus, unde in eo convenit titulus, et error communis, ut sentit

etiam Gloss. *in cap. Nihil de electione*. Garc. *de benefic. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 335. Verum si res inspiciatur, patebit in praxi utrumque conjungi; ut plurimum enim error communis ortum ducit ab aliquo titulo vel vero, vel putativo, vel possessione saltem praehabita tituli licet falsi, unde fere semper cum errore reperitur titulus aliquis sufficiens ad jurisdictionem tribuendam, ut varios decretalium textus consideranti patebit, et praesertim *cap. Consultationibus de jure patronat. cap. Querelam de elect. et cap. Duorum* 2. *eod. tit.* Insuper si agatur de rebus ad forum externum spectantibus, canonistis potius quam theologis deferendum tradunt rard. de Luc. *de matrim disc.* 3. *n.* 7. *et disc.* 5. *n.* 55. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 133. *n.* 55. innixus auctoritati Gregorii XIII. Et ad rationes contrariae sententiae responderi potest. 1. Quod in jure positivo parum valet argumentatio ab uno ad aliud, etiamsi militet eadem ratio, sed standum juris dispositioni. 2. Publica potius utilitas postulat, ut a non habente titulum gesta infirmentur, et irrita habeantur, ut ita fraudibus et fictionibus via praecludatur. *

Q. IV. Quae sint ea, quae pertinent ad jurisdictionem ecclesiasticam privative, et quae ad potestatem saecularem.

R. Si agatur de personis ecclesiasticis, cum gaudeant privilegio fori, de eis cognoscere pertinet ad judicem ecclesiasticum privative quoad alios. Secundo pertinent ad judicem ecclesiasticum crimina ecclesiastica, vel dum agitur de rebus ecclesiasticis. Crimina ecclesiastica e. g. sunt: haeresis, schisma, abusus sacramentorum, et sacramentalium, profanatio reliquiarum, et his similia. Res ecclesiasticae sunt reliquiae, templa, et quaecumque loca sacra, beneficia, decimae, vota etc. Item dantur poenae, quae solum pertinent ad jurisdictionem ecclesiasticam, ut sunt censurae, et irregularitas.

R. II. Ad jurisdictionem saecularem pertinent ea quae versantur circa actus humanos, et morales, quatenus necessaria sunt ad bonum regimen reipublicae, et ad rectam hominum societatem. Hinc ad eam pertinent causae, quae tractant de dominio laicorum, de contractibus, testamentis, tutela, de non transportando victualia, de solvendis vectigalibus, de armis non deferendis etc.

R. III. Sunt quaedam crimina, quae si a persona saeculari committantur, sunt mixti fori, ita ut in eis cognoscendis detur praeventio inter jurisdictionem ecclesiasticam et laicam. Hujusmodi sunt executio legatorum piorum, seu

ultimarum voluntatum ad pias causas: simplex blasphemia a christiano prolata; nam si est haereticalis, illius cognitio pertinet ad solum judicem ecclesiasticum: sacrilegium etiam commissum in persona clerici, monachi, aut monialis, quanvis aliqui contradicant: delictum laici offendentis clericum, vel laicum in ecclesia: sortilegium quando non sapit haeresim, vel non habet admixtum abusum rerum sacrarum, Concubinatus quatenus non solum jure canonico, sed etiam civili est prohibitus; adulterium, incestus, sodomia, perjurium, violatio sponsalium, usurae etc. Farinac. *lib.* 1. *criminal. tit.* 1. *quaest.* 8. *numer.* 129. Jul. Clar. *lib.* 5. *pract. crimin.* §. *fin. quaest.* 37.

Q. V. Quam veritatem sequi debeat judex in judicando.

R. Cum judex debeat jus suum unicuique dicere; et id non possit facere, nisi cognoscat causae veritatem, et cum talis veritas ipsi, utpote personae publicae, non innotescat nisi ex testibus in judicio examinatis, infertur veritatem, quam sequi debet judex, eam esse, quae ex examine testium sibi constat, eaque ita comperta, debet postea secundum leges judicare: d. Th. 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. Ex hac doctrina infert s. Thomas *art.* 2. quod cum judex munus suum exerceat non ut persona privata, sed publica auctoritate, debet reum absolvere, qui ex allegatis in judicio apparet innocens, et condemnare innocentem, si ex allegatis noxius sufficienter probetur. Videnda tamen quae dixi *de homic. cap.* 2.

Q. VI. An semper judex judicare debeat secundum leges.

R. I. Cum judex supremus possit leges ferre, et vigor legum positivarum pendeat ab ipsius voluntate, sequitur posse aliquando in legibus positivis dispensare, maxime aliqua justa causa interveniente: d. Th. 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. Lugo *de just. d.* 37. *n.* 88. Less. *de just. l.* 2. *cap.* 29. *d.* 5. *n.* 46. Fragos. *de regim. reip. christ. p.* 1. *l.* 4. *d.* 11. Id autem non licite facit, si crebro in dictis legibus dispenset; nam cum eae sint ordinatae ad bonum publicum, non potest in iis crebo dispensari, quin ipsum bonum publicum graviter laedatur et quin malefactores ex nimia principis indulgentia in dispensando rigorem legum, anxam sumant delinquendi. Hoc autem praecipue, ut notant theologi, sequeretur, si princeps parceret homini valde noxio et facinoroso; non etenim esset sine praejudicio boni publici. Sot. *l.* 5. *de just. q.* 4. *art.* 4. Sanch. *l.* 2. *cons. cap.* 1. *dub.* 21. Advertendum etiam quod semper cum aliquis fuit of-

fensus, vel damnificatus, non potest judex supremus reum absolvere, ni reparetur offensa, et damnum parti laese irrogatum. * Haec omnia paucis verbis docet s. Th. *l. c.* quem sequuntur Suar. *de leg. lib.* 5. *cap.* 11. et alii quamplures apud Salmant. *tr.* 29. *append. de jud. cap.* 1. *n.* 29.*

R. II. Si judex sit inferior et subordinatus, debet semper judicare secundum leges, nisi aliqua justa causa suadeat, vel addere poenam, vel diminuere. Ratio est, quia talis judex inferior subordinatus est ipsis legibus; unde ordinarie loquendo non est in ipsius arbitrio dispensare leges vel earum vim et poenas relaxare: d. Th. 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. Si vero, ut diximus interveniat justa causa, poterit id facere, non solum quia interpretari potest ita velle superiorem, sed etiam quia cum ex variatione circumstantiarum etc. augeatur, vel minuatur delictum, aequum est augere poenam; vel minuere: * *l. Aut facta ff. de poenis l. Quid ergo* §. *Poena gravior ff. de his qui notantur infam.* Leur. *in* 1. *decret. tit.* 32. *q.* 902. *n.* 1. et docent DD. superius cc. *

Quamvis autem semper mitiorem poenam judices et maxime ecclesiastici debeant eligere, ut constat ex pluribus canonibus *caus.* 23. *quaest.* 6. nihilominus causa justa aggravandi poenam est si delictum commissum fuerit modo extraordinario. Causae vero minuendi sunt lapsus temporis a crimine patrato; infirmitas aetatis, ut in pueris et senibus, indeliberatio actus; paupertas delinquentis, dum agitur de poena pecuniaria; spontanea confessio criminis; spes correctionis; si mitius agatur cum reo, et aliae multae videndae apud auctores in praxi criminali. Sanch. *l.* 6. *cons. cap.* 1. *d.* 21. *n.* 10. Lugo *d.* 37. *n.* 91. Farin. *in prax. crim. p.* 3. *tot. lib.* 3. *de poen. temp.*

Q. VII. Quae servanda sint a judice habente facultatem procedendi summarie, vel sola facti veritate inspecta, seu ex informata conscientia.

R. I. Judex in judicio summario potest quid omittere apices, subtilitates et accidentales solemnitates juris, quae negotii veritatem non tangunt, non vero omittere potest, quae pertinent ad substantiam judicii, non solum juxta jus naturale, divinum, et gentium, sed etiam juxta jus canonicum et civile. Quae vero solum pertineant ad pompam et ornatum judicii, quae ad ejus substantiam, explicat Glossa *in* Clem. *Saepe de v. sig.* Non poterit proinde judex in judicio summario omittere citationem, et debebit admittere necessarias probationes et defensiones. Item admittere debet

juramentum calumniae, maxime instante parte, quo nempe accusator jurare debet non animo calumniandi libellum ascusationis porrexisse; ita etenim jus exigit: *cap.* 1. *de jur. calumn. in* 6. Admittere pariter debet juramentum veritatis; vult etenim utrumque jus testes juratos esse debere, et nullam esse ipsorum depositionem non juratam: *can. In primis* 2. *q.* 1. *can. Hortamur* 3. *q.* 9. *can. Si testes* 4. *q.* 3. *cap. Fraternitatis, cap. Tuis cap. Nuper de test. et l. Testium C. de test. et l. Jurisjur. C. eod.* Debet ulterius admittere positiones, tamquam necessarias ad probationem, assignare tempus et terminum tam ad positiones dandas, quam ad exhibendos articulos et omnia acta. Demum citare debet ad sententiam definitivam, eamque in scriptis ferre. Haec omnia pertinere ad substantiam judicii summarii habetur ex cit. Clem. *saepe* et observat ibi Glossa. Si ergo praetermittantur alia, quae ad judicii solemnitatem et ornatum pertinent, ibique recensentur, nil deest judicio summario, sive judicio commisso sub his formulis: *simpliciter*, *de plano*, *sine strepitu et figura judicii*. Lugo *d.* 37. *n.* 162. Barbos. *claus.* 103.

R. II. Illa clausula: *sola facti veritate inspecta*, seu *ex informata conscientia* reducit judicium ad formam inductam de jure naturali, divino et gentium, et removet quemcumque ordinem judiciarium solo jure positivo praescriptum. Ricc. *decis. part.* 2. *decis.* 699. *eff.* 1. Barbosa *claus.* 173. ad hoc igitur judicium satis erit, si per duos testes idoneos probetur delictum, et habetur etiam *can. Deus* 2. *q.* 1. et si reus citetur, eique competentes defensiones assignentur, ut ponderat Farinaccius *q.* 39. *n.* 14. unde danda est ei copia indiciorum, quae sunt contra illum; copia libelli accusationis, seu inquisitionis contra ipsum formatae, copia instrumentorum et scripturarum, quae sunt in actis; sicut etiam illi exprimenda sunt nomina testium; haec etenim omnia necesse est ipsum scire; ut possit se defendere. Hinc passim docent DD. solum in causa fidei supprimi nomina testium: *c. fin. de haeret. in* 6. idque in favorem ipsius fidei, ne scilicet subornentur, vel ob timorem alicujus mali a testificando retrahantur. Unicum puto dari casum, in quo reus possit absque defensione puniri; quando nempe delictum est omnino certum et notorium, simulque notorium est nullatenus posse defendi, ac pariter notorium non esse mitiori poena puniendum. In hoc casu non tam facile eventuro inutile omnino esset dare reo defensionem. Passer. *in trib. regul. q.* 26. *n.* 11.

Q. VIII. An princeps supremus possit aliquem, quem scit reum esse, damnare, non servatis solemnitatibus juris.

R. Ordinarie loquendo, non potest ex privata scientia damnari, qui secundum allegata et probata non apparet reus. Ratio est, quia damnatio rei est actus publicae potestatis, unde oriri debet a publica scientia, juxta quam eadem publica potestas regulatur. Praeterea nemo est damnandus nisi convictus, et pro sui defensione auditus; ita enim exposcit jus naturae: *can. Nullum* 30. *q.* 5. *cap. Qualiter il* 2. *de accusat.* et Clem. *Pastoral.* §. *Caeterum de sent. et re judic.* ubi dicitur nec imperatorem defensionem tollere posse. Quantumvis igitur ex privata scientia liberari possit innocens, qui secundum allegata et probata appareat reus, quia si etiam privata auctoritate potest innocens liberari, multo magis auctoritate principis; non tamen potest ex privata scientia reus damnari, quia haec damnatio est actus publicae potestatis, quae a publica scientia ortum habet: d. Anton. *p.* 3. *tit.* 9. *c.* 15. §. 3. Navar. *c.* 25. *a n.* 9. Clav. Reg. *l.* 12. *cap.* 8. *n.* 22.

Vel ergo delictum, quod scientia privata scit princeps, est probabile, vel non. Si est probabile, probandum est: et dum delinquens citatus non compareat, potest ut contumax damnari. Si vero non est in judicio probabile, vel probari non possit sine periculo gravis damni, vel principis, vel testis etc. tunc si delictum est omnino praeteritum nec novum immineat delictum contra rempublicam vel personam innocentem, omnino impunitum relinquendum est. Si vero delictum durat cum imminenti periculo gravis damni, vel reipublicae, alicujus tertii, tunc si ita necesse sit, reus poterit etiam occidi non ex potestate vindicativa judicis, sed ex jure privato defendendi innocentem. * Leur. *l. c. q.* 894. *n.* 4. *

Neque dicas posse etiam occidi, si delictum sit omnino praeteritum, et novum non immineat in futurum, cum expediat reipublicae delinquentes exterminari. Contra etenim est, quia potius expedit reipublicae ut non puniantur delicta nisi saltem servato ordine juris naturalis, qui exposcit ut reus citetur et audiatur; alias daretur occasio multa committendi homicidia, injustitias etc. possent enim principes, vel judices habentes plenam potestatem a principe, multos ex odio et privato interesse damnare, afferendo ex privata scientia illos agnovisse reos. Hinc hanc opinionem unice credo veram. Cajet. *v. Homicidium*. Bannes 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. *d.* 3. Anton. a Sp. S. *tr.* 8. *d.* 1. *a n.* 20.



Q. IX. Quam opinionem sequi debeat judex in judicando.

R. I. Judex in judicando sequi debet sententiam probabiliorem. Id primo constat ex secunda propositione damnata ab innoc. XI. quae ita se habebat: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Ratione etiam probatur, quia judex ex vi sui muneris debet dicere jus suum unicuique secundum merita causae; nunquam autem intelligeretur secundum merita jus dicere, si proferret sententiam pro ea parte, quae minus vera appareret. Confirmatur, quia judex ex vi proprii officii debet se legibus, quoad fieri potest, conformare, adeoque proferre sententiam juxta opinionem magis probabilem, nam illi magis adsistunt leges. Hinc si contrarium faciat, peccare contra justitiam, et teneri ad damna resarcienda merito asserunt non solum plures antiqui. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 70. Lugo *de just. d.* 37. *sect.* 10. *n.* 121. sed etiam omnes scribentes in praefatam propositionem, nam sua injusta sententia alteri damnum afferret. (1)

Hic tamen advertendum, quod dum agitur de causa criminali, maxime ex gravioribus, probabilius est, immo certum, favendum esse reo, cui adsistit sententia vere, quamvis minus probabilis. Ratio est, quia maxime in causa sanguinis probationes debent esse luce clariores: *leg. Sciant C. de probat.* et tales non sunt, dum pro reo adest sententia vere licet minus probabilis. Praeterea regula 11 *jur. in* 6. generaliter dicit, quod *cum sunt partium jura obscura. reo potius favendum est, quam actori*; et certe adhuc obscurum est, an aliquis sit condemnandus, quando illi adsistit opinio vere, quamvis minus probabilis. Pal. *tr.* 1. *d.* 3. *p.* 10. *num* 3. Sayr. *in clav. reg. l.* 1. c. 11. *n.* 15. Bassaeus *v. Conscient. n.* 17.

R. II. In causis civilibus, si, omnibus attentis, opiniones sunt aeque probabiles, et litigantes nolint se componere, res venit inter eos dividenda. Scio non deesse quamplures et non exigui nominis theologos, qui doceant posse judicem ferre sententiam pro ea parte, quam maluerit. At ego nunquam suaderem judici ita se gerere; nam ipsius munus est

(1) Et quando partium litigantium argumenta aeque sint probabilia, et aliunde res controversa a nemine eorum possidetur, debet res eadem aequaliter inter litigantes dividi, ita expostulante aequali eorumdem jure. Hinc contrariam reprobavit thesim Alex. VII. *n.* 26. Dixi *si a nullo partium* possideatur, quia ut suo loco dictum fuit, *in dubiis melior est conditio possidentis*.

juridice declarare quale sit jus partium, si autem, stante aequali jure, pro una tantum parte ferret sententiam, jam facto ipso pronunciaret ipsam majus habere jus quam aliam, quod omnino falsum esset. Ulterius cum judex non sit dominus rerum, ad ipsum pertinet eas distribuere secundum jus partium; ita enim verificabitur proferre sententiam secundum merita causae, sicuti exigit suum officium. Si autem distribuere debet secundum jus partium, jam stante aequali jure, aequaliter res erit dividenda. Quod si res sit indivisibilis, ut primogenitura, vel curabit dividi auctoritate principis supremi, vel fructibus, seu aliqua pecuniae summa compensari quod uni parti debetur, dum alteri propter ejus indivisibilitatem adjudicatur. Salmant. *tr.* 29. *de judic. n.* 42. et apud ipsos alii. Caeterum hic iterum juvat in memoriam revocare sententiam damnatam ab Alexandro VII. sub num. 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio*.

Q. X. Qua scientia judex pollere debeat.

R. Judex debet talem scientiam habere, ut probe sciat, quae ut plurimum in tali tribunali solent agitari; et ulterius saltem valeat dubitare in casibus difficilioribus, adeoque, si occurrant, possit studio assequi veritatem. Id autem probatur, quia si saltem talem scientiam non habeat, non potest recte munus suum exercere. Navarr. *in sum. c.* 25. *n.* 12. Barbosa *in* 6. *decret.* explicando reg. 19. jur. qua dicitur: *Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet*. Quod si deficiat graviter in suo munere ex ignorantia vincibili, tenebitur ad restituenda damna parti laesae, utpote qui ea actione graviter culpabili causavit. Fagund. *in* 8. *decal. praec. l.* 8. *c.* 26. *n.* 25. aliique, * Laym. *lib.* 3. *tr. cap.* 2. *n.* 10. de lug. *disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 3. *

Regulae in praxi observandae.

I. Primo monendus est confessarius, ut non facile permittat suo poenitenti, maxime si sit nobilis et potens, intercedere apud judicem pro delinquentibus. Non nego judicem multoties licite poenam diminuere, maxime si sit ecclesiasticus: *can. Non est iniquitatis* 23. *q.* 5. accedente praecipue causa honesta, ex qua rigor legis possit remitti; vel si crimin sit dubium, aut poena arbitraria. Nihilominus in praxi cognoscitur ex importunis intercessionibus virorum nobilium et potentum persaepe judices nimis flecti; quia

illis complacere cupiunt, cum ab ipsis sperent vel confirmari in officio, vel validam protectionem. Ex hoc autem sequuntur gravissima inconvenientia, vel quod scilicet non plene reparentur damna illata, vel quod benignius agatur cum facinorosis et incorrigibilibus cum communi damno reipublicae, ac denique quod vigor legum omnino pereat. Hi solent esse effectus hujusmodi intercessionum. Accidere etiam potest in causis civilibus judicem contra jus inclinare in eam partem, quam illi importune commendarunt viri potentes, ut aliquando etiam evenisse non pauci sciunt. Debet ergo confessarius ab iis faciendis suum poenitentem removere; et ad summum permittere quod sine importunitate intercedat, exprimendo se solum quod justum est petere.

II. Confessarius principis supremi, seu illorum qui componunt senatum, moneat poenitentem, ne tam facilis sit in relaxando poenas stabilitas a legibus; nam ipsi sunt custodes legum, et ex nimia ipsarum dispensatione compertum est semper magis augeri homicidia, latrocinia, aliaque delicta. Solum suadeat relaxationem poenae, quando adesset aliqua causa justa et conveniens; unde ex tali relaxatione non valeant facinorosi anxam sumer peccandi. Caeterum moneat semper inexorabiles esse debere erga insigniter scelestos, ut sunt sicarii, famosi latrones, lenones etc. Nam cum tales scelesti semper sint graviter nocivi reipublicae, non est in potestate principis eorum poenam relaxare, ut supra notavi.

III. Cum judex sequi debeat opinionem probabiliorem, videat confessarius judicum, ne segnes sint in studendo; nam exiguo studio non tam facile opinio probabilior apparet, quae maxime ex doctrina et praxi tribunalium dignoscitur. Quod si judex, cujus confessiones excipit, vel propter rude ingenium, vel debilitatem capitis, vel propter animum addictum humanioribus studiis, seu recreationibus non possit; aut nolit sufficienter studere, cogat illum dimittere, officium, vel sine absolutione dimittat; nemo etenim potest sine gravi culpa officium exercere, cui non vult, vel non potest, ut par est, animum intendere.

IV. Advertat confessarius bene posse accidere aliquem non sufficienti doctrina praeditum, ex importunis intercessionibus ad judicis officium eligi. Lucrum quod ex officio sperant causa est, cur ita decipiant et decipiantur. Statim ac ergo confessarius communiter a viris doctis de ipsius ignorantia certioratus, qua debet libertate, moneat ipsum

teneri officium dimittere, quod retinere haud potest sine aliorum damno et propriae salutis dispendio.

V. Inexorabilis sit confessarius adversus illos judices, qui accipiunt munera sibi non debita ex vi sui officii. Ultraquamquod id prohibeant omnia jura, sciat confessarius, me teste, istos judices nunquam satis recte judicare, et muneribus excaecatos injuste favere majora offerenti. Hinc Deuter. 16. 19. dicitur: *Non accipies personam, neque munera, quia munera, excaecant oculos sapientum, et mutant verba justorum*. Praeterea semper illos obliget ad restitutionem; nam talia munera nunquam dantur liberaliter, sed coacte et invite, quia scilicet litigantes putant judices remisse incumbere illorum causis. Quid vero dicendum, dum dantur ad extorquendam sententiam injustam, vel ne judices aliquod crimen detegant, habes *tract.* 13. *q.* 2. *cap.* 6.

VI. Aliud vitium in judicibus gravissime increpandum est, morositas scilicet in causis expediendis. Ita agendo peccant contra leges, quae exigunt celeritatem in judicando: *leg. Properandum cod. de judiciis;* contra munus proprium, quia sine causa procrastinant dicere unicuique jus suum; contra rempublicam, quam, praecipue dum agitur de causa criminali, deberent quantocyus a malis hominibus liberare; ac denique contra justitiam, nam procrastinatione cogunt majores expensas facere. Hanc ergo tarditatem et incuriam removeat a judicibus bonus confessarius: et si ipsorum culpa majores expensas coacti sunt facere litigantes, obliget eosdem judices ad restitutionem, utpote qui eas injusta actione causarunt.

* Traditum est superius judices graviter in suo munere deficientes ad damna parti laesae reficienda obstrictos esse, et hoc fieri aliquando potest, si cognita litis motae injustitia, ignorantia, vel negligentia graviter culpabili hujusmodi litis injustae auctorem ad expensas reficiendas non condemnaverint; tunc enim imperite judicant, et sic agendo, litem suam facere dicuntur. *

CAPUT II.

De inquisitione, et de modo quo debet judex procedere ad inquirenda delicta

Q. I. Quid sit inquisitio, et quotuplex.

R. I. Cum in praesenti sermo sit de inquisitione criminali, ea bene describitur dicendo quod sit: *Investigatio criminis, vel criminosi legitime per judicem facta.* * Gonzal. *in cap. In-*

quisitionis 21. *de accusat. l. Congruit ff. de offic. praesid. et cap. Qualiter et cap. Cum oporteat de accusat.* * Sanch. *t.* 2. *cons. l.* 6. *c.* 3. *d.* 16. *n.* 5. Haec definitio quamcumque inquisitionem, sive generalem, sive specialem comprehendit. Dicitur autem investigatio facta per judicem, ut designetur distinctio inquisitionis ab accusatione et denunciatione; nam in iis crimen judici defertur ab accusatore, vel denunciatore, in inquisitione vero ab eodem judice investigatur.

R. II. Inquisitio triplex est, generalis, specialis et mixta. Inquisitio generalis, dicta etiam generalissima, tunc datur, quando judex non quaerit in particulari nec de aliquo crimine, nec de delinquente, sed generaliter inquirit, an sint malefactores, ut ita non promoveantur indigni, arceantur peccata, et proscribantur homines scelesti: *leg. Congruit de off. praes.* auth. *de ss. episc. collat.* 9., *et cap. Grave de praeb.* Inquisitio specialis inquirit in particulari de delicto et de delinquente ut plurimum ad punitionem, quamvis et aliquando fieri soleat ad evitandum damnum tertii: ut dum inquiritur, an aliquis volens inire matrimonium, laboret aliquo impedimento; seu an aliquis volens aliquod officium sit eo indignus etc. * *arg. cap. Cum dilecti* 28. *et cap. Qualiter* 2. *de accusat.* Fagnan. *ibid. n.* 62. Marrant. *de ordin. judic. p.* 6. *tit. de inquisit. n.* 12. * Mixta tunc intervenit, quando inquiritur in particulari de delicto, et in generali de persona: ut quando inquiritur quisnam patraverit aliquod homicidium, vel quando inquiritur de persona determinata, et in generali de delicto; ut si investigetur, an aliquis in suo officio aliquod crimen commiserit. * Haec omnia docent Jul. Clar. *in pract. lib.* 5. *q.* 6. *n.* 6. Farinac. *tom.* 1. *pract. q.* 1. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 13. *n.* 107. et alii apud Salmant. *tom.* 6. *tr.* 29. *n.* 105. Reiff. *in* 5. *decret. tit.* 1. *n.* 150. *

Q. II. An conveniens sit inquisitio generalis.

R. Hujusmodi inquisitio, etsi nulla praecedat infamia, a jure approbatur: *cap. Romana* 1. §. *Sane de cens. in* 6. *c.* 1. *de offic. ord.* juncto Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 8., *et leg. Congruit* 13. *ff. de off. praes.* Absque eo quod ergo judex certo sciat esse aliqua delicta infamia notata, sat est si id suspicetur ex communiter contingentibus, et tunc potest inquisitione generali inquirere de delictis, et de criminosis ad hos puniendos, et ad crimina in futurum impedienda. * Et ulterius universalis et quotidiana tribunalium tam saecularium, quam ecclesiasticorum praxis confirmat, teste Reiff. *l. c. num.* 158. *

Neque dicas quod si non praecedat infamia, non possunt delicta manifestari. Contra etenim est, primo, quod ad manifestanda delicta in inquisitione generali non opus est ipsorum infamiam praecessisse apud judicem, sed sat est apud alios esse aliqua infamia notata; et tunc subditus tenetur ea manifestare, nisi prudenter credat, vel incuria judicis, vel ob alios humanos respectus manifestationem non esse profuturam. Sanch. *in cons. l.* 6. *c.* 2. *d.* 8. *num.* 1. Secundo, quamvis verum sit, ordinarie loquendo, delicta occulta non esse manifestanda in inquisitione generali, adeoque non desint qui velint judicem explicare debere, se non inquirere nisi de delictis infamia laborantibus, id tamen verum non est, si agatur de delicto quod sit contra bonum commune, contra religionem, qualia sunt haeresis, proditio civitatis, machinatio in vitam principis etc. sicut etiam si agatur de delicto committendo in damnum tertii, cui occurri non possit nisi illud judici manifestando. Multum ergo ad mores reipublicae reformandos prodesse potest inquisitio generalis. Fragos. *de regim. reip. christ. p.* 1. *l.* 5. *disp.* 12. *n.* 156.

Q. III. Quando judex possit procedere per inquisitionem specialem; et quando intelligatur praecedere infamia de aliquo delicto.

R. Etsi adsint testes, qui probare possint delictum, nihilominus judex non debet procedere ad inquisitionem specialem, ni adsit infamia, vel indicia gravia et manifesta, quae aequivalent infamiae. Ita habetur *cap. Qualiter et quando, c. Inquisitionis, cap. Cum oporteat de accusat.* Ratio autem est, quia nullus damnandus est sine aliquo accusatore; cum etenim judex medius sit inter eum qui vim intulit, et eum qui vim passus est, ut contra primum proferat sententiam, jam constat ultra reum debere esse in judicio aliquem, qui adversus malefactorem agat, et hic non potest esse nisi accusator formalis, de quo infra, vel virtualis, nempe infamia, quae sola gerere potest vicem accusatoris in inquisitione, in qua non datur formalis accusator. Neque dicas, testes sufficienter agere contra reum; nam ii non petunt justitiam judici adversus ipsum, sed solum instante aliquo contra reum, probant ipsius delictum: d. Th. 2. 2. *quaest.* 67. *art.* 3. Sanch. *l.* 6. *cons. cap.* 3. *d.* 17. Fagn. *in cap. Perniciosam de offic. judic. ordin.* Tunc autem praecedit infamia, quando adest opinio manifestata non a viris malevolis, sed honestis et probis, aliquem hoc vel illud crimen commisisse: *cap. Qualiter et quando. cap. In-*

quisitionis de accusat. Sicut ergo fama non sumitur ex eo quod sciunt et dicunt improbi, sed ex eo quod sciunt, et dicunt viri honesti, ita ex opinione illorum consurgit infamia. Quot autem viri probi ex vicino collegio, aut communitate requirantur, ut ex eorum dicto et opinione consurgat infamia, potius arbitrio prudentum est relinquendum, dum aliqui majorem partem proborum, alii pauciores requirunt. Soto *in relect. de tegend. secret. mem.* 2. *quaest.* 6. *dub.* 2. Suar. *de relig. t.* 4. *cap.* 12. *num.* 24. Sanch. *l.* 6. *cons. cap.* 3. *d.* 4. *n.* 5. Illud certum est quod quo graviora sunt crimina, et personae sunt graviores, major requiritur infamia. Fagn. *in cap. Qualiter de accusat.* Caeterum modo consuetudine receptum est, satis esse si judici constet de infamia, absque eo quod processum incipiat a probatione ipsius. * Jul. Clar. *lib.* 5. §. *fin. q.* 6. *n.* 1. *et* 4. Leur. *in* 5. *decret. q.* 43. *n.* 3. * Huic infamiae aequiparatur clamorosa insinuatio, ex qua judex potest ex citatis canonibus specialiter inquirere de crimine et de reo. Ea autem est vox fere totius populi, aut rumor multorum extrajudicialiter sparsus. Navar. *cap. Inter verba coroll.* 62. *n.* 628. Less. *l.* 2. *de just. c.* 29. *dub.* 12. *n.* 104. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *d.* 17. *num.* 6.

Addidi in responsione, vel nisi adsint indicia vera et manifesta. Certe igitur judex non potest procedere ad inquirendum specialiter ex indicio levi illum movente ad suspicandum; nam cum a talibus indiciis ordinarie absit veritas, non sine injustitia moveretur ex eis ad inquirendum contra aliquem cum periculo ipsum infamandi. Debent ergo indicia esse gravia, a quibus ordinarie non abest veritas, et semiplene probant. Praeterea non debent esse occulta, sed manifesta; nam solummodo ex indiciis manifestis potest oriri infamia, quae gerat vices virtualis accusatoris. Sanch. *cit. c.* 3. *dub.* 17. *n.* 5. Less. *de just. l.* 2. *c.* 29. *dub.* 15. * Quaenam vero in causis particularibus sint indicia levia, vel gravia, adeoque sufficientia ad inquisitionem, prudentis arbitrio judicis est relinquendum, ita tradit Farinac. *lib.* 1. *prax. crimin. q.* 1. *n.* 45. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 270. *n.* 4. quod tamen arbitrium regulandum est secundum jura et aequitatem, non pro mera judicis voluntate. Mascard. *q.* 15. *proemial. n.* 16. *

Q. IV. An aliquando judex procedere possit ad inquisitionem specialem, etsi non praecesserit infamia.

R. Primo potest procedere judex ad inquisitionem specialem, si praecedat denunciatio criminis facta a publico officiali, seu ministro, ita enim exposcit bonum publicum; cum etenim ordinarie homines abstineant a denunciando, ne exploratores appellentur; nimis crescerent delicta, si judex non posset procedere ad specialiter inquirendum etiam sine infamia de criminibus, quoties publicus officialis ea denunciet. * Fagnan. *in cap. Qualiter de accusat. arg. l. D. Adrianus 6. ff. de custod. reor. et l. Ea quidem 7. C. de accusat.* * Secundo, quamvis multi negent, potest procedi ad inquisitionem specialem, si adsit denunciatio *judicialis* alicujus privati, exposcentis nempe publicam vindictam de aliquo crimine; si etenim requiritur infamia, ut gerat vicem accusatoris, jam talem vicem praestat ipsa denunciatio. Lez. *t.* 1. *c.* 17. *n.* 19. Pass. *trib. reg. q.* 8. *art.* 4. *n.* 17. Lug. *de jus. d.* 37. *n.* 64. praeterea in denunciatione judiciali denunciator solet indicare testes et media ad probandum, quae certe aequivalent indiciis, cum quibus diximus supra posse procedi ad inquisitionem specialem. Quod si haec alicui viderentur contraria ss. canonibus, respondendum non fieri contra ss. canones, quoties adest aliquid aequivalens ipsi infamiae. Ulterius consuetudo contraria potuit propter bonum publicum, ut paulo ante dixi, ipsis derogare; nam solum est de jure positivo quod non procedatur ad inquisitionem specialem nisi infamia praecedente. * Less. *lib.* 2. *cap.* 29. *numer.* 132. Pirrhing. *in* 5. *decret. n.* 64. *ad fin.* Reiff. *num.* 183. Azor. *par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 17. *dub.* 3. *vers. Quarto*, Lug. *disp.* 37. *n.* 64. *; et de jure naturae solum est vel quod praecedat infamia, vel aliquid aequivalens. Tertio non requiritur praevia infamia ad inquirendum de delicto connexo cum eo, de quo reus est confessus, aut convictus; Sanch. *l.* 6. *cap.* 3. *dub.* 21. * Lug. Less. Wiestn. apud Leur. *l. c. q.* 46. *n.* 6. * Quarto non requiritur infamia, si inquiratur de quibusdam criminibus, quae graviter officiunt bono publico; ut si judex inquirat de publicis latronibus, de falsariis monetae, de maleficis, de strigibus, fascinatoribus, grassatoribus, haereticis, de crimine laesae majestatis etc. nam bonum publicum exposcit, ut haec crimina cito removeantur et puniantur. Less. *l.* 2. *c.* 29. *d.* 15. *n.* 129. Verum tamen est non debere judicem temere de iis contra aliquem inquisitionem instituere: inquisitus enim semper multum famae deperdit, sed debet de eo gravem habere suspicionem. Sicuti non praerequiritur infamia,

ut judex inquirere possit de his delictis, ita neque requiritur formalis accusator. Sayr. *lib.* 12. *c.* 11. *n.* 9. * Ita cum Navarr. Sot. et aliis Salmantic. *t.* 6. *tr.* 29. *n.* 132. *

Quinto non praerequiritur infamia, si delictum sit notorium (quamvis impossibile sit non adesse infamiam, si sit tale) commissum nempe cum pluribus, vel in loco publico. Sexto si committatur crimen coram judice sedente pro tribunali: *l. Ea quidem C. de accusat. et cap. Tua nos de cohabit. cler. et mulier.* ut si ibi tabellio falsitatem committat. Septimo si quis publice crimen fateatur: *cap.* 1. *de accusat. in* 6. Quod si quis coram duobus, vel tribus, seu etiam coram praelato lapsu linguae extrajudicialiter crimen fateatur, vel de eo certioretur praelatus aliquam literam aperiendo, non potest ex hoc institui inquisitio specialis; quia non daretur nec accusator, nec infamia. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *dub.* 19. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 15. *n.* 124. Azor. *p.* 3. *lib.* 13. *c.* 17. *dub.* 3. Solum posset fraternaliter corripi. Octavo quando delictum committitur in ecclesia contra ecclesiasticos: *leg. Si quis in hoc genus C. de episc. et cler.*

Nono non requiritur infamia, si instituta judiciali inquisitione generali, aliquis in specie denuncietur pro delinquente: *arg. cap. Excommunicamus* §. *Adjicimus de haeret. il* 1. Et de facto ita est universalis consuetudo; et aliunde si non liceret tunc specialiter inquirere, frustranea esset inquisitio generalis. Quod si inquisitio generalis fuit paterna, non licet ex ea descendere ad inquisitionem specialem. * Reiffenst. *l. c. n.* 187. Less. *l. c. n.* 175. Pirhing. *n.* 64. *

Decimo cum canones, dum exigunt infamiam, loquantur de delictis praeteritis, poterit judex inquirere sine infamia de delictis in fieri; jus etenim naturae exigit, ut impediatur damnum innocentis, quomodocumque cognoscatur. Navarr. *in sum. c.* 25. *num.* 26. Idem dicas, si judex inquirat ad damnum praecavendum, non ad punitionem; ut si inquirat de merito alicujus, ne indignus ad aliquod officium, seu beneficium eligatur: *cap. Postquam cap. Nihil de electione;* vel si inquirat, an aliquis laboret impedimento ad contrahendum matrimonium. Azor. *p.* 3. *l.* 13. *cap.* 17. *dub.* 3. * *cap. fin. de clandest. desponsat.* Sotus, Azorius, et alii apud Salmant. *l. c. n.* 134. * Constat enim jus naturae exigere, ut haec damna omnino removeantur.

Demum non est necessaria infamia, si judex, vel praelatus inquirat ad fraternitaliter corrigendum; nam canones solummodo eam exigunt ad punitionem judicialem. * Et

docet Abbas *in cap. Qualiter n.* 17. Fagnan. *ibi num.* 45. Sanchez. *l. c. dub.* 25. *num.* 4. *

Q. V. An judex possit procedere per inquisitionem mixtam.

R. Aliqui dicunt, quod etiamsi delictum sit publicum, non possit judex inquisitionem facere de malefactore occulto, quia de eo non praecessit infamia, ut exigunt jura. Nihilominus sententia contraria est probabilior et communior; nam ea videtur consona *cap. Romana de censib. in* 6. Praeterea si judex procedere potest ad inquisitionem specialem stante accusatore, poterit etiam procedere stante evidentia delicti, quae gerit vices accusationis. Demum probatur, quia quod praerequiratur formalis infamia, est de jure tantum positivo, unde illi potuit derogari per contrariam consuetudinem, quae invaluit in foro ecclesiastico et saeculari. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 14. *num.* 114. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *dub.* 20. *n.* 2. * Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 2. *n.* 3. Suar. *t.* 4. *de relig. lib.* 10. *cap.* 11. *n.* 4. Lug. *disp.* 37. *n.* 58. *

Verum nihilominus est, quod si delinquens sit occultus, nec de eo detur aliqua infamia, testes interrogati non tenentur, nec debent illum manifestare, quoties non esset aliquis valde facinorosus, unde ejus punitio expediens esset pro publico bono. Filliuc. *tr.* 40. *in* 8. *praec. c.* 6. *n.* 184. Fragos. *de reg. reip. christ. p.* 1. *lib.* 5. *d.* 13. *n.* 69. Ratio est, quia dum delinquens est occultus, jam est in possessione suae famae, qua expoliandus non est, si ita non expediat pro publico bono. Neque per hoc dicenda est frustranea hujusmodi inquisitio mixta; nam, ut alias dictum est, inquirendo de tempore et modo delicti, judex potest habere specialem notitiam de delinquente. Ulterius si delinquens sit occultus judici, potest laborare infamia apud eos, qui interrogantur, a quibus proinde esset tunc manifestandus. Demum videns populus inquiri de malefactore, non scandalizatur; et malefactores absterrentur a delictis perpetrandis. * Videantur Salmant. *l. c. a n.* 150. qui contrariae sententiae fundamentis fusius respondent. *

Regulae in praxi attendendae.

I. Dum fit inquisitio generalis apud rusticos et rudes, si id non praestent judices, deberent parochi monere populos, ut non manifestent delinquentes occultos, si adeo non sint facinorosi, ut graviter officiant bono publico; nam dum isti sunt in possessione suae famae, et non adsit causa praefata, non debent ea expoliari. Monendi ergo sunt in hujus-

modi inquisitionibus solum inquiri de iis, qui aliqua infamia laborant; vel de iis, a quibus vel publici boni, vel privati grave malum timetur, et hos solum esse manifestandos.

II. Confessarius moneat judicem, vel praelatum velle jura, ne tam faciles sint ad sumendam denunciationem contra ecclesiasticos sive regulares, sive saeculares, ni veniat a viro spectatae virtutis: *can. Si quis vero d.* 86. neque curandas literas occultas contra eosdem: *cap. Inquisitionis de accus.* quamvis nominarentur testes delicti. Glossa *in c.* 1. *de offic. ordin.* nam adhuc non intervenit infamia. Dicat proinde illi, quod in tali casu non judicialiter, seu ad vindictam criminis, sed tantum paterne inquirat contra reum.

III. Advertat confessarius aliquando judices criminales assuetos agere cum facinorosis, atque poenas infligere, nil magis optare quam a testibus, vel reo notitiam extorquere delicti. Videat igitur, ne id injuste faciant, ut si in casibus non exceptis interrogarent specialiter contra aliquos de delicto, de quo non praecessit infamia; si minitarentur reo, vel testi, dum non adest sufficiens fundamentum, torturam, carcerem, sive aliam gravem poenam; si spem immunitatis, dum sunt judices subalterni, reo promitterent etc. Insuper moneat omnia ex tali notitia habita, utpote contra jus extorta, annullanda esse: *l. Non dubium C. de leg. et leg. fin. ff. de constit. pecun.* nec proinde posse reum condemnare: quinimmo cum injuste egerint, debere compensare omnia damna, quae exinde reo causaverint Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *d.* 19. *n.* 8. *et dub.* 39. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 29. *d.* 18. *a n.* 172.

CAPUT III.

De accusatore.

Q. I. Quid sit accusatio judicialis, et quae requirantur ad legitimam accusationem.

R. I. Accusatio judicialis ita communiter definitur: *Delatio alicujus criminis legitime facta apud judicem competentem ad publicam vindictam*: *arg. leg. fin. C. de accus.*

R. II. Ad legitimam accusationem plura requiruntur. Primo quod si crimen non sit de levioribus, fiat in scriptis: *leg. Libellorum* 3. *ff. de accusat. can.* 1. *caus.* 2. *quaest.* 8. quamvis moderna praxis et consuetudo ferat, ut oretenus prolata per notarium in scriptis redigatur ut communiter docent canonistae et legistae: * Clar. §. *fin. q.* 12.

n. 6. Azor. *par.* 3. *l.* 13. *cap.* 19. Salyc. *in l. penult. cod. de accusat.* Reiff. *n.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 1. * Secundo requiritur, ut accusatio fiat apud judicem competentem, alias processus et sententia, utpote provenientes a non habente auctoritatem, nullae essent: *leg.* 1. *et leg. fin. C. si a non competente.* Tertio exprimendum est nomen judicis, ad videndum si sit competens, nomen accusatoris et accusati, ad videndum si possint accusare et accusari, species delicti, locus ipsius, et saltem annus et mensis, in quo perpetratum est; si etenim haec non exprimantur, accusatio est incerta, et adimitur reo potestas se defendendi: *can. fin.* §. *Libell. c.* 2. *q.* 8. *et leg. Libell.* 3. *ff. de accusat.* Exprimendus etiam esset dies et hora delicti, si ita exposceret accusatus, quia necessarium reputaret ad sui defensionem: *leg. Libellor. cit.* * Quia nempe ostendere possit illa die aut hora se absentem a loco delicti fuisse. Leur. *in* 5. *decret. q.* 7. Reiff. *ibi n.* 9. Less. *l. c. n.* 5. * Quarto vi hujus legis explicanda est dies accusationis; nam ex ea potest probari in judice non amplius auctoritatem fuisse, vel eo tempore accusatorem fuisse inimicum accusati. Azor. *p.* 3. *n.* 13. *c.* 19. Less. *l.* 2. *de just. c.* 30. *n.* 2. Ant. a Sp. S. *in direct. regul. tr.* 4. *d.* 3. *sect.* 7. *n.* 166.

* In accusationis definitione explicata superius traditum est, debere ea fieri apud judicem competentem. Porro judex competens est ille, cui reus vel loci, vel domicilii, vel quasi domicilii, vel originis, vel delicti ratione subditur, unde quia clerici respectu judicis saecularis non sunt ullo modo subditi, accusatio coram eo facta nulla erit. Videantur canonistae *in* 1. *decret. tit.* 32. *de officio judicis et in* 2. *tit.* 2. *de for. compet.* *

Quinto debet constare de accusatore. Et quidem jure antiquo id fiebat ipsius subscriptione, qua se obligabat ad probandum crimen, vel ad poenam talionis, hoc est, ad poenam, quam reus pati debuisset, si defuisset in probatione: *cap. Super his* 16. *de accus. can. Quisquis* 3. *et can. Qui crimen* 4. *caus.* 2. *quaest.* 8. *leg. Si cui* 7. *ff. de accusat.* Verum sicut subscriptio non amplius est in usu, ita et poena talionis commutata est in poenam arbitrariam, ne cum praejudicio boni publici homines removeantur ab accusando. Covarr. *var. resol. l.* 2. *cap.* 9. *num.* 5. * Clar. *lib.* 5. *prax. crim.* §. 2. *q.* 81. *n.* 3. * S. Pius V. innovavit poenam talionis contra eum, qui malitiose accusaret innocentem de criminibus blasphemiae, sodomiae et concubinatus; neque desunt

qui extendunt eamdem constitutionem ad malitiosam accusationem de aliis criminibus. Passer. *trib. regul. quaest.* 7. *numer.* 44.

Demum ad accusationem judicialem, et criminalem requiritur ut fiat ad publicam vindictam, ut scilicet absterreantur malefactores; videndo reum expoliari offiicio, seu dignitate; vel poena corporali aut pecuniaria mulctari. Quod si accusatio fiat ad utilitatem et satisfactionem accusatoris, vel alterius, qui damnum passus fuit, dicitur accusatio civilis: §. *In summa* 10. *inst. de jurejur.*

Q. II. In quo differat accusatio a denunciatione

R. Ex dictis accusator tenetur probare delictum, denunciator vero, etsi denunciet judicialiter, intendendo punitionem delicti, non tenetur illud probare; multo minus ad id tenebitur, si fraterne denunciet, deferendo scilicet delictum judici non ut tali, sed ut patri, intendendo non ipsius punitionem, sed emendationem delinquentis, ut videbimus infra. * Videantur Sanch. *lib.* 6. *cons. cap.* 2. Azor. *l. c. cap.* 21. Reiff. *l. c. n.* 14. *et* 58. *

Q. III. An aliquando sit obligatio accusandi delicta.

R. I. Si delicta sint contra bonum publicum et in fieri, adest obligatio accusandi, si possint probari, vel ea denunciandi, si probari non possint. Ratio est, quia unusquisque saltem ex charitate tenetur prospicere bono publico; si ergo immineat aliquod crimen contra ipsum, tenebitur ei prospicere, et quidem per accusationem, si crimen probari possit, et ea sit necessaria ad impediendum tale delictum; vel saltem per denunciationem; si non possit probari, vel ea sufficiens sit ad delictum removendum: div. Thom. 2. 2. *quaest.* 68. *art.* 1. Lugo *de justit. disp.* 38. *sect.* 1. *a. n.* 2. Sanch. *in cons. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 26. *num.* 4. Caeterum delicta contra bonum publicum sunt rebellio, et conjuratio in principem, proditio civitatis, expilatio publici aerarii, falsificatio monetae, publica furta, assassinia, seu latrocinia, hisque similia: * S. Thom. 2. 2. *quaest.* 33. *art. in corp.* Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *num.* 6. addit Lug. *d.* 38. *n.* 2. peccatum aliquod turpe in religioso, quod probabiliter publicabitur, et in magnum religionis detrimentum cedet. *

Dixi, si delicta sint *in fieri*; nam si jam facta sunt, et non adsit periculum quin iterum committantur, nullus tenetur ea accusare, vel denunciare; quia curare vindictam criminis jam patrati ad aliorum exemplar non est munus personae privatae, sed publicae auctoritatis. Filliuc. *tr.* 40.

cap. 7. *n.* 216. An vero denunciandus sit haereticus, cujus delictum probari non possit, dixi *tr.* 6. *quaest.* 1. *cap.* 6.

R. II. Si delictum est in fieri, et est in praejudicium innocentis, si alia via non suppetat, accusatione est impediendum; charitas enim exposcit, ut innocens contra nocentem defendatur, semper cum fieri potest sine gravi praejudicio, juxta ea quae dicta sunt in tr. de charitate. Tolet. *l.* 5. *instr. sacerd. cap.* 57. Haec obligatio non adest, quoties delictum jam est perpetratum, ex dictis paulo ante, et dum nil supersit reparandum; quod superesset, si fur ex. gr. nollet ablata restituere, vel detractor famam.

R. III. Officiales destinati a republica, ut aliorum crimina accusent, vel denuncient, omittendo accusationem, vel denunciationem nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Ratio est, quia accipiendo salarium, ut hoc officium praestent, sese contractu saltem virtuali obligarunt; obligatio autem, quae oritur ex contractu, non est praecise charitatis, sed justitiae. Eximuntur autem hi ab accusando, quoties cognoscunt aliquem deliquisse, vel ex inconsideratione, vel ex necessitate. Navarr. *sum. cap.* 17. *num.* 222. Filliuc. *tract.* 40. *cap.* 7. *n.* 218. *et* 221. * Videantur Salmant. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 13. *

R. IV. Quando aliquis passus est aliquam injuriam, licet possit accusare delinquentem, quia dum sine odio exposcitur vindicta injuriae, exposcitur actus justitiae; nihilominus non tenetur accusare. Ratio est, quia unusquisque cedere potest juri suo; et ulterius in evangelio commendatur dimittere injurias propter Dei amorem: d. Thomas. 2. 2. *quaest.* 68. *art.* 1. Id tamen non habet locum, dum injuria accepta redundaret etiam in grave damnum tertii; nam nemo potest cedere juri suo cum gravi damno proximi, et maxime domesticorum. Exemplum sit in patre, cui ablata injuste fuerint plura bona cum gravi damno familiae; vel cui falso impositum sit grave aliquod crimen, unde infamia in familiam etiam resultaret. Filliuc. *tr.* 40. *c.* 7. *n.* 210. Sanch. *in cons. l.* 6. *cap.* 3. *d.* 26. *n.* 4. *et* 7. * Lug. *l. c. n.* 4. Soto *de regend. secret. membr.* 2. *quaest.* 5. *conclus* 2. Sanch. *loc. cit. cap.* 3. *dub.* 26. *n.* 4. *et* 7. *

Q. IV. An accusationi praemittenda sit correctio fraterna.

R. I. Si delictum, vel notorietate facti, vel ratione infamiae sit publicum, non est praemittenda accusationi fraterna correctio. Ratio est, quia ex tali delicto non solum persona privata passa est offensam, sed et ipsa communi-

tas ex eo scandalizata, cum publice peccando potuerit delinquens pravo exemplo alios incitare ad similia perpetranda. Offensae autem factae communitati non satisfit per secretam correctionem ordinatam solum ad emendationem delinquentis, sed per publicam punitionem; d. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 1. *dub.* 27. *n.* 5.

R. II. Etiamsi crimen sit probabile per duos, vel tres testes, nihilominus si speretur fructus, praemittenda est fraterna correctio, antequam judici deferatur. Supposito igitur non esse necesse reparare alicui scandalo, eo quod alias delictum non sit notorium, neque ex eo aliquod damnum imminere, probatur quod dixi, quia charitas dictat procurandam emendationem fratris cum minori damno, quo fieri possit. Si ergo speretur fructus, non expedit publice accusare fratrem de delicto. Salm. *tract.* 29. *cap.* 2. *num.* 21. Pal. *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *punct.* 15. *num.* 4. Less. *lib.* 2. *c.* 36. *d.* 2.

Caeterum observare est ipsam personam offensam non teneri praemittere correctionem fraternam; nam potest petere satisfactionem injuriae sibi illatae per poenam reo imponendam. Item non est praemittenda fraterna correctio, dum agitur de delictis valde reipublicae noxiis, ut sunt haeresis, proditio civitatis etc. nam compertum est in praxi hujusmodi delinquentes ex corretione non emendari. Praeterea si praemitteretur correctio, in gravi periculo poneretur publicum bonum; nam hujusmodi delinquentes facillime simularent emendationem, et interim occulte exequi possent, quod machinati fuissent. Videnda quae dixi *tract.* 6. *q.* 1. *cap.* 6. *q.* 2. *et. q.* 3. *cap.* 4. *q.* 3. *et.* 4. * Videantur. Azor. *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 19. *dub.* 3. Sot. *de secret. membr.* 2. *q.* 6. *concl.* 4. Gloss. *in cap. Heli de simon.* Pal. *t.* 1. *tr.* 6. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 12. *

Q. V. Quinam a jure prohibeantur ab accusando.

R. Ratione aetatis accusare non potest impubes, seu pupillus: *can.* 14. *caus.* 2. *l.* 8. *ff. de accusat.* Minores excluduntur a sola accusatione adulterii, ni esset violatum ipsorum matrimonium: * *l. S. maritus* 15. §. 6. *ff. ad leg. Jul. de adult.* * *Ob sexum* repellitur ab accusando mulier: *can. Prohibentur* 14. *caus.* 2. *quaest.* 1. *et leg.* 8. *citat.* Ratione officii ad accusandum non admittebantur milites, sed contraria invaluit consuetudo. * Farinac. *t.* 1. *in prax. crimin. q.* 13. *n.* 14. * Item supremi magistratus superiorem non agnoscentes; cum enim nequeat accusari, seu in jus voca-

ri, nec aequum est ut alios accusare valeant: *leg.* 8. *cit.* * *l. Nec magistratibus ff. de jurejur. et l.* 4. *C. de offic. praef. praet. orient.* * Defectu corporis, vel animi repelluntur ab accusando surdi et muti a nativitate: *arg. l.* 1. §. 3. *ff. de postulan.* sicut furiosi et mentecapti: *leg. dummodo* 2. §. 1. *ff. de procur.*

Ratione *delicti* jure civili repelluntur ab accusando infames infamia juris, hoc est, qui per publicum judicium infamiam incurrerunt; vel qui commiserunt delictum, cui a jure annexa sit infamia: *leg. Qui* 4. *ff. de accusat.* Jure canonico repelluntur etiam laborantes infamia facti, uti sunt criminosi, quamvis nec accusati nec condemnati: *can si qui sunt* 17. *can Quaerendum* 18. *caus.* 2. *q.* 1. *junct. cap. Cum in tua* 27. *de sponsal.* Reiff. *n.* 22. Clar. §. *fin.* *q.* 14. *a n.* 9. Item ratione delicti post litem contestatam accusatus non valet accusare suum accusatorem, nisi illi objiciat majus crimen eo, de quo ipse fuit accusatus: *leg.* 1. *C. de his qui accusare etc.* vel nisi prius se purgaverit; *can.* 1. *et* 3. *caus.* 3. *quaest.* 11. *cap. fin. de test.* Demum ratione delicti accusare non valet excommunicatus: *can.* 1. *et* 2. *caus.* 4. *q.* 1. *cap. Intelleximus* 7. *de judic. et cap.* 1. *de except.*

Ob suspicionem calumniae repelluntur ab accusando graves et capitales inimici: *can.* 2. *caus.* 3. *q.* 5. *cap. Meminimus* 13. *cap. Cum oporteat* 19. *de accusat.* sicut etiam cohabitantes et frequenter versantes cum eodem inimico *can. accusatoribus* 3. *caus.* 3. *quaest.* 5. nam amici accusatoris censentur inimici accusati: *can.* 1. *dist.* 93. Ob suspicionem pariter calumniae excluditur accusatio illius, qui aliquando dixit falsum testimonium: *l. Alii* 9. *ff. de accus.* vel qui semel calumniatus est: *l. Si cui* §. 3. *ff. eod.* vel qui recepit pecuniam ad accusandum, vel non accusandum: *leg. Is qui* 4. *et leg.* 8. *ff. eod.* Eadem suspicione laborare solent valde pauperes, ni sint vitae tam honestae, ut merito judex credat liberos esse a tali suspicione: *can. Si quis, can. Quaerendum* 18. *caus.* 2. *q.* 1. Ob suspicionem tandem calumniae repelluntur pagani, haeretici, seu judaei ab accusandis christianis: *can. Pagani* 24. *c.* 2. *q.* 7.

Ob conjunctionem sanguinis, vel reverentiam filii accusare non possunt parentes: novell. 115. *cap.* 3. §. 3. et e contra: *arg. l.* 3. *C. de patr. potest.* nec fratres, aut sorores se invicem: *leg. si magn.* 13. *C. de his qui accus non possunt.*

Ratione status repelluntur ab accusando servi, cum neque civiliter agere possint in judicio: *l. servus* 6. *C. de ju-*

dic. Item ratione status clerici; et religiosi accusare non possunt criminaliter: *can. Sacerdotes* 51. *c.* 2. *q.* 7. *can. Sicut* 6. *ibid.* et praecipue si infligenda sit poena sanguinis: *cap. Sententiam* 9. *ne cler. vel monachi.* Caeterum religiosi ab accusatione sui praelati non sunt repellendi; quia interest monasterii non habere malum praelatum: *cap. Ex par.* 11. *de accus.* Duo tamen sunt hic advertenda,

Primo praefati admittuntur ad accusandum (excipe surdos et mutos a natura, et mentecaptos) dum agitur de criminibus atrocissimis, et exceptis, qualia sunt quae directe contra Deum sunt, ut apostasia, haeresis, blasphemia, simonia, magia etc. vel graviter bono publico adversantur, ut crimen laesae majestatis, rebellionis, latrocimii, annonae fraudatae, falsi testimonii etc. ita enim exposcit ratio boni publici. Salm. *t.* 5. *tr.* 29. *c.* 2. *a n.* 26. Farinac. *l.* 1. *crim. qq. q.* 43. *num.* 57. *etc.* Passer. *in trib. reg. q.* 12. *art.* 14. *num.* 60. Nihilominus et ab accusando in his criminibus repelluntur capitales inimici; quanquam enim valde intersit reipublicae, ne ea impunita remaneant, multum etiam interest, ne quis injuste damnetur, quod facile evenire posset, si admitterentur ad accusandum inimici capitales. Decian. *tract. crimin. lib.* 3. *c.* 25.

Secundo praefati omnes, excommunicatis exceptis, non excluduntur ab accusatione, quoties agunt de propria causa, vel suorum: *leg. Hi tamen* 11. *ff. de accus.* et ita bene admittitur capitalis inimicus ad accusandum illum, qui sibi injuriam, vel damnum irrogavit. Mascard. *de probat. concl.* 899. *a num.* 2.

Dum clericus accusat delinquentem pro auferendo propriam injuriam, vel suorum, vel suae ecclesiae, et agatur de delicto, cui correspondeat poena sanguinis, debet praemittere eam protestationem, de qua dixi *tr.* 4. *quaest.* 7. *cap. ult. quaes.* 1. *resp.* 2. Si delicto non correspondeat poena sanguinis, possunt sine ulla protestatione accusare criminaliter: *cap. Cum. sit. generale de for. compet.* dummodo semper agatur de causa, seu injuria propria, suorum, vel ecclesiae, non vero aliorum, si alias ita non exposceret jus naturale: *cap. Sicut sacerdotes* 2. *quaest.* 7. * Et docet Abb. *in cap.* 10. *de accusat. n.* 8. Sanch. *lib.* 6. *cons. cap.* 1. *dub.* 30. *n.* 3. Covarr. in clement. *Si furiosus p.* 2. §. 5. Molin. *de just. tom.* 4. *disp.* 8. *n.* 3. *et* 4. * Cum igitur a jure permittatur clerico posse accusare etiam in causa suorum, controvertunt DD. qui nomine suorum sint intelligen-

di. Volunt quidam non posse accusare etiam in causa, seu injuria illata parentibus et fratribus, nisi simul damnum in ipsum clericum redundet. Molin. *tom.* 4. *de just. tr.* 3. *d.* 8. *n.* 8. Verum bene nomine suorum etiam omnes domestici, consanguinei, et cognati usque ad quartum gradum intelliguntur, hi etenim omnes recte sui dici possunt. Palaus *de censur. disp.* 6. *p.* 14. §. 2. *n.* 6. Pellizar. *tr.* 2. *c.* 5. *sect.* 3. *n.* 181. * Hanc eamdem sententiam amplexati sunt Salm. sed incidenter *tom.* 2. *tr.* 10. *cap.* 9. *n.* 17. quamvis postea *tom.* 6. *tr.* 29. *cap.* 2. *n.* 42. contrariam tenere videantur. Covar. in d. Clement. *Si furiosus n.* 4. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 5. Suar. *de censur. disp.* 47. *sect.* 2. *n.* 17. Passer. *in cap.* 2. *de homicid. in* 6. *

Regulae in praxi observandae.

I. Dum agitur de delictis contra bonum publicum, dictum est cessare obligationem denunciandi, quoties delictum jam patratum est, et non adest periculum, ut renovetur. Advertat nihilominus in praxi confessarius illos facinorosos, qui talia crimina committunt, facilius esse simulare emendationem, quam vere esse emendatos; nam e. g. conjurantes in patriam, falsificantes monetam, publici latrones, assassini etc. sunt homines deperditae omnino conscientiae, adeoque sine fundamento, si non dentur in contrarium valde graves rationes, speratur emendatio. Hinc raro cessat obligatio eos accusandi.

II. Observet confessarius difficiliter homines induci ad accusandum, ne in ore aliorum veluti exploratores traducantur. In casibus ergo, in quibus de jure naturae unusquisque tenetur accusare, moneat suum poenitentem, quod, si non vult accusare per seipsum, id faciat per alium e. g. per publicum officialem, vel aliam personam, dummodo tamen per hos possit sufficienter media edocere ad avertendum delictum contra publicum bonum.

III. Quandoque adfuit indoctus ecclesiasticus, qui sciens grave crimen esse patrandum, nec posse impediri nisi illud judici deferendo, ab hoc abstinuit, quia putavit ss. canones violare. Hujusmodi non parum ignorantes quam maxime redarguat confessarius; nam nec valent dignoscere ecclesiam non velle, nec posse aliquid contra jus naturae imponere.

IV. Moneat confessarius poenitentes, ut dum non adest obligatio accusandi, fere semper ab ea desistant. Ut plu-

rimum interveniunt odia, falsa juramenta, subornationes testium, aliaque peccata. Hinc semper prius prospiciendum, an per fraternam correctionem possit delinquens reduci ad bonam frugem; sicut etiam an accusatio sit profutura, supposito quod delinquens fraterne correctus non sit emendandus.

* Quamvis possit quisque reum criminaliter accusare, ad hoc ut debitas pro sibi suisque illatis injuriis poenas luat, attamen animadvertat confessarius, ne hoc fiat ob solum odium in reum, et vindictae amorem. Revera enim in praxi difficile valde est, justitiam et commune bonum sincero animo spectare, et ab omni ulciscendi libidine immunem se servare, injuriarum actionem coram judice intentando; cum nimis in hominum corda se insinuet vindictae amor, praesertim cum agatur de gravi poena infligenda, ut advertit Laym. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 4. *n.* 3. Viv. *de charit. art.* 5. *n.* 3. Hinc prudentis et pii confessarii partes erunt suadere poenitentibus offensis, ut ab accusando abstineant, et potius actionem remittant. Vid. dicta superius *tr.* 6. *q.* 3. *cap.* 2. *quaer.* 2. *

* Solent quandoque praesertim rudes promittere etiam cum juramento delinquenti eum non accusare: videat confessarius, an ista promissio versetur circa delicta excepta; si ita sit, in eo casu non obligat promissio, neque juramentum, cum non debeat esse iniquitatis vinculum; neque ad peccatum trahere; peccaret enim omittendo accusationem etiam sine promissione. Sanch. *lib.* 3. *in decal. cap.* 9. *n.* 19. multis adductis, vel facta sit ante patratum delictum: cum enim foveret delinquentes, et delinquendi ansam praeberet, neque in hoc casu tenet, sed debet rescindi juramentum et pactum dissolvi, ut cum Sanch. *d. cap.* 9. *n.* 28. et multis aliis docet Lug. *d.* 38. *n.* 6. *

* Traditum est superius cum pluribus theologis, posse clericum accusare delinquentem in causa, seu injuria illata sibi, vel suis, quorum nomine intelligi domesticos et consanguineos usque ad quartum gradum dictum est. Inter eos enim tanta esse conjunctio videtur, ut uni ex iis injuria illata in propriam personam redundare censeatur, ut notant auctores supra relati. Ex hac ratione censet Suar. *l. c.* posse ab eodem clerico injuriantem accusari, quoties aliquem amicum, aut etiam extraneum injuria afficiat, vel in ejus domo, vel in alia simili circumstantia, quae faciat, ut alterius injuria, ut propria reputetur. *

CAPUT IV.

De denunciatore.

Q. I. Quid sit denunciatio evangelica, et quotuplex.

R. I. Denunciatio bene in praesenti potest ita definiri: *Delatio alicujus criminis facta Superiori; ut remedium, aut correctionem, vel poenam ex officio adhibeat.* In accusatione, quae junctum habet onus probandi delictum, praecise et determinate petitur punitio criminis, at in denunciatione vel correctio, vel punitio ad judicis arbitrium, neque adest onus probandi delictum. Ex his patet manifestum discrimen inter accusationem et denunciationem. Azor. *p.* 3. *instit. moral. l. c. cap.* 21. Sanch. *in cons. l.* 6. *cap.* 2. *in proaemio.*

R. II. Omissis superfluis divisionibus, denunciatio dividitur in evangelicam, seu paternam, aut fraternam et judicialem. Denunciatio evangelica ea est, quae fit Superiori tamquam patri ad emendationem, non ad vindictam delinquentis. Quod si fiat instando, ut nulli aperiatur delictum, sed secreto delinquens corrigatur, dicitur facta Superiori, tanquam patri privato; si vero denuncians velit delinquentem corrigi etiam coram aliis, sed tantum charitative et fraterne, dicitur facta Superiori tanquam patri communi. Denunciatio judicialis ea est, qua crimen defertur Superiori tanquam judici, scilicet vel ad illius publicam vindictam, vel ad recompensandum damnum illatum, vel ad arcendum indignum a dignitate seu officio etc. Quamvis autem denunciator non teneatur se subscribere, nec delictum probare, nihilominus, iis exceptis, ad validam denunciationem requiruntur omnia ea, quae dixi requiri ad accusationem. Tenetur etiam denunciator nominare testes, aliaque requisita ad probationem: *arg. l. Ab accusatione* 6. §. 3. *ff. ad s. c. Turpill.* saltem eo tempore, quo eis necesse est ad probandum. * Videri potest Reiffenst. *loc. cit.* §. 2. Leur. *quaest.* 21. *

Q. II. An denunciationi praemittenda sit fraterna correctio delinquentis.

R. Generaliter loquendo, ea est praemittenda, ut dixi *tr.* 6. *q.* 3. *c.* 4. *quaesit.* 4., ubi adducuntur plures casus, in quibus haec regula non est attendenda; et plura alia etiam jam dixeram *quaest.* 1. *cap.* 6. *quaes.* 2.

* Haec intelligi debent de denunciatione evangelica. Si enim de judiciali loquamur, minime necessario praecedere

debet fraterna correctio; quia ea denunciatio loco accusationis succedit, accusationi autem non debet monitio praecedere, ut dictum est superius. Less. *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 2. Palaus *tr.* 6. *disp.* 3. *punct.* 16. *n.* 3. Molin. *tr.* 4. *disp.* 32. *n.* 6. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 13. Salmant. *tr.* 29. *cap.* 2. *n.* 52 Reiff. *l. c. a n.* 98. *ad* 103. contra Azor. *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 25. *dub.* 5. et alios. Neque obstant textus et canones a contrariae sententiae doctoribus allegati; nam ii, vel non loquuntur de denunciatione judiciali proprie tali, vel fuere contraria consuetudine abrogati. Reiff. *l. c. n.* 101. Leur. *q.* 34. *

Q. III. An judex, seu praelatus, facta denunciatione evangelica, dum monitio non prodest, possit transire ad ordinem judicialem, mandando e. g. denunciatori, ut faciat denunciationem judicialem.

R. I. Si crimen nequaquam sit probabile per testes, non licet transitum facere ad denunciationem, seu inquisitionem judicialem. Ratio est, quia judex judicialiter inquirere potest et punire, quae secundum formam juris possunt probari. Debebit ergo Superior removere ab hoc subdito, si certo sciat ipsum delinquere, occasiones peccandi, quatenus possit hoc facere sine ipsius infamia. Poterit ipsum monere coram denunciante, sive duobus gravibus et secretis viris, et minitari se in posterum diligentius ejus vitam exploraturum. Poterit etiam coram eisdem, si tandem necesse sit, praecipere sub poena excommunicationis latae sententiae, ne ad talem domum accedat, ne cum aliqua persona familiariter agat etc. Suar. *t.* 4. *de relig. l.* 10. *cap.* 10. *n.* 13. Palaus *t.* 1. *tr.* 6. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 3. * Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 3. *n.* 5. Salm. *l. c. n.* 56. *et* 57. et alii plures apud ipsos. * Quod si haec non sufficiant, illum Deo commendet. Si vero agatur de delicto contra bonum publicum, vel in damnum tertii, et non sit certa spes emendationis, tunc cum nihili facienda sit infamia delinquentis, debet judex meliori, quo fieri potest, modo tale damnum removere, vel monere tertium, ut sibi caveat etc.

R. II. Etiamsi crimen sit probabile per duos testes, nihilominus si sit occultum, et infamia non laboret, et insuper non vergat nisi in damnum delinquentis, non est judicialiter puniendum, si tantum fuit delatum per denunciationem evangelicam: Sanch. *in cons. tom.* 2. *l.* 6. *cap.* 2. *d.* 11. *num.* 7. Scio non paucos contrarium sentire, nihilominus allata responsio videtur rationi conformior; pu-

blica etenim judicialis vindicta criminis correspondet crimini judicialiter delato, aut si sit in damnum commune, vel innocentis: unde non est ita puniendum crimen occultum soli delinquenti nocivum, etsi per testes probabile: d. Thom. 2. 2. *quaest.* 33. *art.* 1. Insuper si denunciator evangelicus non potest publicare delictum secretum, vergens tantum in damnum delinquentis, quomodo id facere potest Superior, cui delatum est, ut secreto tantum corrigat? Demum id esset contra bonum commune; nam subditi videntes cogi ad judicialiter denunciandum, quod tantum secreto volebant corrigi, abstinerent ab evangelica denunciatione, quod non esset sine communi gravissimo damno. Suar. *t.* 4. *de relig. l.* 10. *c.* 12. *n.* 43. Pal. *tract.* 6. *de char. tract.* 1. *d.* 3. *p.* 11. *n.* 2.

Q. IV. Quae delicta quis denunciare possit, vel debeat.

R. I. Si delictum sit penitus occultum, vergens in solius delinquentis damnum, non est obligatio denunciationis evangelicae, vel judicialis, si probabiliter, vel cum monitione, vel sine monitione speretur emendandum; nam tunc cessat finis denunciationis evangelicae, qui est emendatio delinquentis. Insuper non adest finis denunciationis judicialis, cum delictum supponatur occultum, et non probabile per testes. Reiff. *l. c. n.* 118. *

R. II. Si delictum, quamvis occultum, vergat in damnum communitatis, vel tertii, est obligatio denunciationis etiam judicialis, si non sit certissima spes illud avertendi per denunciationem evangelicam. Ratio constat ex saepe dictis, quia si adsit tantum spes probabilis tale damnum avertendi, damnum quod imminere posset communitati, vel tertio, praevalet infamiae particularis delinquentis. Haec autem denunciatio dicitur minus stricte judicialis; cum delictum probari non possit, adeoque fiat judici non ut publice puniat, sed ut generaliter inquirat, et arceat damnum imminens, vel curet satisfactionem damni illati. *Less. l.* 2. *de justit. c.* 30. *d.* 2. *n.* 13. *et dub.* 6. *n.* 43. Pal. *de char. tr.* 6. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 10. * Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp* 13. *n.* 2. * Advertendum insuper quod dum agitur de gravi communitatis damno, est avertendum etiam cum gravi incommodo, ut dictum est in tract. de charitate. Vide etiam quae dixi cap. superiori de accusatore: * *cap. Licet* 18. *de regular.* Pal. Navarr. Covarr. Sanch. Less. cum communi ap. Reiff. *l. c. n.* 124. *

R. III. Delictum, quod sit in damnum solius delinquentis, etsi per testes probabile, non potest denunciari, quando sit occultum, et spes sit emendationis per secretam monitionem; nam persona privata ad nihil aliud tenetur nisi ad lucrandum fratrem suum, et id cum minori, quantum fieri potest, ipsius praejudicio, ut dixi etiam capite superiori *quaes.* 4. Posset vero evangelice, vel judicialiter denunciari, quando id necesse esset ad ipsius emendationem, et tunc admitto quod docent Fagn. *in cap. Qualiter* 24. *de accusat. n.* 72. Passer. *in trib. regular. quaest.* 7. *a* 3. *n.* 15. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 13.

R. IV. Delicta publica et notoria, quamvis emendata, et quamvis soli peccanti videantur nociva, sunt judicialiter denuncianda Superiori ea ignoranti, Ratio est, quia unusquisque tenetur, ex saepe dictis, grave damnum communitatis avertere: quis autem non videat, quod si ob ignorantiam Superioris publica delicta remaneant impunita, omnes scandalizantur, mali audaciores fiunt in delinquendo, et subsequenter omnia vertuntur? Sanch. *lib.* 6. *cons. cap.* 2. *d.* 5. * Silvest. *v. denunciatio p.* 3. et alii *arg. can. Sed illud.* 17. *dist.* 45. *et can. Si peccaverit caus.* 2. *q.* 1.*

R. V. Non tenetur denunciare, qui denunciando pateretur grave damnum, si forte tale damnum non cogeretur subire, quia non manifestando, immineret grave damnum reipublicae, vel religioni. Item non tenetur manifestare delictum; qui illud sub secreti sigillo accepit, ut consilium, vel remedium delinquenti praeberet: nam tunc fortiori vinculo impeditur; cum valde expediat pro bono communi, ut secretum fideliter servetur. Item qui audivit a personis fide non dignis, quia talis notitia nullam generat fidem; immo qui ipsis credit, ut dicitur Eccl. 19. 4. *levis corde est*. Idem dicas, si audivit a personis, quae delictum non viderunt, sed et ipsae ab aliis audierunt; nam haec notitia, experientia teste, est quam plurimum fallibilis. Sanch. *lib.* 6. *cons. cap.* 2. *dub.* 16. *n.* 4. Vid. *tr.* 19. *q.* 8. *cap.* 2. *q.* 3. *resp.* 2.

Q. V. Qualiter edicta Superiorum obligent ad denuncianda delicta.

R. In omnibus casibus, in quibus supra dixi adesse obligationem denunciandi, adest eadem obligatio ex vi monitorii, secus in casibus, in quibus diximus non adesse talem obligationem. * Et tradunt quamplures DD. apud Leur. *q.* 32.*

Regulae in praxi observandae

I. Prima regula notanda a confessario est, quod etsi detur edictum, vel praeceptum de denunciando delicto, non est obligatio denunciandi, quando est occultum, etsi per testes probabile. Ratio est, quia judex non potest, adeoque non intendit inquirere de talibus delictis, semper cum non laborent infamia. Hinc moneat suum poenitentem posse tuta conscientia reum non manifestare, etsi in edicto adsit poena excommunicationis contra non revelantes. Id tamen verificatur de occulto delicto soli delinquenti nocivo, vel de delicto jam in damnum tertii perpetrato, cui damno jam satisfactum sit; vel cui delinquens satisfaciet per solam secretam monitionem. Non tamen verificatur, nisi in casu rarissimo, quoad delicta contra bonum publicum, ut saepe supra dictum est. Item, si certa non sit spes profuturam secretam monitionem, denuncianda sunt delicta in fieri contra tertium, non ut puniantur, sed ut judex possit ea impedire.

II. Secundo moneat suos poenitentes; omnino tacenda delicta illis propalata ad petendum consilium, vel alia ratione sub secreto illis commissa. Taliter se habent multoties theologi, consiliarii, medici, obstetrices, et quicumque alii, quibus commissum est secretum; nam illud servare est de jure naturae.

* Limitant hanc doctrinam Molin. *de just. tr.* 4. *disp.* 5. *n.* 6. Lug. *disp.* 38. *n.* 37. Sanch. *lib.* 6. *consil. cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 3. Fagund. *in decalog. praecept.* 8. *cap.* 51. *n.* 1. nisi ex ea occultatione, vel non denunciatione sequeretur damnum grave reipublicae, vel alicui tertio contra Sotum et alios citatos a Sanchez, quatenus dictam limitationem rejiciunt, asserentes absolute tales non excusari a denunciando, quamvis, delictum non sit damno futurum alicui. Quod extenditur etiam ad promissionem factam non denunciandi delictum aliquod, sed sub secreti sigillo custodiendi, quae non est observanda, si urgeat praeceptum, vel edictum manifestandi; nam promittens secretum, vel intendit comprehendere etiam casum, in quo a Superiore legitime praecipiatur manifestatio, vel non; si hoc secundum, non est cur non debeat Superiori obedire, si primum nulla est promissio, utpote de re illicita juxta notam regulam 69. *de reg. jur. in* 6. *In malis promissis fidem non expedit servari.* Vid. decis. Luc. ann. 1745. *cas.* 2. pro mens. Jul. *

III. Tertio moneat ordinarie loquendo, non teneri ad denuncianda delicta, si non possint id praestare sine suo gravi incommodo; quia leges humanae non obligant cum gravi incommodo. Hinc e. g. non teneretur denunciare rem furatam, quam aliquis apud se haberet, si per hoc Superior seu judex veniret in suspicionem et ipsum denunciantem participem fuisse furti. Nec si aliquis solus sciat furem, tenetur ex vi edicti denunciare, si fur ex denunciatione poterit cognoscere quis fuerit denunciator, et exinde inter eos oriturae sint graves inimicitiae etc.

IV. Non adest obligatio denunciandi, quoties delictum non fuit formaliter tale: ut si inquiratur de homicidio, et qui occidit ex sola mera inadvertentia occiderit, vel putaverit esse feram; vel inquiratur de furto, et qui rem abstulit in justam compensationem abstulerit etc.

V. Moneat pariter non esse obligationem denunciandi: quando ea foret omnino inutilis, et delinquens non est obstinatus in peccato. Inquiritur e. g. sub poena excommunicationis, et praecipitur revelatio illius, qui bona alicujus surripuit. Si ergo sciam aliquem surripuisse, sed interim esse impotentem ad restitutionem, nec esse proximam spem, ut fiat potens, abstinebo a denunciatione; cum nemo ad inutile teneatur. Item si Superior inquirat de delicto ad procurandam emendationem, non teneor revelare, si sit emendatum, dummodo non habeat effectum pendentem in futurum, ut in simplici fornicatione, ludo prohibito etc. Si vero habeat effectum pendentem in futurum, non est denunciandum, quoties illi jam sufficiens remedium appositum sit; ut si quis satisfecerit damno per furtum illato. Quod si fiat inquisitio de delicto notorio, seu publico, et id non tantum ad emendationem, sed etiam ad punitionem, denunciandum est, quamvis fuerit emendatum.

VI. Ultimo bene advertat confessarius, quod si in praefatis casibus non satis instruat poenitentes, vel accusabunt quem non deberent, et aliquando etiam non possent accusare; vel ex ignorantia pluribus mendaciis et perjuriis inquinabunt propriam conscientiam. Edoceant ergo illos, juxta etiam alias dicta, non teneri ad respondendum nisi juxta mentem judicis interrogantis, et judicem e. g. non intendere, ordinarie loquendo, ut denuncientur delicta, quae non laborant infamia, vel non sunt notoria, seu quae non possunt ex vinculo fortiori, quale est secretum commissum, revelari, seu quae fuerunt commissa sine peccato etc. Quod

si poenitens sit tam rudis, ut quandoque mihi accidit, ut haec percipere non valeat, moneat illum, quod etiam cum juramento dicat se nescire delictum, habendo intentionem se conformandi iis quae illi dixit confessarius, quamvis percipere non potuerit.

QUAESTIO III.

DE TESTIBUS, REO, ADVOCATO, TABELLIONE ET PROCURATORE

CAPUT I.

De testibus.

Q. I. Quis sit testis et quotuplex.

R. I. Cum leges statuerint testes ad judicium adducendos, ut judex saltem morali certitudine dijudicare possit, ideo testis dicitur: *Probator rei gestae* ex textu *in cap. Forus* 10. *de verb. sign. v. Testes.*

R. II. Testes primo alii sunt legitimi, alii illegitimi. Primi sunt illi, qui habent omnia requisita a jure ad testificandum, et dicuntur etiam testes omni exceptione majores. * Licet plures sint DD. qui velint, testes idoneos idem esse ac testes omni exceptione majores, et id eruant ex Gloss. *in cap. Ex literis de consang. et affin. v. Majores.* ibi: *Illi dicuntur omni exceptione majores, qui repelli non possunt aliqua exceptione*, et altera Gloss. §. *Item verborum v. Idoneos instit. de inutilib. stipulat.* ibi: *Omni exceptione majores, idest quod nulla exceptio poterit eis opponi*: Abbas *in d. cap.* 1. *n.* 5. et alii plurimi ap. Farinac. *de testib. q.* 62. *n.* 2. Attamen testis omni exceptione major plus aliquid importare videtur quam simpliciter idoneus; cum verbum idoneus, non secus ac aliae res, admittat gradus comparationis, et unus sit alio magis idoneus. Ita docent Farinac. *l. c. n.* 3. Felin. *de sponsalib. col.* 5. *n.* 5. Socin. Jun. *consil.* 88. *n.* 8. Mascard. *de probat. concl.* 1024. *n.* 15. Reiff. *in* 2. *decret. tit.* 14. *n.* 11. Leur ibi *q.* 560. * Illegitimi sunt illi, qui aliquam a jure patiuntur exceptionem. Secundo alii dicuntur testes singulares; et hoc nomine appellantur, qui discordant ab aliis, vel in quantitate rei, vel in deponendo, seu testificando de loco, de tempore etc. ac universaliter loquendo, discrepant ab aliis testibus circa substantiam facti, de quo interrogantur: d. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *ad* 2. Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 30. *dub.* 4. *n.* 33.

Tertio alii dicuntur testes contestes, quando scilicet concordant circa substantiam facti, deponendo e. g. de eodem delicto, et de loco et tempore, quo fuit commissum.

Q. II. Qui repellantur a jure a testificando.

R. Ex variis juribus plures ad testificandum non admittuntur. Primo mulieres in jure canonico repelluntur a testificando in causis criminalibus, quia in illis praesumitur instabilitas: *cap. forus* 10. *de verb. sign*, Sanch. *tom.* 2. *cons. lib.* 6. *cap.* 5. *d.* 14. *n.* 3. * Verum etiam per jus canonicum in causis civilibus mulieres testes esse posse habetur ex textu *in l. Ex eo ff. de testib.* quae est canonizata *can. Ex eo quod* 15. *q.* 3. *et cap. Mulieres de judic, in* 6. Gloss. *in cit. cap. Forus de v. sign. v. Non foemino, et in cap. Tam literis* 33. *de testib.* et docent Tiraquell. *de leg. connubial. leg.* 9. *n.* 64. *et seq.* Farinac. *de testib. quaest.* 59. *per tot.* et alii quos affert Benedictus XIV, *constitut.* 28. §. 55. *t.* 2. *bullar.* Et ita concordari possunt jura juribus; nam priora *cap.* scilicet *Forus et can. Mulierem* agunt de causis criminalibus, et posteriora de causis civilibus, Reiff. *l. c. n.* 85. Excipiendum tamen est testamentum ad causas profanas *ibid. n.* 88. et causas civiles, ubi agitur de rebus arduis *n.* 90. * Verum jure civili in omni causa possunt esse testes; et si sint vitae probatae, potius illis, quam viris malae opinionis credendum est. Tiraquell. *de leg. connub. leg.* 9. *n.* 63. Ordinarie tamen loquendo ipsorum dictum non sufficit ad torturam, sed ad capiendam informationem. Secundo repelluntur minores 20. annorum, quamvis ipsorum dictum, etsi non sufficiat ad torturam, bene tamen ad inquisitionem. Less. *de just. l.* 2. *cap.* 30. *d.* 5. *n.* 7. Sanc. *t.* 2. *consil, l.* 6. *c.* 5. *d.* 14. *n.* 4. Item id procedit, quando aliunde veritas haberi non possit, si etenim alii testes non adsint, minores admittuntur ad testificandum, praecipue si judex procedat ex officio. Mascard. *de probat. l.* 3. *conclus.* 1246. *n.* 3. * et tenuit Rot. *p.* 12. *recent. decis.* 337. *n.* 15. et cor. Ottobon. *decis.* 262. *n.* 9. Mascard. *l. c. conclus.* 1253. et alii apud ipsum. * Caeterum in civilibus admittuntur ad testificandum omnes, qui attigerunt annos pubertatis. Tertio repelluntur a ferendo testimonio in causis criminalibus infames infamia juris, vel facti; quià non reputantur testes integrae fidei. Less. *cit. n.* 38. Sanchez *cit. n.* 8. * Et hoc valet etiam post poenitentiam, nisi infamia fuerit juridice abolita. Constat ex *cap. Praeterea de testibus*. Porro quae sit infamia juris, quae facti, qui-

que una, vel altera notentur, vide dicta superius *tr.* 4. *q.* 7. *cap.* 4. *q.* 4. et fuse tradunt Reiff. *in* 2. *decret. tit.* 20. *a n.* 29. Leur. *ibi q.* 568. * Inter eos accenseri possunt perjuri, qui nempe cum juramento falsum in aliqua causa deposuerint; ac proinde cum fidem non mereantur, ipsorum testimonium non admittitur. * Fagnan. *in cap. Intimavit de testib. n.* 5. Castrop. *tr.* 14. *disp.* 1. *p.* 11. *n.* 5. Suar. *t.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 5. cum communi. * Infames neque admittuntur ad testificandum in civilibus arduis cum criminalibus aequiparentur: *c. Licet de testib. cap.* 1. *de rest. spoliat* * Abbas *in cap. Testimonium* 54. *de testib. n.* 6. Mascard. *de probat. concl.* 1363. *n.* 59. *et* 65. Engel. *de testib. n.* 16. * Quarto excluduntur a ferendo testimonio inimici, si inimicitia sit gravis: *cap. per tuas* 32. *de simon.* etsi fuerint reconciliati, si reconciliatio sit recens; quia praesumuntur testificari ex odio et mala voluntate. Jul. Clar. *in pract. q.* 34. *n.* 19. * Marcard. *de probat. concl.* 901. *n.* 9. Farin. *de test. q.* 53. *n.* 58. Quando autem ex recenti reconciliatione adhuc perseveret praesumptio odii et malae voluntatis, judicis arbitrio discernendum relinquitur: DD. cc.*

Quinto repellitur a testificando socius criminis: *leg. fin. C. de accus.* quia rationabiliter praesumitur, quod vel spes veniae, vel ut secum ex odio alterum thrahat ad supplicium accuset innocentem. Hinc accusatus a socio, poterit respondere illum testem commisisse crimen, de quo contra ipsum testis est, per consequens non posse esse testem contra ipsum. Gloss. ord. *in c.* 1. *de test.* Sanch. *t.* 2. *lib.* 6. *consil. cap.* 5. *dub.* 15. *n.* 1. * Fagnan. *in cap. Vestra de cohabit. cler. et mulier n.* 142. * Less. *l.* 2. *cap.* 30. *d.* 5. *n.* 39. Sexto repellitur a testificando persona vilis et inops; quia facile corrumpitur pecunia: *leg.* 3. *et* 4. *ff. de testib.* nisi aliter suadeat integritas et honestas personae: *leg. Sed et unius* §. *Interdum ff. de injur. leg. Humilem C. de incest. nupt.* Mascard. *de probat. concl.* 1359. *n.* 14. Farinac. *de test. q.* 55. *n.* 169. * Quinam autem censendi sint pauperes, ita ut ferendo testimonio inhabiles sint, variant inter se DD. Gloss. in auth. *de haered. et Falcid.* §. *Si vero adsunt collat.* 1. *vers. Substantiam*, illum dicit testem pauperem, qui non habet in bonis tantum, quantum valet causa: textus *l. Nonnulli ff. de accusat.* et alii cum eo testem pauperem illum volunt, qui quinquaginta aureos in bonis non habet. Alexander et Farinaccius *de testib. q.* 75. *n.* 92. priorem sententiam de causis civilibus, posteriorem de capitalibus interpretantur.

Demum alii asserunt, pauperem illum dici, qui necessariis ad vitae substentationem, et ad sui status conditionem caret. Ita Gloss. in auth. *Praeterea vers. Locuples cod. unde vir.* Verum communior et usu magis recepta ea est opinio, quae hoc totum discutiendum relinquit arbitrio judicis juxta porsonarum qualitatem. Antonell. *de regimin. eccl. lib.* 1. *cap.* 10. §. 1. *n.* 6. Vincent. de Justis *de dispensat. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 69. Barbos. *jur. eccl. univ. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 23. Reinff. *n.* 93. * Hac ratione, quia servi de omni jure sunt viles, excludi debent a ferendo testimonio: * auth. *de testib.* §. *Si vere dicatur cap. Forus* 10. *de verb. sign.* * Septimo repelluntur a testificando contra catholicum omnes qui non sunt catholici, ut ex variis juribus passim probant DD. Sanch. *t.* 2. *cons.* *l.* 6. *c.* 5. *dub.* 14. Octavo laici repelluntur a testificando in criminalibus contra clericos: *caus.* 2. *q.* 12. *per tot.* * et tradit Alexander III. *cap. De caetero de testib.* Mascard. *de probat. conclus.* 1365. *n.* 44.* quia praesumuntur eis infesti. Quod si praelati cogantur illis uti ad aliquid probandum, curare debet ut sint personae valde graves. Clerici et religiosi possunt esse testes in judicio maxime si aliud veritas haberi non possit. Necessaria tamen est licentia superioris: *can. quamquam sacerdotum* 14. *q.* 2. Quamvis tamen sine illa, maxime quando aliunde veritas haberi poterat, veliot aliqui ipsorum testimonium nullum esse, nihilominus pro ejus valore stant communiter DD. quia nullibi irritatur. Sanch. *l.* 6. *consil.* *c.* 5. *dub.* 17. *n.* 2. Barbos. *de jur. univ. eccles. l.* 1. *cap.* 43. *n.* 51. Non excusatur tamen a peccato clericus, vel religiosus, qui testis est in judicio absque sui superioris licentia: * Advertendum hoc maxime habere locum, si agatur de poena sanguinis, etiamsi protestetur quod non intendat testimonium ferre ad hoc, ut reus poena sanguinis mulctetur. Clar. et alii ap. Leur. *q.* 595. *n.* 3. *

Nono repelluntur a testificando domestici, quia praesumuntur nimis affecti domino: *leg.* 1. §. *Ad quaest. ff. de quaest. l. Idonei, et l. Testes ff. de testib.* Admittuntur nihilominus si a multo tempore non amplius sint domestici; si sint vitae valde probatae, si intendatur probari consanguinitas, aut impedimentum matrimonii, vel denique pro defensione alterius domestici. Mascard. *de prob. l.* 2. *concl.* 668 *num.* 19. *lib.* 3. *concl.* 1368. *n.* 7. Farinac. *de test. q.* 54. *n.* 70. * et tenuit Rot. *p.* 12. *recent. decis.* 57. Videantur AA. ap. Leur. *q.* 179. Reiff. *a n.* 120. ubi quinam

sint domestici a testificando repellendi, fuse tradunt. * Decimo advocati in causis, quas patrocinantur, repelluntur a testificando; quia in eis praesumitur nimia affectio ad clientem: *c. Si testes omnes* §. *Patr.* 4. *q.* 3. *l. fin. ff. de test.*

Ultimo, repelluntur a testificando conjuncti partibus usque ad quartum gradum; ex affectu enim et sanguinis conjunctione, ipsorum testimonium non reputatur consonum veritati: *l. Testis idoneus ff. de test. leg. Parentes C. cod.* Admitti nihilominus debent consanguinei ad probandam alterius innocentiam, sicut etiam parentes ad probandam aetatem filiorum: *leg. etiam ff. de prob.* Less. *de just. l.* 2. *cap.* 30. *n.* 38. vel etiam ad probandum, si intercedat affinitas, seu consanguinitas inter eos, qui contraxerunt matrimonium; cum in favorem matrimonii admittantur testes etiam alias inhabiles: *cap. Videtur qui matr. accus. possunt* Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 41.

Hic tamen tria notanda sunt. Primum, quod quando veritas aliter haberi non potest, multoties admittuntur ad testificandum etiam inhabiles, ut minores, infames, servi etc. Mascard. *de probat. t.* 3. *concl.* 1246. *n.* 3. Less. *lib.* 2. *c.* 30. *d.* 5. *n.* 41. Secundum est, quod si excipiantur inimici ob inimicitiam gravem, caeteri admittuntur ad testificandum in criminibus exceptis, et maxime haeresis, et laesae majestatis; nam in iis testes etiam inhabiles et minus idonei admittuntur: *cap. Per tuas de sim.* Mascard. Less. *loc. cit.* Tertium, quod si testis inhabilis semel in aliqua causa a parte contraria admittatur, tunc ratione purae inhabilitatis non licet eum repellere: *leg. Si quis testibus C. de testib.* * Videantur pariter Reiff. *in* 2. *decret. tit.* 20. et Leur. *ibi*, qui multas alias limitationes hac in re, de admittendis nempe, vel repellendis testibus inhabilibus, afferunt, quas hic omnes attexere nimis longum esset. In dictione luc. repelli non potest ulla persona a testificando in civili causa praetextu perjurii, nisi de perjurio condemnatus existat, neque praetextu excommunicationis, seu paupertatis, neque alicujus condemnationis de eo factae in causa civili et criminali, nisi esset condemnatus de facto, vel de falsa attestatione, vel de incendio domorum, proditione, aut crimine falsae monetae: stat. Lucan. *lib.* 1. *cap.* 85. *

Q. III. Quot testes requirantur ad faciendam plenam probationem.

R. I. Unicus testis non satis est ad probandum sive in causa civili, sive in criminali; neque enim unius affirma-

tio anteponenda est negationi rei: * *cap. Licet causam de probat.* 9. §. *Quamquam*, *cap. Cum dilectus* 32. *de electione*, et notat. Gloss. *ibid.* *v. Probatio*. Concordat alius textus in *cap. bonae memoriae* 23. §. *Contra de elect.* juncta pariter Gloss. *ibid.* *v. Singulares*. Quod confirmatur etiam *cap. Cum dilecti* 18. *de accusat.* una cum Gloss. *ibi v. Posset*, Azor. *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 7. et docent quamplures relati a Barbos. *in cap. In omni negotio de testib. n.* 31. * Dantur tamen aliqui casus, in quibus unus testis sat est ad probandum. Primus, si unicus testis juret se certo scire adesse impedimentum matrimonii: *cap. Praeterea* 12. *de sponsal. cap. Super eo* 22. *de testib.* * Gonzal. *in d. cap.* contra Pont. *lib.* 5. *de matrim. cap.* 34. qui contrarium affirmat. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 71. *n.* 1. De Just. *de dispensat. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 415. * Secundo sufficit ad probandum an ecclesia sit consecrata; an aliquis fuerit baptizatus, confessus etc. vel petierit confessionem in mortis articulo: *can. Parvuli de cons. d.* 4. *cap. Testimonium de testib.* Tertio si agatur de laesione minoris: *cap. In omni negotio de testib.* ibique DD.

* Quod baptismo comprobando unius testimonium fide digni sufficiat, inter alios docet Benedictus XIV. *l. supr. cit.* §. 31. ex Gloss. *in cap. Nuper de testibus.* Hoc extendunt Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 4. *n.* 6. et Pirhing. *de testib. n.* 112. ap. Reiff. *n.* 253. ad denunciationem inhabilitatis ad suscipiendos sacros ordines, vel recipiendum beneficium ecclesiasticum, si tamen nondum fuerit collatum; nam post collationem non sufficit unicus testis, cum agatur de praejudicio tertii. Sunt etiam alii casus, in quibus ad probandum sufficit unicus testis, ut esset, si plures testes nullatenus, aut valde difficulter haberi possent ad probandum innocentiam rei, modo non adsint plures contrarium asserentes, si sit publicus minister juratus in iis, quae ab eo gesta sunt ratione sui officii, ut tradunt passim DD. quos videre est apud Leur. *quaest.* 599. et Reiff. *a n.* 258. *ad* 281. *

R. II. Ad plene probandum, si aliter in quibusdam casibus particularibus non disponatur a jure, sufficiunt duo testes. Ita habetur Deuter. 17. *v.* 6. et 2. ad cor. 13. 1. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Ratio etiam suffragatur, quia duo testes, qui sint legitimi, seu omni exceptione majores, et habeant conditiones, de quibus statim, si confirment quod asserit actor, faciunt moralem certitudinem, adeoque sufficienter probant. d. Th. 2.

2. *q.* 70. *art.* 2. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 30. *d.* 4. * Et patet ex *l. Ubi numerus ff. de testib.* quae recepta et canonizata est in *can. Si testes* §. *Ubi numerus* 4. *q.* 3. quibus in locis dicitur: *ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt*, et concordat text. *in cap. Licet universis* 23. *de testib.* *

Prima igitur conditio est, quod jurent id, quod testificantur: *cap. Nuper de testib.* * Et concordat *cap. Fraternitatis* 17. *cap. De testib.* 29. *tit. cod.* Hoc autem juramentum posse de consensu partium remitti, tradunt Gloss. fin. *in cap. Tuis quaestionibus* 39. *de testib.* et DD. communiter *in d. cap.* * Altera conditio, ut sint contestes, nempe ut conveniant in substantia actus, et in proximis circumstantiis actus, quales solent esse persona delinquentis, locus, tempus, qualitas; et modus delicti. Less. *l. c. n.* 32. non infringitur autem ipsorum testimonium, si discrepent in circumstantiis parum conducentibus ad substantiam rei, de qua testificantur; ut si quis diceret crimen fuisse commissum hora 10., alter hora 11., vel si quis affirmaret patratum fuisse tempore nubilo, alter tempore sereno. * d. Thom. 2. 2. *quaest.* 70. *art.* 2. *ad* 2. Sot. *de just. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 2. et alii ap. Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 5. *

Tertia conditio est, ut aliquo sensu externo rem perceperint, alias non possunt esse certi de facto externo: *leg. Sola* 4. *C. de test. et can. Si testes* 4. §. *Sola caus.* 4. *q.* 3. Si ergo delicta sint de genere visibilium, ut furtum, homicidium etc. ad probandum requiruntur duo testes contestes, qui viderint: *cap.* 2. *de cons.* junct. Gloss. Sayr. *in clav. reg. l.* 12. *cap.* 2. *n.* 21. Si delicta consistant in voce, ut blasphemia, contumelia etc. necessarii sunt duo testes contestes, qui habeant plenam notitiam vocis et proprio auditu audierint itemque audierint sine aliquo medio interposito. * Patet hoc *ex can. Testes caus.* 3. *q.* 9. et concordat textus *in leg. Testium. cod. de testib.* juncta Gloss. marginali ibi. * Sayr. *cit.* Hinc si testes audierint vocem interposita cortina, tabulatu, pariete etc. non faciunt saltem in criminalibus plenam probationem, ni postea vidissent personas, quarum vocem agnovere, ex illo loco exire, vel antea vidissent in illum ingredi etc. Farin. *de testib. q.* 69. *n.* 88. Caeterum si duo non viderint immediate per seipsos, vel vocem delinquentis non audierint, et si audierint referri delictum a duobus, qui viderint, non possunt facere in judicio plenam probationem; cum multa falsa referantur. *

Mascard. *de probat. concl:* 104. Farinac. *ubi sup.* Less. *l. c. n.* 34. et est communis doctrina theologos inter et jurisperitos. *

Advertendum etiam, quod si adsint duo testes contestes contra reum, et alii duo in ipsius favorem, quamvis dignitate minores, reus esset absolvendus. Gloss. *in cap. Clerici dist.* 81. cum etenim reus sit in possessione suae famae, vitae, bonorum etc. non debet iis expoliari, ni evidenter constet de delicto. * Menoch. *de arbitrar. cas.* 98. *a n.* 2. *et lib.* 1. *de praesunt. praesunt.* 91. et alii apud Barbos. 2. *decret. in cap. Ex literis de probationibus.* *

Q. IV. Quando judex juridice interroget, itaut testis teneatur respondere.

R. I. Dum judex procedit per viam inquisitionis, ut juridice interroget, debet praecedere infamia delicti, vel indicia sufficientia ad faciendam semiplenam probationem. Ratio constat ex supradictis *q.* 2. *c.* 2. nam judex, cum sit publicus minister, dumtaxat ex notitia publica potest interrogare, quae non intervenit nisi adsint infamia, vel praedicta indicia.

R. II. Si judex procedat per viam accusationis, tunc legitime interrogat, quando accusator offert se rem probaturum per sufficientes et idoneos testes; vel quando datur semiplena probatio delicti, quia scilicet adest unus testis de visu omni exceptione major, vel de auditu proprio in rebus, quae auditu percipiuntur, ut sunt blasphemiae etc. In his igitur casibus, etsi non adsit infamia, semper cum datur infamia virtualis, quia scilicet accusator se offert ad plene probandum delictum; vel jam de illo deposuerunt accusator, et unus testis omni exceptione major, judex juridice interogat. Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 30. *dub.* 6. Navar. *man. c.* 17. *n.* 34. *et* 35. Eo autem ipso quod juridice interroget cum interroget ut superior, illi est obediendum, et testis tenetur respondere: d. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. * Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 4. *n.* 8. et alii ap. salmant. *tr.* 27. *cap.* 1. *p.* 3. *et tr.* 29. *cap.* 3. *p.* 4. *

Quod maxime controvertitur in praesenti materia est, an testis teneatur respondere, dum judex procedit per viam accusationis et accusator unicum affert testem; qui solus rem scit. Multi dicunt, quod iste interrogatus potest et debet respondere juxta veritatem, quia putant judicem legitime interrogare. Sot. *l.* 5. *de just. q.* 7. *art.* 1. Sayr. *in clav. reg. l.* 12. *c.* 20. *n.* 6. At mihi semper valde proba-

bilis apparuit contraria sententia; cum enim judex non alia via sciat delictum, quam ex sola accusatoris depositione, non videtur delictum sufficienti virtuali infamia laborare; cum dictum unius, ut dici solet, sit dictum nullius, adeoque non adest obligatio illud denunciandi. Praeterea cum ex solo testimonio unius nullus possit condemnari, videtur irrationabiliter a teste infamari ille, cujus delictum certe scit non ab alio, nisi a se sciri. Hinc non desunt qui velint hunc testem debere sub poena peccati mortalis occultare delictum, ac judici respondere se nihil scire. Less. *lib.* 2. *cap.* 30. *d.* 6. *n.* 49. Passer. *in trib. regul. q.* 8. *art* 7. *n.* 31. * Et confirmari potest ex c.§*Qualiter* 27. *de accusat. juncto cap. Erubescant dist.* 32. immo juxta multorum opinionem neque perjurii reus haberetur, si juratus se nescire responderet. s. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. ubi quod ibi de accusato dicit s. Doctor, extendunt DD. ad testem. Gonzalex in d. *cap. Qualiter* et alii ap. ipsum Barbos. *ibi*, Lug. *disp.* 39. *n.* 13. et late Sanch. *in decal. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 23. *

Q. V. In quibus casibus testis non teneatur manifestare delictum, de quo interrogatur.

R. Quamquam responsio pateat ex dictis de denunciatore, nihilominus summatim recenseam hic casus, in quibus testis eximitur a testificando. Non tenetur primo respondere testis de auditu alieno, si interrogetur a judice, an sciat commissum esse aliquod delictum; nam scire importat aliquid per se vidisse, aut audisse. Sanch. *lib.* 3. *sum cap.* 7. *n.* 5. Si ex testificatione timeat grave damnum sibi, suisque, dummodo non agatur de bono publico, cui teneatur consulere etiam cum gravi suo damno. Lugo *de just. d.* 39. *n.* 10. Non tenetur testari de delicto quod jure fortiori tenetur celare, ut est delictum, quod quis novit ex confessione; nam celandum est jure naturali, divino et humano, sicut etiam dum quis scit delictum ex secreto explicite, vel implicite commisso. Lugo *n.* 12. (1) Id vero non habet locum in secreto promissio etiamsi quis promiserit juramento non revelare delicta; nam talis promissio, utpote contraria legitimae potestati superioris interrogantis, non est attendenda. Vide quae dicta sunt *tr.* 13. *q.* 4. *cap.* 4. ubi

(1) Sic medicus, chyrurgus, obstetrix, confessarius; item qui notitiam acquisivit modo injusto, v. g. furtive literas aperiendo, hominem cogendo, vel illum inebriando ut sibi revelet secretum, etc.

recensentur casus, quando etiam liceat non servare secretum commissum. Non tenetur testis testificari, si delinquens non peccaverit in committendo delicto; ut si damnum intulit ex inadvertentia, vel si non restituit ex impotentia. Ratio est, quia judex intelligit interrogare de delicto formaliter tali. Lugo *disp.* 38. *n.* 32. Non tenetur manifestare delictum complicis, quia propter conjunctionem in crimine videretur testificari contra seipsum. Item consanguinei et affines delinquentes intra quartum gradum non tenentur testificari contra ipsum; tum quia ex conjunctione sanguinis viderentur testificari etiam contra seipsos; tum quia ex hoc, ordinarie loquendo, graves orirentur rixae inter familias: praeceptum autem judicis non intelligitur obligare cum tanto incommodo. Raynaud. *de monitor. p.* 1. *cap.* 3. *q.* 20. Dian. *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 10. Si nihilominus ageretur de crimine laesae majestatis, ut proditionis, et ipse filius ratione boni publici tenetur testificari contra parentes; et multo magis in crimine laesae majestatis divinae, quale est haeresis, quia cum ut cancer serpat, ponit in magno discrimine bonum commune, divinum et humanum. Mascard. *concl.* 857. *a n.* 18. Bordon *in trib. fid. cap.* 31. *n.* 13. Quod si alios testes facile invenire esset, ut notant aliqui theologi, durum esset exigere testimonium filii contra parentes. Salmant. *tract.* 29. *in append. de offic. cap.* 2. *p.* 1. *n.* 24. Bene vero filii, aliique conjuncti usque ad quartum gradum excusari possunt a denunciando extra casus haeresis formalis, vel extra casus, in quibus agatur de avertendo gravi publico damno propter rationes supra allatas. Bordon. *cit. n.* 13. *et* 14. *et in man. consul. sect.* 18. *n.* 46. * Vid. Laym. *l. sup. c.* Navar. *man. c.* 25. Less. et alii passim. * Vide etiam quae dixi *tr.* 6. *q.* 1. *cap.* 6. *quaesit.* 1. *resp.* 3.

Q. VI. An testis teneatur se offerre ad testificandum in favorem innocentis.

R. Si ipsius testimonium sit necessarium pro liberatione innocentis a gravi poena, idque possit praestare sine gravi incommodo, tenetur utique ex charitate id facere; quomodo enim verificaretur proximum diligere, si dum potest illum liberare a gravi necessitate sine gravi suo incommodo, id non praestaret? (1) Verum tamen est posse excusa-

(1) Item tenetur ex charitate se offerre ad testificandum non solum quando testimonium est necessarium pro liberatione innocentis; ut dicit Auctor, sed etiam, et quidem a fortiori, quando id expostulat bonum commune.

ri a restitutione omnium damnorum, etsi in judicio vocatus occultet veritatem. Ratio est quia licet postquam quis acceptavit officium testis, teneatur ex justitia veritatem fateri, secus tamen si detrectet esse testis, et ita veritatem occultet; nam quamvis tunc peccet contra obedientiam, officium testis non acceptando, utique non peccat contra justitiam veritatem non manifestando. Constat id exemplo illius, qui contra mandatum superioris falsis praetextibus renunciat officium tutoris. Hic utique peccat contra obedientiam, at non tenetur ex justitia curam habere bonorum pupilli: * Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 8. Leur. *in* 2. *decret. tit.* 21. *q.* 581. *

Regulae in praxi attendendae

I. Confessarii habeant prae manibus omnes casus, in quibus testis licite occultat veritatem judici interroganti. Accidit saepe, ut vocentur in testes a judice socii criminis, consanguinei et affines, vel qui sciunt delictum ex secreto commisso, et hi omnes quia non habent a quo instruantur, vel ex conscientia erronea fiunt perjuri, vel detegunt delictum, quod vel possent, vel etiam deberent occultare. Hinc inimicitiae inter familias, ac odia inter magis conjunctos; vel praecluditur via aperiendi delictum etiam causa petendi consilii, quia vident in judicio etiam secreta manifestari. Heu quot mala ex ignorantia!

Jam autem explicavi *tract.* 8. *q.* 1. *cap.* 4. *reg.* 2. dum egi de juramento, qua ratione sine restrictione mentali affirmari possit ignorari id quod scitur, quando alias non est propalandum.

II. Meminisse debet confessarius in nostra dioecesi ipso facto excommunicationem archiepiscopo reservatam incurrere *Ferentes falsum testimonium veritatem negantes, aut occultantes legitime interrogati in judicio in alterius grave damnum*. Hunc casum explicavi *q.* 1. *c.* 1. *reg.* 3.

* Quid agendum sit quando inveniantur parvuli expositi cum schedula baptismi recepti unius testis manu firmata, videantur dicenda tr. 17. cap. 4. in reg. pract. ex Benedicti XIV. constitutione 28. *tom.* 2. *bullar. et de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 6. §. 5. *et* 6. *

* Traditum est superius unius testimonium impedimentum asserentis sufficiens esse ad matrimonii saltem suspendendam celebrationem, quod verum est, licet testis non sit citatus, immo sit criminosus, et nolit publice, vel in prae-

sentia partis, testificari, sed secreto et sine sui nominis manifestatione juxta tradita a Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 71. *n.* 2. *et seqq. arg. cap. Praeterea* 12. *de sponsalibus*. Dixi saltem suspendendam, non absolute impediendam, quia potest fieri ut contrarium probetur, ut constat ex *cit. cap. Praeterea* juncta Gloss. fin. Animadvertant haec parochi, et in dicto casu ad superiorem deferant, ut quid agendum statuat. Haec de matrimonio contrahendo: si vero agatur de matrimonio jam contracto, cum in illo casu agatur de reverentia et validitate sacramenti, et de magno ipsorum conjugum praejudicio, et de susceptae forsan prolis legitimitate, non est dissolvendum ob impedimentum unius testis affirmatione detectum, sed requiritur legitimum plurium testium testimonium, qui juridice de impedimento deponant. Ita habetur decisum *cit. cap. Super eo* 22. *de testib.* ap. Reiff. *in* 2. *decret. tit.* 20. *n.* 146. Barbos. *in vot. canonic. lib.* 2. *vot.* 17. *n.* 116. et alii ap. de Justis *l. c. n.* 433.*

* Licet plerumque necesse sit testes jurare ad hoc, ut plenam fidem faciant, ut supra ex variis juris textibus traditum est, dantur nihilominus casus aliqui, in quibus testium juramentum necessario non exigitur, et testes injurati probant. Et hoc procedit quando judex procedit super notorio, et ad plenam suam instructionem, et pro informatione sui solius. Ex quo infertur, quod literarum apostolicarum executor cum clausula, *si idoneum repereris*, a testibus injuratis informationem recipere possit. Ita docet Reiff. *l. c. a n.* 471. *ad* 475. Leur. *q.* 625. de Just. *l. c. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 266. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 35. *n.* 15. Insuper possunt partes sibi invicem juramentum remittere, et testes de utriusque partis consensu sine juramento testificari. Ita Gloss. fin. *in cap. Tuis quaestionibus* 39. *de testib.* et DD. communiter *in d. cap.* Sed hoc non semper fieri potest; nam 1. admitti non possunt testes injurati in causis matrimonialibus, dum agitur de dissolvendo matrimonio. Gloss. *in d. cap. Tuis quaestionibus v. Remittatur*, Abbas *ibi n.* 5. Barbos. *ibi n.* 3. Mascard. *de probat. q.* 5. *prooemial. n.* 3. Secundo neque in causis criminalibus, praesertim capitalibus: *l. Si ita vulneratus ff. ad legem Aquilian.* Neque demum quando agitur de beneficio ecclesiastico, vel alia re spirituali a mera partium voluntate non pendente. Videatur Reiff. *in* 2. *decret. tit.* 20. *n.* 485. *et* 486. Leur. *ibi q.* 627.*

CAPUT II.

de Reo

Q. I. An reus teneatur detegere suum crimen judici interroganti?

R. I. Si judex non interroget juridice, reus non tenetur manifestare suum crimen; quippe tunc non habet auctoritatem interrogandi, et habetur *cap. Qualiter et quando, cap. Cum oporteat, cap. Inquisitionis de accusat.* Porro ex dictis supra de testibus, tunc juridice procedit, quando vel praecessit infamia criminis, vel indicia manifesta, vel semiplena probatio.

R. II. Si reus dubitet, an judex servato juris ordine procedat; non tenetur manifestare delictum. Ratio est, quia licet quando constat de auctoritate superioris, et solum dubitatur, an licite nec ne aliquid imperet, possessio et praesumptio stet pro superiore, ipsique parendum sit, nihilominus quando dubitatur de auctoritate praecipientis, possessio stat pro propria libertate et bona fama; cum aequum non sit, reum debere se privare libertate, bonis, vita etc. quousque non constet de legitima potestate praecipientis. Lugo *disp.* 40. *n.* 2. *etc.* * Et hanc sententiam tenent Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 31. *num.* 10. citans Cajet. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 5. *n.* 4. et alii multi apud ipsum. Sanch. *lib.* 6. *consil. cap.* 3. *dub.* 41. Passer: *de stat. hom. q.* 186. *art.* 8. *n.* 328. et alii penes innumeri apud eumdem *in cap. Postquam de accusat. in* 6. Et confirmari potest ex *cap. Cum sunt partium xi. de reg. jur. in* 6. contra Paludanum 4. *dist.* 19. *q.* 4. Sylvest. *vers. Inquisitio* 1. *n.* 7. quorum rationibus fusius respondet Lug. *loc. c.* * Hinc si reus petat sibi ostendi qua ratione judex juridice procedat, debet illi satisfieri, ut sit in eo obligatio respondendi. Tolet. *l.* 5. *sum. cap.* 18. Lugo *cit.* * Hoc in praxi consultius, et necesse esse a judice praestari docent Leur. *in* 2. *decret. tit.* 18. *q.* 514. et Reiff. *ibi n.* 162. et Lug. *l. c.* et alii apud ipsos. *

R. III. Non est obligatio respondendi, si judex procedat ex falsa praesumptione, v. g. si interroget de homicidio inadvertenter commisso; si de obligatione solvendi, quando aliquid pro justa compensatione retinetur. In his casibus licet negare; nam judex intelligit interrogare de homicidio cum culpa patrato, et de vera solvendi obligatione. * Navarr.

in can. humanae aures 22. *q.* 5. *quaesit.* 1. *et* 2. *per tot. et in manual. cap.* 12. *n.* 19. Concordant Sanch. *lib.* 1. *de matr. disp.* 10. *n.* 27. Lug. *disp.* 40. *sect.* 1. *n.* 4. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *n.* 3. et alii apud Reiff. *l. c. p.* 171. qui numeris sequentibus objectiones oppositae sententiae et praecipue Fagnani *in cap. Falsidicus de crimine falsi*, fuse et diserte diluit. *

R. IV. Si reus, servato juris ordine, interrogetur, debet, ordinarie loquendo, sub mortali fateri veritatem; nam tunc in judice est legitima auctoritas interrogandi, adeoque correspondet in reo stricta obligatio obediendi. * Navarr. *in man. cap.* 25. *n.* 36. Sanch. *lib.* 3. *in decal. cap.* 7. *n.* 1. *et lib.* 6. *consil. cap.* 3. *dub.* 29. cum communi aliorum. Hoc in criminali judicio praecipue locum habere probatur ex bulla 24. Benedicti XIV. *Paterna charitas bullar. t.* 3. §. 8. ubi sic ait: *iisque* (reis in carceribus detentis, quorum criminales causae nondum conclusae sunt) *serio admonitis de obligatione, qua tenentur judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus, veritatem aperire* * Dixi, ordinarie loquendo, nam valde probabile est, quod dum ex negatione adest spes salvandi vitam, vel evadendi poenam triremium, seu confiscationem omnium bonorum, possit reus eludere judicem et delictum occultare. Ratio est, quia dum agitur de poena capitali, et adest spes eam evadendi occultando delictum, nimis durum esset velle obligare reum sub mortali ad obediendum; cum praecepta humana non obligent cum tanto incommodo. In tali ergo casu non est in judice auctoritas obligandi ad culpam, adeoque nec in reo obligatio obediendi sub mortali. Solum proinde judex obligare posset reum ad respondendum sub poena. Less. *de just. c.* 31. *num.* 16. Lugo *d.* 40. *num.* 16. Reginald. *in prax. t.* 2. *l.* 24. *c.* 3. *sect.* 3. *n.* 3. * Reiff. *l. cit. n.* 166. Viva *in proposit.* 26. *et* 27. *damnat. ab Innocentio XI. n.* 20. *et* 21. Carden. *crys. theolog. dissert.* 19. *cap.* 7. *n.* 81. et alii quos videre quisque potest apud Leur. *q.* 515. et apud Ferrar. *biblioth. moral. v. Accusatus n.* 17. *et* 18. licet non desint DD. et numero et doctrina pares, qui oppositam sententiam validissime tuentur, quos affert Ferrar. *l. c. n.* 15. Consuli etiam possunt dissertatio Francisci Memmii J. U. D. Florentini *de juram. verit. dicend. in caus. crimin. reis non praestand. n.* 152. et notae Romani theologi in supradicta biblioth. *l. c.* *

Q. II. An si reus negaverit, vel occultaverit veritatem in casibus, quibus tenebatur eam manifestare, debeat se retractare, illamque sincere fateri.

R. Cum obligatio, quam habet reus detegendi veritatem, oriatur ex justitia legali et obedientia, tenetur fateri veritatem, quousque urget judicis praeceptum; dum igitur non amplius urget, nec exigit responsum, non adest obligatio se retractandi, et veritatem fatendi. Sanch. *t.* 1. *in decal. lib.* 3. *c.* 7. Lugo *de just. disp.* 45. Quod si suo mendacio alios damnificaverit, tenetur damnum resarcire, etiam se retractando, si opus sit.

Idem dicas de reo, qui non obstante delicti negatione, convictus per testes de suo crimine damnatus fuit ad supplicium. Sanch. *cit. etc.* Ratio est, quia eo ipso quod jam damnatus sit, judex functus est officio suo, nec amplius instat pro detegenda veritate. Ex alia vero parte occultatio delicti non obsit nec judici, nec testibus, quia praesumptio stat semper pro sententia prolata juridice, et creditur reus delictum occultasse, vel quia putavit non teneri ad illud manifestandum, vel quia illud occultando speravit poenam evadere. * Videantur Passerin. *tribunal. regular. q.* 23. *art.* 1. *n.* 11. et alii AA. quos affert, et sequitur Leur. *l. c. q.* 516. * Aliter dicendum esset, si reus convictus et damnatus esset de haeresi quam negavit; nam tunc cum ex una parte culpa publica esset, et ex alia, negando delictum, recusaret reconciliationem et absolutionem, hoc non esset sine gravi crimine, quia recusaret publice satisfacere ecclesiae. Suar. *d.* 23. *de fid. sect.* 2. *n.* 5.

Q. III. Quid dicendum de illo, qui metu tormentorum confessus est crimen, quod non commisit, unde est poena capitali puniendus.

R. Constat hunc debere se retractare, si retractatione mortem sit evasurus; vel si ex omissa retractatione notabilis infamia in alios redundaret, et se retractando, vel tolleretur, vel notabiliter diminueretur. * Sanch. *lib.* 3. *in decal. cap.* 7. *n.* 12. qui cum in casu rarissimo hanc retractationem ad mortem evadendam profuturam ducat, ideo rarissime se retractandi obligatione teneri existimat. Frequentius potest hoc evenire in ordine ad tollendam, vel minuendam, alterius infamiam, cum multis probabilius conscientiae stimulis factam retractationem credent. *

Q. IV. An reus in sui defensionem possit opponere accusatori, vel testibus falsos, vel occultos eorum defectus.

R. I. Nullatenus reo fas est opponere falsa crimina. Et quidem opinio contraria damnata fuit ab Innoc. XI. sub n. 44. * *Probabile est, non peccare mortaliter qui imponit*

alicui falsum crimen, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix erit opinio probabilis in theologia. • Cum enim opponere falsum crimen in judicio sit perniciose mentiri in materia gravi, utique nunquam potest esse licitum: d. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 2.

R. II. Licite detegitur a reo occultum delictum accusatoris, aut testis, si hoc conducat ad sui defensionem. Ratio est, quia non tenetur grave damnum subire, ut vitet alterius damnum, et ulterius cum id conducat ad se defendendum, nec aliud medium supponatur habere, utitur jure suo. Oportet igitur propalationem alterius delicti esse necessariam ad defensionem rei, alias illud opponere non esset defensio, sed vindicta. Ulterius necesse est quod propaletur a reo ad vitandum grave damnum; nam si ipsi vel non immineret gravis poena, vel leviter esset minuenda propalatione talis delicti, charitas non patitur, ut pro vitando meo levi incommodo alterum graviter damnificem, grave ipsius occultum delictum manifestando. Sotus *l.* 5. *de just. q.* 7. *art.* 3. Sanch. *l.* 6. *cons. cap.* 5. *d.* 20. Aliqui addunt non esse objiciendum crimen occultum testi non voluntario, sed qui coactus est ad testificandum. • Sanch. *l. c. n.* 3. citans Sot. *de just. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 3. Salmant. *tr.* 29. *cap.* 7. *n.* 30. Verum Milant. Viv. in propositionem 44. damnatam ab Innocentio, et expressius card. Lug. *disp.* 40. *n.* 23. occultum crimen testis, etiam testificari coacti, reo detegere in sui defensionem concedunt. •

Q. V. An reus possit a sententia appellare.

R. I. Cum appellatio sit provocatio causae a minori judice ad superiorem: *leg.* 1. §. *Si quis de appell. ff. de appell.* tunc utique licita erit appellatio, quando quis injuste fuit damnatus, quia tunc non tenetur obedire: vel quando in nova cognitione causae apud superiorem poterunt exhiberi instrumenta, vel testes aptiores ad se defendendum. • Ita Navar. *cap.* 25. *n.* 24. *ap. Lug. n.* 32. • In tali casu jus naturale speratae defensionis factae apud superiorem, a quo inferior dependet, excusat a non obediendo istius sententiae. Si vero sententia fuit justa, tunc appellando violatur obedientia judici debita, et eidem fit injuria quasi injuste judicaverit, sicuti et parti adversae, justitiam ejus perturbando: d. Th. 2. 2. *quaest.* 69. *art.* 3. Hinc tales appellationes non sunt admittendae, et appellantes puniendi: *can. Quicumque*: *can. Omnino* 2. *quaest.* 6. • Sanc. *loc. cit. cap.* 4. *dub.* 2. Advertendum tamen cum Lug. *n.* 33. facilius et frequentius posse reum peccare in causis ci-

vilibus, quam in criminalibus appellationem interponendo in istis enim regulariter reus appellat non pravo animo judicium corrumpendi, sed spe aliqua ductus remissionis poenae, et injuria judici illata est parva, cum omnes sciant non ideo injustam illius sententiam, sed rigorosam. *

R. II. Si prudentum judicio dubitetur, an sententia fuerit justa, vel injusta, tunc in criminalibus semper licitum est appellare; nam dum non judicantur convincentia motiva reum condemnandi, ipsi favendum erat, *ex reg.* 11. *jur. in* 6. Sot *l.* 5. *de justit. quaest.* 6. *a.* 3. In civilibus vero distinguendum est. Si judex inferior judicaverit secundum opinionem, quam omnes dicunt probabiliorem, non licet a tali sententia appellari; cum ita etiam judex superior teneatur judicare, et contrarium damnavit Innoc. XI. sub *n.* 2. Si vero non ita constet quae sit opinio probabilior, tunc licitum est appellare; nam ea opinio, quae probabilior potuit apparere judici inferiori, potest minus probabilis apparere superiori. Videantur scribentes in praefatam propositionem. * Et hanc sententiam tenent Sanch. *lib.* 6. *cap.* 4. *dub.* 2. *n.* 2. Salm. *l. c. n.* 45. *et seqq.* *

Q. VI. An accusatus de crimine vero, sed occulto, et nullo modo probabili, possit in judicio opponenere accusatori mentitum fuisse.

R. Quamvis Innoc. XI. sub. n. 44. eam damnaverit doctrinam, quae asserebat posse opponi accusatori falsum crimen ad se defendendum: nihilominus non deest qui asserat non comprehendi in ea casum, de quo in quaesito. Ratio est, quia accusans de crimine vero; sed ita occulto, ut non sit probabile, habetur ut calumniator. Gloss. *in cap. Cum dilectus de cal.* et calumniator habetur in jure veluti mendax: *leg.* 48. *ff. de abolit. crim.* unde de hoc juxta sensum legum dici potest fuisse mentitum. Accidit quod reputatur practice mentiri ille, cujus verba dissonant a voluntate, quae dirigatur secundum rectam ractionem, et in hoc sensu dicitur Psalm. 115. *Omnis homo mendax*. Cum ergo accusator in casu praefato proferat verba dissonantia voluntati secundum rectam rationem, in hoc sensu potest dici fuisse mentitum. Lugo *de justit. disp.* 40. *n.* 21. Less. *lib.* 2. *c.* 31. *dub.* 2. Ad vitandum autem peccatum sufficit verba in aliquo sensu verificari, etsi a judice non percipiatur. Quod tamen dictum est habet locum, dum id opponere accusatori necessarium esset ad se defendendum; nam alias sine causa infamaretur, et sine causa accusatus verbis aequi-

vocis uteretur. * Ad hoc autem ut possit supradicta sententia probabilis censeri et ad praxim adduci, requirunt Salmant. *l. c. n.* 35. et Sot. *lib.* 5. *de just. q.* 7. *art.* 3. illas conditiones et limitationes supra relatas *in resp.* 2. *ad q.* 4.

Q. VII. An reus ad mortem damnatus debeat parere judici ejusque ministris.

R. I. Si reus sit injuste damnatus, potest licite se defendere, et resistere judici. Ratio est, quia judex injuste damnans, se habet ut iniquus invasor; sicuti ergo licite resistitur invasori vitae, et etiam bonorum, ita et judici injuste damnanti, dummodo ex hoc non deberet oriri publicum scandalum et perturbatio: d. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. * s. Thomam sequuti sunt Cajet. Sot. Navar. ap. Salmant. *l. c. n.* 49. Sanch. *l.* 6. *consil. cap.* 4. *dub.* 17. Covarr. *var. cap.* 2. *n.* 12. *

Advertere tamen est, quod licet possit se defendere vel fugiendo, vel in loco sacro se occultando, non tamen vulnerando, et occidendo. Ratio est, quia cum multoties rei sibi possent persuadere injuste esse damnatos, si admitteretur licita defensio occisiva, sequerentur contra publicum bonum quamplurima homicidia, et caedes: unde ratio dictat neque id posse esse licitum in aliquo casu, in quo quis injuste fuisset damnatus. Hac ratione Alex. VII. sub num. 18. eam damnavit opinionem, qua afferebatur licitum esse occidere accusatorem, testes, et judicem, dum certo immineret iniqua sententia, quae alia via impediri non posset.

R. II. Si reus fuit juste damnatus, dummodo judex non processerit ex falsa praesumptione, tenetur judici obedire. Ratio est, quia judex habet potestatem coactivam ad puniendos, et corrigendos reos, unde ei tenentur obedire: d. Thom. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4.

Dixi, dummodo judex non procedat ex falsa praesumptione, ut sequeretur, quando damnaret aliquem, qui licet secundum allegata et probata appareret reus, vere tamen esset innocens. In hoc casu puto, quidquid plures dicant in contrarium; posse praesumptum reum se defendere adversus judicem, modo tamen, quo dictum est in superiori responsione; quia praesumptio debet cedere veritati, et propria innocentia jus dat ad se defendendum. Lug. *d.* 40. *n.* 39.

Q. VIII. An reus licite possit fugere e carcere; et quibus medis uti possit.

R. I. Si reus ex sententia judicis nondum sit carceri destinatus tanquam ad poenam, potest e carcere fugere; cum

nemo teneatur poenam subire ante condemnationem, adeoque fugiendo utitur jure suo. Sayr. *in clav. reg. l.* 12. *cap.* 18.

R. II. Si juste fuit damnatus ad carcerem etiam perpetuum, debet in eo permanere. Ratio est, quia judex juste judicans habet potestatem talem poenam infligendi sicut et condemnandi ad exilium, vel intra muros civitatis; si ergo in judice sit talis justa potestas, correspondere debet in reo obediendi obligatio. Sayr. *l.* 12. *c.* 18. *n.* 4. Navarr. *in man. c.* 17. *num.* 101. *et* 102.* et alii plures relati a Suar. *lib.* 6. *de legibus cap.* 10. *a n.* 5. Lug. *disp.* 40. *n.* 52. Passer. *tribun. regul. q.* 21. *art.* 3. *n.* 52.* Haec communis doctrina ab aliquibus limitatur, si carcer sit nimis tristis, nam videtur supra vires humanas obligare aliquem ad perseverandum in poena; quae dura valde sit et molesta; qua ratione excusant damnatos ad triremes, si curent ex eis fugere. Pal. *t.* 1. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 4. *n.* 5.* Suar. *l. c. n.* 16.* Item excusari potest, si fugiat damnatus ad carcerem, donec solvat, dum fugiendo speret saltem aliquo modo creditoribus satisfacere, et id nequeat in carcere praestare; nam tunc judex et creditores non essent rationabiliter inviti. Navar. *cit.** Lug. *l. c. n.* 60. et alii ap. Salmant. *l. c. n.* 56.*

R. III. Qui est jam damnatus ad mortem, ad mutilationem, ad flagella, vel etiam ad triremes, et interim detinetur in carcere per modum custodiae; licite potest ex eo fugere. Id autem probatur, quia tunc peccaret fugiendo, quando faceret contra aliquod justum praeceptum judicis. Hoc non intervenit in casu nostro; nam judex pronunciata mortis, mutilationis etc. sententia, jubet utique ministris, ut suo tempore exequantur sententiam, quibus proinde juste judici obtemperantibus, non licet resistere, at non solet lex humana, nec judicis praeceptum reo imperare, ut maneat in carcere, donec suspendatur etc. d. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Lugo *de just. d.* 40. *sect.* 4. Nullum ergo praeceptum reus infringeret, dum ob inclinationem, quam quilibet habet ad servandam propriam vitam, e carcere fugeret.

Cum autem jus sit in reo ad mortem, mutilationem etc. damnato e carcere fugere, sequitur et jus habere et carcerem et compedes infringendi; nam cui licet finis, et media licita sunt; et sicuti nulla fieret injuria judici, qui damnasset aliquos ad leones, si illos occiderent, ita neque si frangerent compedes et carceres, ad mortem evadendam. Lugo *loc. cit.** Et hanc sententiam tenent Sanch. Less. et

alii quamplures apud Salmant. *l. c. n.* 67. qui *n.* 68. 69. 70. argumenta et rationes oppositae sententiae fuse diluunt. *

R. IV. Puto etiam licere subministrare reo instrumenta apta ad carcerem infringendum; exceptis etenim custodibus carceris, aliisque ministris justitiae, quibus id interdicitur ob suum speciale munus, aliis non interdicitur: et aliunde subministrant instrumenta ad exercendum actum licitum ei, qui debet illum exercere. Less. *de justit. capit.* 31. *d.* 6. Lugo *d.* 40. *cit.* Non per hoc tamen concedo licitum esse immediate opitulari reo in infringendo compedes, et carcerem; nam tunc fieret injuria publicae potestati, unde reus solum jus habet publicum carcerem per se infringendi. Hoc non obstante bene possunt illi subministrari instrumenta ad infligendum; sicut non habens jus immediate destruendi rem alienam, bene potest tradere instrumenta ad destruendum illi, qui tale jus habet. Hoc tamen verum non est, si ageretur de fuga rei, qui esset valde reipublicae perniciosus, qualis esset haereticus, insignis latro, grassator viarum etc. quia ratio boni publici exposcit, ut neque mediate quis cooperetur illi, qui potest graviter tali bono officere. * Videantur AA. cc. *

R. V. Licet etiam reo damnato ad mortem corrumpere pecunia custodem. Gloss. *in cap. Inter caetera caus.* 22. *q.* 4. §. *Sed cum his omnibus v. Decepti*; nullum etenim adest praeceptum id ei prohibens, et aliunde nulla fit injuria custodi, etsi exinde puniendus sit: nam fuit volens et consentiens. * Huic opinioni, quod reo liceat pecunia custodem corrumpere, acquiescere non potest Ligor. *in sua moral. theolog. lib.* 4. *cap.* 3. *art.* 2. *n.* 282. eamque impugnat Contin. Tournel. *de octav. decal. praec. cap.* 5. *pag.* 590. quia licet reus jus ad vitam habeat, non potest tamen pro ea servanda alterum inducere ad actionem intrinsece malam; actio autem custodis, si ostium aperiat ad fugiendum certe est intrinsece mala, cum peccet contra suum officium. Verum haec facili negotio componi meo videri possunt, ut revera conciliat Bonac. *de octav. decal. praec. disp.* 10. *quaest.* 3. *n.* 28. Azor. *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 24. *dub.* 6. §. *Si tertio*, Giribald. *tract.* 1. *de just. cap.* 6. *n.* 60. Si enim reus pecuniam carceris custodi offerat eo animo, ut illum inducat ad aperiendam carceris januam, vel aliud quid simile praestandum, directe tendens ad fugiendum, utique peccaret ob rationem a Ligorio et Tournely allatam; quam admittunt etiam Bonaccina, Azor. et quamplures alii. Si vero

hoc praestat reus ad conciliandam sibi benevolentiam et amicitiam custodis, et ea captata ad viam fugae parandam, tunc a peccato excusandus videtur; cum reus utatur jure suo. Et haec intelligi potest fuisse mens nostris auctoris, ut bene perpendenti patebit. * Immo si custos a reo decipiatur talibus artibus et verbis, ut potuerit fraudem cognoscere, id non erit illicitum, quia ipse utitur jure suo; et aliunde custos sibi imputare debet, si non cognoverit fraudem rei, secus si nullatenus potuerit advertere, et multo magis si adhibeantur mendacia: nam tunc nullo pacto dici potest scientem et lubentem pati damnum, quod illi obvenit ex fuga rei. Sayr. *in clav. reg. l.* 12. *c.* 18. *n.* 16. * Videantur AA. cc. qui excludunt omnem vim et injuriam. *

Q. IX. An damnatus ut fame pereat, possit licite respuere cibos sibi oblatos.

R. Quod possit eos comedere non est dubium: quia non prohibetur comedere, sed tantum jubetur fame mori, dum illi cibus non subministretur: d. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Licite etiam ab omnibus subministrari potest cibus exceptis ministris justitiae: nam iis et non aliis incumbit sententiae executio: d. Th. 2. 2. *q.* 31. *art.* 2. *ad* 3. Verum non nego reum posse velle ex honesto motivo non comedere; sicuti enim possum velle non conservare vitam ex motivo cujuscumque alterius virtutis, ut dixi agendo de homicidio, e. g. pro charitate amicorum; ita et zelo justitiae, et ad punitionem justam meorum scelerum possem me velle conformare judicis sententiae. Hac eadem ratione puto damnatum ad mortem, et interim in carcere detentum non teneri e carcere fugere, etsi videret ostium apertum: neque est hoc seipsum occidere, sed velle pati ab alio mortem, ad quam juste fuit damnatus. Covar. *l.* 1. *var. resol. c.* 2. *n.* 89. Sot. *lib.* 5. *de just. q.* 6. *art.* 4. * Salm. *l. c. n.* 80. *et seq.* et alii quamplures apud ipsos. *

Regulae in praxi observandae.

I. Solent confessarii illorum, qui ad ultimum supplicium sunt damnati, valde eos urgere, ut fateantur veritatem, si illam in judicio negarunt; at de hoc, ex dictis, non deberent esse tam solliciti nisi in casu, in quo iterum essent interrogandi; tunc etenim utique deberent esse prompti ad veritatem fatendam. Extra hunc casum velle illos adigere ad se retractandum est ponere sine necessitate offendiculum caeco.

* Etiamsi denuo essent examinandi de delicto, valde cauti esse debent confessarii in illis interrogandis et monendis de proposito veritatem fatendi, si illa monitio putatur inutilis, vel etiam nociva, eo quod fortasse reus sit in bona fide, credens se posse negare veritatem, vel difficile inducetur ad eam detegendam, in eo casu confessarius utetur regulis illis generalibus quas tradit Sanchez *lib.* 2 *de matrim. disp.* 38. *et* Lug. *de poenit. disp.* 22. *sect. n.* 36. *et seqq.* Salmant. *tom.* 6. *tr.* 29. *cap.* 1. *p.* 1. *n.* 24. et traditae sunt inferius *tr.* 19. *quaest.* 5. *cap.* 3. *q.* 4. *resp.* 2. *

II. Alterum crimen, quod neque rei advertunt; neque confessarii, est credere damnatos ad carcerem in justam criminis poenam posse fugere, aliosque posse ipsis media ad fugam subministrare. Expellant a suis poenitentibus hanc ignorantiam, si non agatur de casibus exceptis, ac suadeant in carcere manere, ut facilius aeternum carcerem evadant. Immo eos moneant, quod si postquam fugerunt e carcere, ubi manebant per modum poenae, ad ipsum judicis praecepto revocentur, ad illum tenentur redire: sicut enim justo praecepto eos damnaverat, ita etiam potest eos revocare ad justam poenam subeundam.

* Si reus a judice non legitimo, vel juris ordinem non servante interrogetur, dictum est superius, non teneri crimen fateri, sed advertat confessarius ne in periurium, vel restrictiones mentales vetitas incidat, proinde bene perpendat doctrinam supra allatam *tr.* 8. *quaest.* 1. *cap.* 4. Conveniens autem modus evadendi periurium etc. est, vel tacere, vel uti aequivocatione satis externata per circumstantiam judicii. Vid. Ferrar. *biblioth. canonic. v. Accusatus. n.* 12. Haec autem facilius locum habent in judiciis criminalibus, in quibus juxta superius tradita potest reus ex probabili plurimorum DD. sententia crimen detegendi obligationem effugere. At in civili judicio, dum v. g. delato juramento interrogetur quis an sit debitor, si revera talis sit, fateri tenetur, alias peccaret contra religionem ratione juramenti, et contra justitiam legalem et commutativam. Solum posset vitare peccatum, et debitum illud negare, si acceptum retineret justae et licitae compensationis titulo: vel quia alio pacto remissum esset; nam cum judicis mens sit eum interrogare ut debitorem, ex quacumque vera ratione debitor non sit, recte negat. Nec in hoc evenit mentalis restrictio ab Innocentio XI. damnata ex communi theologorum sententia. Videantur decis. Lucan. *ann.* 1759. *pro mens. Febr. cas.* 3. *

* Advertat insuper confessarius, quod reus, si in sui defensionem necessarium putet accusatoris crimen detegere, id praestet juxta leges charitatis, hoc est quantum fieri potest, ejusdem famae consulat, non detegendo nisi quod necessarium est, et hoc sine verborum asperitate, et si infirmare testis probationem possit alia via, quam crimen manifestando, ea utatur. Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 5. *n.* 4. Lug. *disp.* 40. *n.* 21. *et* 22. *

* Superior doctrina asserens posse subministrari reo instrumenta ad infringendum carcerem, eumque juvare in fuga, limitata est quoad reum valde reipublicae noxium, hic limitanda videtur etiam quoad illum, qui in carcere detinetur propter debita. Si enim ex fuga deterior redditur causa creditoris, quia exponitur periculo vel non habendi, vel difficilius, peccat qui debitorem ad effugiendum adjuvat, et quidem sub onere restitutionis; cum idem sit ac alium ad furanda, vel retinenda aliena adjuvare. Nav. *man. cap.* 17. *n.* 101. Lug. *disp.* 40. *n.* 60. *

* Confessarius ad rei confessionem excipiendam ob crimina capitalia in carceres detrusi vocatus, ordinarie loquendo sanius consilium adhibet, si ejus confessionem sacramentalem non audit, donec crimen judicialiter fassus sit; quia periculum foret, ne spe evadendi mortem, etiam in confessione crimen occultaret, nisi vel gravis infirmitas rei, vel alia circumstantia aliter suadeat. Ita docet *appendix* 2. *in addit.* 3. *ad Reiff. tr.* 14. *disp.* 8. *post n.* 43. *

III. Pauci sunt confessarii, qui admoneant suos poenitentes de gravi culpa, quam committunt, quoties cognita tenui probabilitate suae causae, appellatione curant diutius retinere, quod alteri a judice inferiori fuit judicatum, et obligant partem adversam, potius ex iracundia, ad novas impensas. Non solum isti litigantes graviter peccant peccato inobedientiae, judici juste judicanti non obtemperando, sed etiam contra justitiam commutativam, damnificando injuste collitigantes. Dum sciunt ergo confessarii suos poenitentes litibus implicatos, moneant ut de justitia suae causae inquirant a viris sine passione judicantibus, et id praecipue postquam semel fuit adversus ipsos judicatum; et dum vident non sufficienti probabilitate tueri, cogant eos recedere a lite.

* Non omnino abs re puto nonnulla hic adnectere de jure asyli, quo reos ad ecclesias confugientes gaudere tum jus canonicum *cap. Inter alia, cap. Immunitatem de immunit.* tum jus civile statuit: *leg. Praesenti C. de his qui*

ad eccl. confugiunt, *l. Fideli*, *l. Pateant C. eod.* Covar. *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 20. *n.* 2. Laym. *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.* 3. *n.* 1. Suar. *de relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 9. Ambrosin. *de immunit. cap.* 1. *n.* 3. Van-Espen *part.* 6. *dissert. canonic. de asyl. templor. cap.* 2. Generaliter loquendo omnes quicumque sint, licet gravia et enormia delicta patrarint, neque repelli, neque excludi, neque extrahi possunt e loco sacro, communis ac certa ex jurib. cit. etiamsi jam carceribus mancipati ob delictum non exceptum ex iisdem aufugientes in ecclesiam, vel alium locum sacrum sese receperunt: ita DD. apud Leur. *in* 3. *decret. tit.* 49. *quaest.* 1021. Nomine autem loci sacri veniunt omnes ecclesiae licet non consecratae, dummodo saltem benedictae, vel episcopi auctoritate ad divinum cultum officiaque divina deputatae: textu expresso *cap. Ecclesiae de immunit. cap. Ad haec de religios. domib.* Neque referre videtur, quod divina officia ibidem nondum sint celebrata, sed sufficere deputationem ad ea celebranda factam; quia Gregorius IX. *in d. cap. Ecclesiae* solam deputationem pro ratione affert, et ita tenent Sanch. *lib.* 6. *consil. cap.* 1. *dub.* 7. *n.* 8. Azor. *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 8. *q.* 1. Reiff. *in* 3. *decret. tit.* 49. *n.* 8. Leur. *ibid. q.* 1007. Van-Espen *l. c. cap.* 4. Insuper loci sacri nomine veniunt ecclesiae pollutae, non reconciliatae, interdictae, nec non omnia loca illis adhaerentia, ad easque spectantia, uti sunt sacristia, tectum, atrium, porticus, campanile, portae, murus exterior. Barbosa *jur: eccles. lib.* 2. *cap.* 3. *a n.* 62. Laym. *l. cit. n.* 2. *arg. l. Pateant C. de his etc.* domus canonicales continuae parochorum, palatia episcoporum: *can. Id constituimus can. Quisquis* 36. *q.* 4. Gaudent quoque jure asyli monasteria et conventus religiosorum, eorum horti, area, familiarium domus, stabula, omniaque loca intra septa monasterii comprehensa. Barb. *l. c. n.* 72. et alii plures apud Leur. *in* 3. *decret. tit.* 49. *q.* 1013. *n.* 2. Excipienda tamen sunt in dominio sereniss. Lucens. reipublicae oratoria ruralia etiam publica, in quibus nullus sacerdos tanquam parochus parochialia munera exercens existit, vel ss. Eucharistiae sacramentum non asservatur, haec enim ex literis Benedicti XIV. in forma brevis expeditis *die* 14. *April. ann.* 1753. nullo immunitatis privilegio gaudent, quod et aliis principibus concessit. *

* Ab hoc tamen asyli privilegio dejecit Gregorius XIV. sua constit. *Cum alias bullar. Rom. t.* 2. *pag.* 707. Primo

publicos latrones viarumque grassatores, qui praedae, aut rapinae inhiantes viatores in publicis viis per insidias aggrediuntur, vel occidunt, etiamsi haec unica vice fecerint, et in via vicinali, et mors aut membrorum mutilatio viatorum sequuta fuerit, ut Gregorii constitutionem declarans decrevit Benedictus XIII. in sua constit. *Ex quo divina bullar. Rom. tom.* 12. *p.* 1. et novissime confirmavit Benedictus XIV. in sua bulla *Officii nostri*, *bullar. tom.* 3. *pag.* 278. Secundo agrorum depopulatores, qui agrorum segetes, vel vinearum fructus depopulati sunt, eos destruendo, vastando, vel ferro, vel igne, sive diurno, sive nocturno tempore. Tertio qui homicidium vel mutilationem in ecclesiis, vel caemeteriis committere non sunt veriti, vel proditorie proximum occiderunt. Quarto assassinos, qui tales dicuntur tam ii, qui certo ac determinato pretio, aut alia re praetio aestimabili conducti alium occidunt, quam ii qui pretium illud tribuunt, vel promittunt, ut declaravit Benedictus XIII. *loc. c.* §. *quarto.* Quinto crimine haeresis reos, propter ipsam, non propter alia crimina ad ecclesias confugientes. Sexto contra principum personas attentantes, et ita laesae majestatis crimine sese obstringentes percutiendo, vulnerando, illos occidendo in suo territorio plenum jus obtinentes, et quoad temporalia superiorem non agnoscentes, prout intelligunt Farinac. *in appendic. de immunit. cap.* 14. *n.* 185. et alii apud Reiff. *n.* 41.*

* Ultra praedictas aliae notandae veniunt declarationes bullae Gregorianae a Benedicto XIII. Clemente XII. et Benedicto XIV. editae. Et primo quoad asyli exclusionem propter homicidium in ecclesiis patratum, declaratum fuit eam habere locum tam contra *eos, qui stantes in ecclesia interficiunt, aut mutilant stantes extra ecclesiam, quam adversus eos, qui stantes extra ecclesiam occidunt stantes intra ecclesiam, vel iis membrum mutilant*, et non solum respectu ecclesiae violatae, sed cujuscumque alterius ecclesiae. Ulterius homicidio proditorio addere placuit homicidium animo praemeditato ac deliberato factum, etiam in rixa, dummodo non casuale et ad propriam defensionem, ita Benedictus XIII. *loc. cit.* §. 4. In qua exclusione comprehensos voluit Clemens XII. sua constit. *In supremo justitiae solio, bullar. Rom. t.* 14. §. 10. *et* 11. *pag.* 21. tam laicos, quam ecclesiasticos omnes cujuscumque gradus et ordinis homicidii reos, natu minores viginti quinque annis, majores vero viginti. His adjunxit mulieres, milites, et regulares cujuscumque ordinis,

congregationis, militiae ac instituti, tam in ipso professos, quam illi quomodolibet adscriptos: Benedictus XIV. constit. *Officii nostri*, *bullar. tom.* 3. *pag* 278. §. 8. *et* 9. Quae omnia pro ecclesiae Romanae ditione statuta ad Lucensem rempublicam extendit. Videatur ejus constitutio: *Alias felic. recordat. bullar. tom.* 1. *pag.* 297., et similiter ad alios principes. Alia quoque crimina addiderat Benedictus XIII. cit. constit. *Ex quo divina*, quae asyli privilegio non gaudere decrevit; impedimentum nempe praestitum ne quis ad locum immunem confugiat, vel violentam ex eo extractionem, falsificationem literarum apostolicarum, furtum, vel quid falsi commissum in montibus pietatis, vel alio publico loco, ubi pecuniae deponuntur, vulgo *banco publico* ab eorum ministris in ea quantitate, quae ad poenam ordinariam sufficiat, abrasionem, vel adulterationem monetarum ex auro, vel argento cujusque principis cursum in eo loco habentium, vel ita scienter monetas vitiatas expendentes, ut fraudis conscii censeri possint; eos qui curiam simulantes in domos ad furandum sese insinuant, et simul homicidium, aut mutilationem membrorum etiam in eos, qui casu in ea domo sunt, committunt effectu sequuto. Haec omnia constant ex supracit. constit. Benedicti XIII. Demum novissime Benedictus XIV. in constit. contra duellantes *Detestabilem*, *bullar. tom.* 4. *pag.* 35. ab omni immunitatis privilegio exclusit illos, qui in duello, vel publico, vel privato hominem occiderint, sive ille in loco conflictus, sive extra, ex vulnere tamen in duello accepto obierit. Neque juvat alicujus ex criminibus exceptis reos ad alienae dioecesis, vel finitimorum principum loca sacra confugere; nam si isti hujusmodi reos sibi invicem tradere convenerunt, in hoc rerum eventu episcopus loci, in quo delictum admissum est, cumulata per ipsum indicia ad capturam ad episcopum loci, in quo reus asylum caepit, mittere debet, et hic auctoritate sua cum interventu personae ecclesiasticae extractionem faciendam mandare. Ita Benedictus XIV. in saepe laudata constit. *Officii nostri* §. 15. Ista addenda duxi, ut parochi oves sibi creditas instruere, et ita a delictis patrandis absterrere possint.

CAPUT III.

De advocato, tabellione, et procuratore.

Q. I. Qui possint esse advocati.

R. Excluduntur ab officio advocati furiosi, surdi et muti; item nondum nati annis 17. quia non reputantur sufficientes

ad exprimendum conceptum suae mentis. Caeci pariter non sunt satis apti ad exercendum officium advocati; quia gestus et aspectus personae plurimum valent ad movendos auditores. Item infideles, haeretici et excommunicati: *cap. Excommunicamus* 1. *de haeret. cap. Nemo de poenit. dist.* 1. *leg. Nemo C. de postul.* Excluduntur foeminae, ni forte mater sit tutrix in causa filii: * *arg. can. Infames* 3. *q.* 7. *cap. Ex parte de appellat l. Puto autem de postuland.* et notat Pirrhing. *de postuland. n.* 4. * Excluduntur pariter omnes infames, de quibus *can. Infames* 3. *q.* 7. qui tamen pro se et pro conjunctis poterunt advocare: *leg. Quos prohibet ff. de postul.* * Porro inter personas conjunctas jure civili adnumerantur parentes, liberi, fratres, sorores, uxor, socer, socrus, nurus, vitricus, noverca, privignus, privigna, patronus, ejusque liberi; item pupilli, quos omnes recenset *lex Hunc titulum* et cit. *l. Puto autem ff. de postuland.* Pro iis omnibus postulare, vel advocati officium gerere permittuntur infames, dummodo non summa, aut insigni infamia notati: textus cl. cit. *leg. Hunc titulum* §. *Est aequissimum* §. *Ut initio et* §. *Ait praetor*, ibique Glossa, Leur. *in* 1. *decret. tit.* 37. *q.* 981. *n.* 4. * Excluduntur a munere advocati monachi, et subinde omnes regulares, ne a divinis, quibus debent esse addicti, distrahantur: *cap. Ex parte* 2. *de postuland. can. De praesentium et can. Monachi* 16. *q.* 1. Bene tamen advocare possunt pro utilitate sui monasterii, accedente licentia superioris. * Gloss. *in cit. cap. Ex parte v. Imperante*, Abb. *ibi n.* 2. Reiff. *in* 1. *decret. tit.* 37. *n.* 25. * Arcentur etiam episcopi a munere advocati coram judice saeculari; id enim dedecet ipsorum altissimam dignitatem: *can. Perlatum d.* 88. *can. Te quidem* 11. *q.* 1. Ea autem indecentia non consideratur, si episcopus exerceret munus advocati coram judice sibi superiore, ut e. g. coram nuntio. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 7. *d.* 4.

Non possunt exercere munus advocati sacerdotes, ex textu expresso * *cap. ult. de Postuland.* ubi redditur ratio, quod sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus velle prodesse, * nisi pro seipsis, vel ecclesia sua, vel pro sibi conjunctis, aut miserabilibus personis et in causis praefatis, solum dum sunt civiles. Porro in praesenti miserabiles personae illae intelliguntur, quae vel ob paupertatem, vel ob aliud impedimentum, aut impotentiam, non possunt causam suam promovere, unde utpote carentes propria defensione indigent auxilio ecclesiastico. Fagn. *in cap.* 1. *de postul. n.* 18. Po-

terunt etiam advocare, si ita necessarium sit ad suam suorumque sustentationem. Barb. *l.* 1. *jur. eccles. univ. cap.* 40. *n.* 90. * *et in cap.* 1. *de postulan.* ubi multos affert pro hac assertione DD. et validas rationes, nempe, quod si clericus potest pro vitae substentatione agriculturam: *arg. can. Clericus* 3. *dist.* 91. multo magis poterit advocati officium nobile exercere. *

Ultimo arcentur a munere advocandi clerici in sacris constituti; sicuti etiam clerici in minoribus, si sint beneficiati: *cap.* 1. *de postulat.* quia nemo militans Deo debet se saecularibus negociis immiscere. Possunt tamen tale munus exercere coram judice ecclesiastico: *cap. Clerici de postul.* etiam quoad negocia saecularia. * Pirhing. *in tit. de postuland. n.* 8. Leur. *ibi q.* 982. *n.* 4. * Coram judice vero saeculari possunt esse advocati in praefatis causis, quibus possunt esse sacerdotes, et etiam in omnibus negociis ecclesiasticis: et hujusmodi dicuntur, quae talia sunt vel ratione personae; ut dum persona ecclesiastica sequens forum rei litigat coram judice saeculari; vel ratione delicti, quod est ecclesiasticum, puta sacrilegium; vel ratione rei, quae est ecclesia, vel quid pertinens ad ecclesiam: * *cap. Cum sit ne for. compet.* Barbos. *in d. c.* Sanch. *lib.* 6. *consil. c.* 7. *dub.* 3. *n.* 6. Leur. *l. c.* Reiff. *de postuland. n.* 19. *

Non desunt autem theologi sentientes peccare mortaliter sacerdotes, aut clericos, qui non semel, aut bis, sed saepe et ex professo exercent munus causidici extra casus concessos a jure; quia dedecorant munus suum, exercentes quod tam expresse prohibent ss. canones. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 7. *d.* 4. *concl.* 2. Caeterum advertendum non illis prohiberi in uno tantum negotio saeculari advocare, eoque expedito aliud assumere, ut pluribus citatis advertit Barbosa *de jur. eccles. univ. l.* 1. *c.* 40. *n.* 88. Advertit insuper *n.* 89. nequaquam illis esse prohibitum domi suae allegationes juris efformare, ibique consilium etiam in scriptis dare. * Quod probari etiam potest ex rescripto, quod ipse Barbos. *l. c.* affert s. Congregat. concilii *sub die* 20. *Jul.* 1619. ex ea ratione, quam afferunt Passerin. *q.* 187. *art.* 2. *n.* 32. Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 32. quia nempe juris allegationes efformare, vel verbo et scripto consulere, non sit advocare, ut docet Bartol. *in l.* 1. *Postulare n.* 1. *ff. de postul.* et alii ap. ipsos. *

Q. II. Qua scientia et probitate pollere debeat advocatus.

R. Cum clientes pendeant a consilio advocati in litibus suscipiendis, ea debet esse ipsius scientia, ut valeat cognoscere merita et justitiam causae secundum jura; quia magis et minus scientiae requiritur secundum qualitatem causarum et negotiorum; et ita etiam in causis suscipiendis in eo major et minor scientia requiritur. Hinc in suscipiendis litibus advocati non deberent esse praecipites, et ut melius de ipsis judicare possent, deberent factum in scriptis habere, sicut et probationes actoris, sive defensiones et exceptiones, quas reus potest adducere: s. Anton. *p.* 3. *tit.* 6. *c.* 1. §. 4. *et c.* 2. §. 2. Navar. *in man. c.* 25. *n.* 28.

Una cum scientia talem probitatem debet advocatus habere, ut non adducat falsas leges, aut abrogatas, sicuti neque reprobatas doctrinas. Item uti non debet falsis cavillationibus, quamvis si defendat justam causam, et adversarii adversus ipsum malitiosis cavillationibus utantur, poterit aliis cavillationibus, non tamen falsitatibus repellere, sicuti licet insidias hostium aliis insidiis eludere: Glossa *in cap. Cupientes v. Malignantium de elect. in* 6. * Cavillationes et malitias adversarii potest per alias repellere, nec videtur fraudem facere, qui fraudem excludit: *l. Cum pater* §. *Titio ff. de legat.* 2. Navar. *loc. cit.* Covar. *l.* 1. *var. resol. cap.* 2. *n.* 1. Caveat etiam omnino a suadendo clienti ut falsas scripturas, vel falsos testes adducat. Demum probus advocatus non debet parti contrariae detegere merita causae, quam defendit; infidelis tunc etenim esset erga suum clientem: d. Thom. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *ad* 2. Excusarem tamen illum, si causa sui clientis esset aperte injutsa, et monitus nollet a lite recedere: nam tunc debet praevalere charitas, quae dictat impediendum damnum innocentis. Fagund. *in* 8. *decal. praec. cap.* 47. *n.* 13. * Sot. *de just. l.* 3. *q.* 8. *a.* 3. *

Hic autem meminisse juvabit teneri ad restitutionem advocatum causas amittentem ex defectu scientiae, vel ob non adhibitam sufficientem diligentiam et industriam pro causae qualitate juxta judicium prudentum et jurisperitorum; quia ex gravi culpa in suo officio est causa damni clientis. Item tenetur ad restitutionem parti succumbenti, secundum spem, quam poterat habere, si falsis allegationibus, seu falsi scripturis, et testibus causam non aperte justam pro suo cliente vicit. Demum tenetur ad restitutionem suo clienti, si ipsi, vel malitiose, vel ex ignorantia graviter culpabili non manifestat injustitiam, seu debilia fundamenta causae, sicuti et parti adversae restituere debet; nam injusto suo pa-

trocinio fuit causa damnorum, quae utraque pars passa est in lite substinenda: d. Th. 2. 2. *q.* 71. *a.* 3. Less. *de just. l.* 2. *c.* 31. *d.* 8., Lugo *d.* 41. *sect.* 1. * *l. Si quis aliquid* §. *Si quis instrumentum ff. de poenis, can. Si quis de cleric.* 12. *q.* 2. Videantur Leur. *de postuland, quaest.* 984. *n.* 1. *et* 2. Pirhing. *ibi n.* 22. *

Q. III. Quas causas patrocinari possit advocatus.

R. I. Si advocatus ex ignorantia invincibili defendat causam injustam, non peccat, neque tenetur ad restitutionem, utpote qui agit sine peccato; cum talis ignorantia tollat omne voluntarium. Tunc autem operatur ex ignorantia invincibili, quando vel errat in iis, quae scire non tenetur; vel quando adhibita secundum prudentum judicium sufficienti diligentia ad cognoscenda merita causae, nihilominus, ut aliquando solent etiam homines doctissimi, erravit. Non diceretur autem invincibiliter ignorare, si dum esset rudis ingenii praesumeret causas difficiliores advocare: d. Th. *cit. ad* 2. Navar. *in man. cap.* 25. *n.* 28.

Quod si in decursu causae ipsius injustitiam agnoscat, tenetur illam clienti manifestare, atque etiam en invito deserere. Neque potest inducere litigantes ad transactionem, seu compositionem; nam dum jus partis adversae est certum, illi integra res, de qua agitur, competit. Quod si cliens nollet a lite cessare, posset adversario compositionem consulere titulo redimendae injustae vexationis. Lugo *d.* 41. *n.* 6. * *l. Rem non novam* §. *Patroni cod. de judiciis.* *

R. II. Dum utriusque partis causa est in jure aeque probabilis, advocatus licite defendit, quam mavult. Ratio est, quia licet in dubio, seu pari probabilitate facti tam in civilibus, quam in criminalibus, potius favendum sit reo, quam actori, hoc tamen non est verum in dubio, seu pari probabilitate juris. Quamvis igitur advocatus in primo casu non possit agere contra reum, bene tamen potest vel unam, vel alteram partem defendere in dubio juris; cum enim utriusque jus sit aequale, et utraque pars aequale jus habet sua motiva coram judicem exponendi. Lugo *cit.* * Reiff. *theol. moral. tr.* 1. *dist.* 3. *n.* 63. vocans communiorem contra Faguan. *cap. Ne innitaris de const. n.* 381. *et* 387. et quosdam alios. *

R. III. Etiamsi rationes sui clientis ab eo judicentur minus probabiles, potest illum defendere, dummodo antea illi repraesentet hanc minorem probabilitatem. Quando dixi, etsi judicentur minus probabiles, non intellexi posse advocatum

patrocinari causas communiter reputatas solum speculative probabiles; nam si tales sint, ut semper, vel fere semper judices habeant contrarios, non gaudent probabilitate digna viro prudenti, adeoque in praxi non sunt patrocinandae. Ulterius dixi, debere manifestare suo clienti a seipso judicari suam causam minus probabilem; nam cum talis causa sit exposita gravi periculo succumbendi, et aliunde cliens, dum consulit advocatum, intelligat velle ab eo scire merita suae causae, jam si advocatus non manifestet clienti merita causae, qualia vere sunt, deficit in suo munere, et exponit injuste clientem multis expensis cum magno periculo litem amittendi. Lugo *d.* 41. *sect.* 1. *n.* 8. Sanch. *l.* 1. *in decal. l.* 1. *c.* 9. *n.* 63. His positis.

Probatur allata responsio; quia quamvis inique ageret, quando sciret etiam judicem probabiliorem judicare opinionem faventem parti adversae; nam tunc certum est debere in favorem ipsius judicare, ut constat ex propositione damnata *sub num.* 2. *ab Innoc. XI.*, non tamen inique agit, dum id nescit. Quot enim sunt opiniones aliquibus minus probabiles, quae ab aliis probabiliores omnino reputantur? Potest igitur, et ipse sperare opinionem faventem suo clienti, quae ipsi minus probabilis apparet, a judice probabiliorem judicandam. Aliunde nullam facit clienti injuriam, semper cum aperte ipsi merita causae manifestaverit. Lugo et Sanch. *cit.* Sayr. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 21. * Azor. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *q. ult.* Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 52. apud Leur. *l. c.* Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. *

Q. IV. An advocatus teneatur pauperibus patrocinari.

R. Communis sententia est advocatum teneri patrocinari pauperibus, dum sunt in necessitate talis patrocinii, nec adest alia via illorum necessitatibus consulendi: d. Th. 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. Navar. *in man. c.* 25. *n.* 29. Tolet. *lib.* 5. *instruct. sacerd. c.* 6. Sed ut melius haec materia elucidetur, suppono cum d. Th. *cit.* quod cum patrocinari pauperibus sit opus misericordiae, obligatio impendendi hujus patrocinii regulanda sit juxta obligationem elargiendae eleemosynae. Sicut igitur aliquid ex superfluis statui tenentur dare divites in communibus pauperum necessitatibus; ita advocatus tenetur aliquando tempus quod sibi superest aliis causis insumere in communibus pauperum litigantium necessitatibus. Sicut tamen dives habens superflua statui, non intelligitur graviter peccare, si uni, aut alteri pauperi eleemosynam negaret, bene vero si omnibus, ita et dicendum de advocato in casu nostro.

Multo autem magis tenebitur advocatus pauperi patrocinari in necessitate gravi; ut si deficiente ipsius patrocinio, aliquis timeat ad mortem, vel grave supplicium damnari, vel amittere honorem, famam, excidere a proprio statu, vel diu in carcere retineri propter debita, ad quae solvenda damnabitur. Cum igitur unusquisque sub gravi teneatur eleemosynam elargiri proximo in gravi necessitate constituto ex sibi superfluis, etiam cum aliquali suo incommodo, alias convinceretur proximum non diligere; ita pariter dicendum de advocato in praefatis pauperum necessitatibus, teneri scilicet tempus sibi superfluum in eis patrocinandis insumere, etsi aliquod incommodum subire debeat. Ubi et advertendum, quod cum advocatus dives minorem habeat necessitatem causas suscipiendi pro se suaque familia substentanda, ita et plus temporis impertiri debet causis egenorum, quam advocatus pauper.

Demum sicut in extrema necessitate adest obligatio dandi eleemosynam proximo, etiam de necessariis statui, ita et advocatus in extrema paûperis necessitate, in qua scilicet sine ipsius patrocinio, ex imputatione e. g. delicti, certe est ad mortem damnandus, vel quia cum non habeat quomodo se defendat, est certe expoliandus omnibus, vel fere omnibus suis bonis: in his, inquam, casibus advocatus tenetur etiam cum suo gravi incommodo pauperi patrocinari. Videantur quae dixi in *tr. de char.* Quae dicta sunt de obligatione advocati in ordine ad pauperes, applicanda sunt medico in ordine ad infirmos. * Videantur Salmant. *tr.* 29. *cap.* 4. *punct.* 2. *per tot.* Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 7.

Q. V. Quale pretium possit recipere advocatus.

R. I. Non quaeritur hic de pretio, quando a lege taxatum est; nam tunc non licet illud excedere. Item non est quaestio de pretio, dum advocatus patrocinatur pauperes in gravi, vel extrema necessitate, nam tunc debet eos patrocinari gratis; nec potest pacisci de pretio, si ad pinguiorem fortunam devenerint, ex dictis de obligatione gratis pauperibus dandi eleemosynam.

Ubi autem non extat lex taxans salarium advocati, in eo taxando aliqua sunt consideranda. Primo qualitas causae; nam aliud dandum est pro levi, et facili causa aliud pro gravi, et difficili. Secundo considerandus est labor advocati, inaequalis enim debetur merces pro inaequali labore. Tertio scientia et dignitas advocati; nam parum solet tribui advocato mediocris scientiae: d. Thom. 2. 2. *q.* 61. *a.* 4.

Sot. *de just. l.* 5. *q.* 8. *art.* 3. Lugo. *de just. d.* 41. *n.* 2. Verum tamen est, quod dignitas et scientia advocati non sunt ejusdem arbitrio pensandae; nam quo minori pollent doctrina, aliquando solent se Bartolo comparare. Debet demum considerari consuetudo regionis.

Denique advertendum a jure prohiberi advocatum pacisci de certa quantitate sub conditione, si litem vicerit: *leg. Si qui C. de postulation.*, *leg. Sumptus ff. de pact.*, et id ne per fas, et nefas conetur victoriam reportare. Bene tamen pacisci potest absolute de certa quantitate, sive scilicet vicerit, sive non; tunc enim cessat ratio prohibitionis: *l.* 1. §. *Si vero ff. de var. et extraord. cog. l.* 1. *ff. de mand.*

Q. VI. Quae debeant esse qualitates notariorum, et procuratorum.

R. I. Notarius primo debet habere peritiam sufficientem de modo conficiendi instrumenta, testamenta etc., et de clausulis in eis apponendis: et si sua inscitia propter clausulas v. g. confusas et obscuras, vel omissas, est causa ut aliquis damnum patiatur, ultraquamquod peccat mortaliter, tenetur de damnis, quae sua culpa causavit: d. Ant. *p.* 3. *tit.* 6. *cap.* 6. §. *fin.* Uno verbo debent sufficienter scire omnia ea, quae pertinent ad ipsorum munus, quod non est exigui momenti; cum non raro ex ipsorum imperitia multae oriantur lites, et conscientiae in magno discrimine constituantur, de qua re multi conqueruntur DD.

Ultra scientiam sufficientem debet tabellio, seu notarius servare veritatem. Haec autem primo exposcit, ut conficiat instrumenta, fideliter transcribendo verba partium, prout cognoscit ea dixisse; nam uno; aut altero modo prolata valde obesse, et prodesse possunt. Secundo non debet negare vel occultare instrumenta iis, qui illa exigunt vel ad litem defendendam, vel ad cognoscendum, an aliqua legata in ipsorum favorem fuerint facta etc. Immo debet ipse manifestare legatum, maxime ad pias causas. Ut servetur veritas, debent mulieres, et personas rudiores instruere, ut possint eamdem veritatem vel in civilibus, vel in criminalibus, ut par est, deponere. Tertio debent conficere acta de iis, quae non solum visu, sed auditu etiam percipi solent; unde non debent in instrumento asserere pecuniam fuisse numeratam, quando revera ita non est. Si vero ipsis certo moraliter constet pecuniam fuisse numeratam, quamvis tota coram ipsis non fuerit numerata, non videntur committere falsitatem. Denique cavere debent notarii a conficiendis instru-

mentis injustis maxime usurariis, et libertatis ecclesiasticae laesivis. Verum tamen est non debere sibi fidere in judicando aliquem contractum esse justum, vel injustum; nam experientia constat facile in his errare.

De officiis notariorum, et de obligatione, quam contrahunt, restituendi, vel ratione ignorantiae in suo munere, vel ob non servatam veritatem; vel ratione alicujus fraudis, aut doli, agunt s. Antoninus *p.* 3. *tit.* 6. *cap.* 3. Navar. *in man. cap.* 25. Tolet. *lib.* 5. *instruct. sacerd. cap.* 6. * Vid. Salmant. *l. c. cap.* 5. *p.* 1. *et* 2. *

R. II. Obligationes procuratorum correspondent obligationibus advocati. Debent ergo sufficienter scire, quae ad ipsorum munus pertinent: ex quo fiet, ut non suscipiant causam injustam procurandam, ac de ea monebunt suos clientulos: non inducent ad injustam concordiam: non suadebunt clientulis juridice interrogatis negare veritatem: non inducent falsos testes etiam ad probandum quod alias esset verum: non repellent testes contrarios ipsorum occulta crimina manifestando: non petent dilationes superfluas ad litem in longum protrahendam etc. Haec omnia scire debent, et cauti valde sint in amplectendis causis; nam prius, quantum pertinet ad ipsorum munus, debent ipsarum justitiam examinare.

Exposcitur deinde in procuratore diligentia, ut omnia nempe tempore opportuno peragat, petendo ex. gr. justos terminos ad probandum, quae et quando debet probare, appellando quando appellare oportet. Hinc oportet procuratorem non multis litibus intricari, ut possit, qua par est diligentia, susceptis litibus assistere. Quod si ex sua ignorantia, vel negligentia litigantes damnum aliquod patiantur, tunc habet onus restituendi; utpote quia est causa culpabilis damni illati.

Q. VII. Quod pretium pro suo labore recipere valeant notarii et procuratores.

R. Ubi datur lex taxans salarium notariis, et procuratoribus, utique haec servanda est. Si vero non detur hujusmodi lex, tunc debent habere pretium consuetum, et juxta aequitatem. Possent tamen aliqualiter illud augere ratione extraordinarii laboris; ut si longe a civitate eundum fuisset, vel ducere noctem insomnem ad conficiendum instrumenta, scripturas etc.

Solent aliquando procuratores, quibus singulis annis constitum est certum salarium ad lites e. g. alicujus monasterii

defendendas, alium procuratorem substituere retenta pro se parte salarii sibi assignati. In hoc autem casu puto nullam esse injustitiam, si adsit consensus partis. Si vero non adsit, et substitutus sit aeque idoneus et diligens, pariter censeo nullam committere injustitiam; nam pars non potest esse rationabiliter invita. Quod si non sit aeque idoneus, et diligens, puto non posse totum salarium retinere; cum non possit credi partem idem salarium tali soluturam procuratori. Praeterea tunc procurator principalis obnoxius erit omnibus majoribus expensis et damnis, quae ex inscitia, vel negligentia substituti provenirent. Bonac. *in* 8. *decal. praec. disp.* 10. *q.* 3. *p.* 4. *

Accidere etiam solet aliquando procuratores efformare consilia, quae clientuli optarent ab advocato, et tunc non solum retinere mercedem, quae debetur procuratori, sed illam etiam quae advocato debetur, vel solummodo partem illis tribuere, si se subscribant consilio a procuratore efformato. In hoc autem casu puto saltem non posse retinere totam mercedem pro consilio a clientulo datam. Ratio est quia clientulus multo majorem mercedem dat, quando credit consilium ab advocato fuisse efformatum, ac proinde totam illam mercedem ex errore tribuit. Item si sciret advocatum solummodo subscripsisse approbando consilium a procuratore efformatum, ob solam ipsius subscriptionem multo minus tribueret. Remanet ergo procuratorem aliquid de plus posse retinere ratione laboris in consilio efformando, sed multo minus mercede tribui solita advocato. Accidere etiam potest valde decipi in judicando se sufficientem scientiam habere in efformando consilio; in quo casu, ultraquamquod non posset aliquid retinere de mercede, quam clientulus se putat dare advocato, tenetur ad omne damnum, quod ex suo consilio possit provenire. Videantur Toletus *in instruct. sacerd. l.* 5. *cap.* 6. *n.* 5.

Illud in universum attendant notarii, et procuratores non posse retinere, quae plus justo habent, a pauperibus personis, dum pecuniam aliaque dona tribuunt; quia vident ipsos parvifieri, ipsorum negotia remisse expediri etc. nam haec omnia non dant gratis, sed coacte. Neque satis se excusant dicendo ab illis non exigere, nisi quae ab aliis exigere solent. Ratio est, quia a miserabilibus personis aequum est, ut minus exigant; immo quandoque omnino liberaliter debent operam suam pro ipsis praestare, ut dixi supra de advocatis.

Regulae in praxi observandae.

I. Cum negari non possit dari aliquando advocatos, procuratores, et notarios vere sui muneris incapaces, et multa ignorantia laborantes, si confessarius illos non moneat de obligatione a suo exercitio cessandi, uterque inferni reus erit. Nec satis se excusare potest confessarius dicendo ipsorum inscitiam sibi compertam non esse; nam aliquando, ut id illi satis innotescat, sufficit aures habere: quidam etenim omnium voce insufficientes judicantur. Sed quid ergo agere ulterius debet confessarius cum illis advocatis qui advocandi munus non exercent, sed quandoque nihilominus eliguntur ad lites dirimendas, puta quia judicum vota paria fuere pro affirmativa, et negativa? Facilis responsio est. Vel omnino etiam cum proprio dispendio in tali casu renuant judicare, semper etenim id illicite praestant sine scientia sufficienti: vel renuntient doctoratus dignitati, ut ita se eximant, a judicando. Si vel unum, vel aliud non praestent, et confessarius ad id non obliget, uterque ut dixi, reus inferni est. Non auderem tamen condemnare gravis culpae, si dum ipse non sit satis doctus, sibimet non fidit, et quia non potest sine sui dispendio se a judicando eximere, probi et docti viri votum, et sententiam sequitur. Videat ergo saltem, ne nimis praesumat.

Nec desinat confessarius animadvertere non solum ratione ignorantiae esse in continuo statu peccati mortalis advocatos indoctos, ac notarios, et procuratores in suo munere non satis peritos, sed teneri ulterius ad restitutionem damnorum, quae ex ipsorum ignorantia et imperitia derivant.

II. Moneat confessarius advocatum suum poenitentem, ne statim clientulo victoriam litis promittat. Tenetur ex vi sui officii, antequam litem aggredi posse pronunciet, aperire clientulo momenta rationum, quae illi assistunt, et si minus sint probabilia, ingenue fateri ei talia apparere.

III. Potest etiam graviter peccare advocatus, dum in causae decursu ex noviter deductis quae in causae initio latebant, cognoscit causam sui clientuli non posse amplius sustineri, et nihilominus id occultat, ne ignorantiae arguatur vide quae diximus supra *quaest.* 3.

IV. Dantur etiam advocati, qui graviter peccant, dum cognita causae injustitia adhuc nihilominus litem assumunt, ut morem gerant suo clientulo, qui ex propria obstinatione vult in lite persistere. Idem animadvertat, dum lites,

plusquam par est, protrahuntur cum gravi alterius dispendio.

V. Cum ex communiori theologorum sententia advocati, notarii et procuratores teneantur ex charitate aliquando patrocinari pauperibus, maxime in valde gravi ipsorum necessitate, videat confessarius quam raro admodum eveniat, ut hujusmodi miserabiles personae in gravissimis suis necessitatibus patrocinium a praefatis inveniant: atque ita non raro evenit ex defectu patrocinii res suas, quas justissime possident, amittere. In sui excusationem dicent non suppetere sibi tempus ad hujusmodi causas patrocinandas. Verum si pro his causis defendendis stipendium sperarent, saepe et has et alias defendendas susciperent. Dicunt ulterius adesse pauperum advocatos, quibus ex justitia incumbit ipsorum causas patrocinari: verum notant theologi aliquando vel ob ipsorum nequitiam, vel quia sunt valde imperiti, pauperum causas patrocinio destitui, adeoque tunc teneri ex charitate alios advocatos pauperibus in valde gravi necessitate opitulari, maxime dum id non grave incomdum ipsi afferret.

VI. Peccare possunt advocati, notarii, procuratores, dum pro suo munere pretium non exiguum exposcunt. Certe justitia pretii non est pro ipsorum voluntate metienda, sed pro qualitate causae, et pro necessario labore in ea patrocinanda; et aequitas etiam exposcit ut clientulus non dives non valde emungatur: unde s. Th. 2. 2. *quaest.* 71. *art.* 4. docet advocatos posse praetium accipere, *dum tamen moderate accipiant, considerata conditione personarum et negotiorum et laboris et consuetudine patriae.*

VII. Advertat confessarius saepe non esse in conscientia tutos advocatos et procuratores, qui dicunt non exiguum praetium a clientulis, et munera liberaliter data recepisse. Ita poterunt sibi persuadere, si qualitas et divitiae clientuli dent fundamentum ad ita credendum. At si talis non sit clientulus, vel cognoscere etiam possit confessarius tantam liberalitatem derivasse, eo quod parum de causa erant solliciti, utique non liberaliter data credere debet, sed coacte, adeoque ad restitutionem teneri saltem partis pretii, vel munerum, quae acceperunt.

VIII. Peccare solent advocati et procuratores, quia non raro suadent clientulis negare, dum interrogantur tam in causis civilibus, quam criminalibus. Debent ergo scire judici legitime interroganti veritatem esse manifestandam, et raro evenit judicem non legitime interrogare. Si ergo pra-

vo suo consilio et ipsi graviter nolint peccare, sciant in quibus casibus clientulus non tenetur veritatem patefacere, et quomodo a mendacio et perjurio possit excusari, veritatem non manifestando.

IX. Notet etiam in nostra dioecesi incurrere ipso facto excommunicationem archiepiscopo reservatam *Notarios, aut alios testamenta scribentes, non transmittentes ad cancellariam archiepiscopalem, vel ad alios deputatos notulam legatorum piorum, aut alterius piae dispositionis, intra duos menses a die scientiae obitus testatoris, etiamsi testamentum non esset apertum*. Haec igitur excommunicatio afficit notarios, aut quoscumque alios scribentes testamenta, ut si parochus, vel alter scribat testamentum, vel etiam codicillum ad causas pias, intervenientibus duobus testibus: nam certum est hoc testamentum valere. Si igitur habita notitia mortis testatoris differant ultra duos menses deferre notulam legati pii ad cancellariam archiepiscopalem, vel ad alios ad hoc deputatos, certum est incidere in excommunicationem, etiamsi apertum non esset testamentum. Nec referret alia via ecclesiae legatum pium innotescere; quia finis legis est, ut ecclesiae authentice constet de legato. Excusandi fortasse solummodo essent, quando certo scirent, vel plene satisfactum esse legatis, ita ut nulla supersit obligatio; vel si certo constaret legatum factum a testatore nullum esse; nam tunc videtur finis legis cessare. In praxi tamen semper obligandi sunt ad deferendam praefatam schedulam; nam haeredes errare aliquando possunt, dum putant se plene satisfecisse, vel judicant nullum esse legatum. Expedit ergo ecclesiam posse hujusmodi ad examen revocare.

Oportet etiam adnotare non incidere in censuram notarium, vel alterum, quando dubium est, an legatum sit pium nam dubium juris, vel facti excusat a censura. Pariter bene animadvertit P. Mansi hic non esse sermonem nisi de legatis piis, et quae assequuntur suum robur ex morte testatoris, uti se habent donationes causa mortis; nam si comprehenderentur etiam dispositiones inter vivos, non esset ratio cur tabelliones etc. permitterentur expectare duos menses a morte testatoris ad schedulam exhibendam.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS

DE

SACRAMEN. IN GENERE

Cum juxta Apostolum 1. ad Cor. 4. 19. Sacerdotes *sint Ministri Novi Testamenti*, *et Dispensatores Mysteriorum Dei*, summopere necessarium est non ignorare, quae sit sacramentorum excellentia, quae efficacia, quae necessitas, quae utilitas; sicut etiam qui ritus, quibus conficiuntur et administrantur. Dum haec ignorent ipsi, ad hos salutis fontes imparati accedent; nec qua reverentia et dispositione ad ipsos accedendum poterunt populos edocere. Hinc fiet nequaquam *Domino plebem perfectam*. paraturos, sicut ipsorum exigeret ministerium.

QUAESTIO UNICA

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

De definitione sacramenti, et de sacramentorum convenientia, necessitate et numero.

Q. I. Quid sit sacramentum.

R. Quamvis hoc nomen *sacramentum* diversas possit habere significationes; nihilominus, illis omissis utpote in praesenti non necessariis, dicendum est, optime sacramentum posse ex d. Th. *p.* 3. *q.* 60. *a.* 2. ita definiri: *Signum rei sacrae sanctificantis animam.* Dicitur *signum*, quod scilicet sensibile est, quia nempe sacramenta constant rebus, quae nostris sensibus subjiciuntur. (1) Non est autem signum

(1) Eatenus vero juxta s. Aug. *epist.* 23., *et de catechiz. rud. c.* 26. dicuntur signa, *quatenus externa quadam specie et similitudine id nobis referunt et declarant quod per ipsa Deus nobiscum invisibiliter et spiritualiter operatur*. Sic in baptismo exterior ablutio, quae sordes corporis purgat efficax est signum interioris ablutionis a peccato originali, et actualibus si quae ante baptismum commissa sint.

naturale, quo pacto fumus est signum ignis, sed signum divinitus institutum ad significandam sanctificationem, quam in nobis causant sacramenta. Ita e. g. aqua baptismi, quae sordes abstergit, est signum illius animae emundationis, quam causat illud sacramentum. Additur *rei sacrae sanctificantis animam*, gratiae nempe habitualis; a qua oritur nostra sanctitas et justificatio. Quamvis proinde ss. imagines et signum crucis significent rem sacram, non proinde sunt sacramenta; quia non significant gratiam sanctificantem. Nec sacramentalia pariter dici possunt sacramenta; quia ex opere operato non habent gratiam conferre, quamvis rem sacram significent. Demum sacramentum distinguitur a sacrificio, quia istud primo et per se institutum est ad indicandam divinam excellentiam, non sanctificationem offerentis, quam in nobis causari indicant sacramenta. Ultra gratiam sanctificantem notat s. Thomas *p.* 3. *q.* 60. *a.* 3. sacramenta significare etiam Christi passionem; nam gratia nobis ex illius meritis confertur, sicut etiam gloriam coelestem; nam gratia tribuit jus ad illam.

Q. II. An conveniens fuerit fuisse sacramenta.

R. I. Pro statu innocentiae non conveniens fuit institui sacramenta. Non, inquam, conveniens fuit pro gratia primo acquirenda; nam unusquisque in illo statu natus fuisset in gratia. Non pro eadem gratia augenda; sicut enim ab initio absque sacramentis fuisset collata, ita sine illis habuisset augmentum. Non pro refraenanda concupiscentia; quia tunc nulla fuisset passionum rebellio. Non denique pro recuperanda gratia, supposito quod ille status perseverasset, et aliqui peccassentes mortaliter; sicut etenim tunc homines non ex ignorantia; aut fragilitate peccassent, sed ex pura malitia, non fuisset conveniens mediis sacramentis reddere illis faciliorem poenitentiam, sed relinquere, ut perfecta contritione gratiam recuperarent. Docet proinde s. Thomas *p.* 3. *q.* 61. *a.* 2. in illo statu nulla fuisse sacramenta. Fuissent nihilominus in illo statu sacrificia: debebant enim homines non solum actibus internis Deum ut supremum animae dominium agnoscere, sed etiam sacrificando res externas, ut dominum corporis, omniumque rerum sensibilium.
* Idem s. Doctor 2. 2. *q.* 85. *art.* 1. licet non desint theologi scholastici; qui contendant, in statu innocentiae non repugnare sacramentorum institutionem. Tournel. *scolast. de sacram. in gen. quaest.* 2. *conclus.* 1. et eius Contin. *tr.*

de sacram. in gen. cap. 1. *art.* 2. tamen omnes fatentur, verosimilius nulla fuisse in eo statu instituta sacramenta. *

R. II. Pro legis naturae statu, nempe a lapsu Adae usque ad legem per Moysem promulgatam (1), sicut et in statu ipsius legis usque ad legem gratiae, et ab hac usque ad finem mundi, conveniens fuit fuisse sacramenta. Ratio est, quia post Adae lapsum cum facti essent homines tam ad malum proclives, conveniens erat, ut instituerentur sacramenta, quibus vel lapsi facilius resurgere, vel innocentes a lapsu possent praeservari. Tum quia conveniens erat, ut mediantibus sacramentis darentur in ecclesia signa visibilia, quibus fideles ab infidelibus discernerentur. Tum quia, ut notat s. Th. *p.* 3. *q.* 60. *a.* 5. decebat nobis innotescere, sanctificationem nostram pendere non a mediis a nobis electis, sed a Deo determinatis.

Q. III. An conveniens fuerit institui sacramenta sub rebus sensibilibus.

R. Sicut conveniens erat institui sacramenta, ita et decebat institui sub rebus sensibilibus, non solum ut possent esse signa, quibus discernerentur fideles ab infidelibus, sed etiam ut media, quibus nobis conferenda erat gratia, proportionata essent nostrae cognitioni, quae initium habet a rebus sensibilibus, ut notat s. Th. *p.* 3. *q.* 61. *a.* 1. Oportebat etiam sacramenta institui sub rebus sensibilibus, ut nobis signa essent gratiae, quam conferunt: ita aqua baptismi significat gratiam, quam confert, emundantem nempe ab omni delicto. Bene etiam congruebat materiae sensibili addere in institutione sacramentorum verba, ut effectus sacramentorum non virtuti naturali materiae, sed principaliter Dei verbo tribuerentur, ut observat s. Augustinus *tr.* 80. *in Jo.* Addit s. Thom. *p.* 3. *q.* 60. *a.* 6. quod cum sacramenta habeant quamdam relationem ad mysterium incarnationis, sicut haec facta fuit ex unione Verbi ad humanitatem, ita adumbranda erat in sacramentis, uniendo verba materiae.

Q. IV. Quot fuerint sacramenta tempore legis naturae et legis scriptae?

R. I. Tempore legis naturae saltem admittendum est sacramentum peccati originalis deletivum, ut observat s. Augustinus *l.* 5. *contr. Julian. c.* 9. * alias 11. et habetur ex

(1) Qui naturae status comprehendit annos juxta communem cronologiam 2513.

cap. Majores de baptismo * Quamvis autem non ita exploratum sit, in quo consisteret hoc sacramentum; nihilominus innuere videtur idem s. Augustin. *l.* 2. *de nupt. et concupisc. c.* 11. illud constitutum fuisse in actu fidei venturi mediatoris, quae tamen fides innotescere debebat aliquo signo externo, alias in hoc consistere non potuisset sacramentum, quo discernendi erant fideles ab infidelibus, * et s. Gregorius *lib.* 4. *moral. cap.* 2. * Hinc putat s. Thomas. *p.* 3. *q.* 70. *a.* 4. *ad* 2. hanc fidem redditam fuisse sensibilem per aliquas preces, vel benedictionem parentum: * Suar. *in* 3. *p. d. Thom. q.* 60. *disp.* 4. *sect.* 2. et eruitur ex *d. cap. Majores*: *Absit enim ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuravit ad salutem;* et ex can. *Quod autem de consecrat. dist.* 4. *

R. II. Nullatenus dubitari potest tempore legis scriptae fuisse sacramenta. Plura illius legis sacramenta recenset s. Th. 1. 2. *q.* 102. *a.* 5. Apud omnes autem exploratum est circumcisionem fuisse illius legis sacramentum in remedium peccati originalis; atque ut eo populus a Deo electus a caeteris populis discerneretur, ut observat s. Augustinus *l.* 16. *de civit. Dei c.* 27. *et l.* 2. *de nupt. c.* 11. et s. Greg. *l.* 4. *moral. c.* 2. Sicut autem omnino dicendum est pro foemellis aliud fuisse sacramentum peccati originalis deletivum, ita et idem credere est deservisse pro parvulis existentibus in mortis periculo ante diem octavum, quo circumcidi debebant, et quamvis scriptum non sit, in qua caeremonia proprie consisteret, affirmandum tamen est illud fuisse quoddam externum signum certum et determinatum, protestativum fidei in Christum venturum. Videndus est s. Augustinus *l.* 5. *con. Julian. c.* 9. * et cit. *cap. Majores et can. Quod autem*. *

Q. V. Quot sint sacramenta tempore legis gratiae?

R. Cum antiqua sacramenta designarent Christum venturum, et nobis promeriturum gratiam, nova instituenda erant sacramenta post ipsius adventum, quae significarent Christum jam natum et passum, sicut et gratiam nobis promeritam. Et quidem cum multas habeamus in lege nova caeremonias sensibiles a Deo permanenter institutas ad gratiam significandam, jam etiam constat plura in ea esse sacramenta. Ecclesia autem catholica semper septem esse sacramenta agnovit, videlicet Baptismum, Confirmationem,

Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, ut contra Novatores definit etiam Tridentinum *sess.* 7. *can.* 1.

Hujus numeri septenarii congruentiam assignat s. Thom. *p.* 3. *q.* 65. *a.* 1. Primo observat, quod cum finis sacramentorum fuerit perficere hominem in ordine ad Dei cultum secundum christianam religionem, necesse habebat spiritualiter nasci per baptismum; augeri in vita spirituali per confirmationem; alimentum habere in eadem vita per eucharistiam; sanari a morbis spiritualibus per poenitentiam; robur accipere in praecipuo agone contra spirituales hostes per extremam unctionem; spiritualiter gubernari mediantibus superioribus per ordinem sacrum institutis; ac denique per matrimonium auxilium habere ad sancte filios procreandos et educandos. * Hanc d. Thomae doctrinam amplexati sunt Eugenius IV. in. *instructione Armenorum*, et concilii Tridentini catechismus *p.* 2. *n.* 18. *

Observat pariter s. Doctor, quod cum alter sacramentorum finis sit curatio peccati, huic etiam bene congruit septenarius sacramentorum numerus; nam baptismo tollitur peccatum originale; confirmatione medetur infirmitati spirituali, quae remanet in baptizatis; eucharistia proclivitati ad peccandum; poenitentia deletur peccatum commissum post baptismum; extrema unctione reliquiae peccatorum; ordine impeditur dissolutio multitudinis; et matrimonio compescitur rebellio concupiscentiae.

Cum autem ex dictis constet aliqua sacramenta primo et per se instituta esse ad delendum peccatum; ideo haec appellantur sacramenta mortuorum, et sunt baptismus et poenitentia, quae homini spiritualiter mortuo, mediante gratia sanctificante, dant vitam spiritualem. Caetera sacramenta, quia per se primo instituta sunt pro iis, qui jam debent habere vitam spiritualem, per eadem sacramenta augendam, dicuntur sacramenta vivorum.

Q. VI. Quale sit discrimen inter sacramenta novae et antiquae legis?

R. Cum Apostolus *ad Hebr.* 7. dicat omnia sacramenta antiquae legis abolita fuisse propter ipsorum infirmitatem et inutilitatem, eaque fuisse *infirma et egena elementa* pronunciet *ad Galat.* 4. constans est theologorum sententia quamplurimum ab illis sacramenta novae legis differre. Hinc Tridentinum *sess.* 7. *can.* 2. anathema dicit asserentibus in hoc solum differre, quod aliae sint caeremoniae, alii ritus

externi. Dicendum proinde est antiqua sacramenta solummodo figurasse gratiam dandam per Christi passionem, et cum non haberent ipsa virtutem ad gratiam conferendam (1), adulti eadem sacramenta suscipientes, gratiam assequebantur actu propriae fidei, et rectae seu contritae voluntatis dispositione: parvuli vero actu fidei et bonae voluntatis ministrantis, seu offerentis, ut docet s. Th. *p.* 3. *q.* 70. *a.* 4. Dicendum autem est sacramenta novae legis habere virtutem conferendi gratiam, quam significant, ut etiam explicat catechismus conc. Trid. *p.* 2. *tit. de sacr. n.* 27. Relinquendum autem est theologorum disputationi, an ista virtus consistat in hoc, quod habeant vim physicam instrumentaliter gratiae efficiendae, vel potius in hoc quod ex institutione Christi et Dei acceptatione, exhibitioni sacramentorum infallibiter annexa sit gratia sanctificans, per Christi merita conferenda. * Videndi inter alios Estius *in* 4. *sent. dist.* 1. §. 5. Maldonat. *de sacram. cap.* 2. qui quaestionem hanc in utramque partem versant. *

Q. VII. Quae sit necessitas sacramentorum?

R. Quamvis Deus nos justificare potuisset sine sacramentis, supposita nihilominus ipsorum institutione, certum est baptismum sive in re, sive in voto necessarium esse necessitate medii ad salutem. De necessitate vero caeterorum sacramentorum sermo erit, cum de illis agemus.

Regula in praxi observanda

I. Diligens valde sit confessarius, ne poenitens ignoret ea, quae pertinent ad sacramenta. Minoris valde ea aestimabit, si ipsorum nesciat excellentiam, maximamque utilitatem, quae provenit digne suscipientibus. Ex hac etiam ignorantia potest derivare, vel quod non se disponat, ut par est, vel ut minus se disponat; adeoque, vel quod nullum, vel minorem fructum ex sacramentorum participatione percipiat. Quam majus autem esset inconveniens, si ipse confessarius adeo indoctus esset, ut nesciret sufficienter poenitentem instruere de excellentia sacramentorum et effectibus, et de convenienti dispositione ad eadem recipienda?

(1) Sed tantummodo ad emundationem carnis, seu legalem sanctitatem.

CAPUT II.

De auctore sacramentorum et de effectibus, quos causant sacramenta

Q. I. Quae sit causa sacramentorum.

R. I. Solus Deus est causa efficiens principalis sacramentorum. Ratio est, quia ille solus dici debet causa principalis efficiens sacramenta, qui tribuit illis virtutem ad homines sanctificandos; haec autem a solo Deo est, solus enim dat virtutem sacramentis ad causandam gratiam, quae nos sanctificat. d. Thom. *p.* 3. *q.* 64. *art.* 2.

R. II. Christus ut homo est causa instrumentalis physica sacramentorum. Ratio est, quia cum de facto ipsa instituerit, fuit causa physica ipsorum; cum autem ex dictis, ut homo erat, non potuerit esse causa physica principalis, dicendum est fuisse causam physicam instrumentalem, quatenus scilicet humanitas Christi, ut Verbo conjuncta, operabatur per virtutem a divinitate acceptam. Hinc Christus, ut homo, dicitur institutor sacramentorum potestate ministerii principalis, sive, ut dicit s. Thomas, *potestate excellentiae.*

R. III. Christus ut homo est causa principalis moralis sacramentorum. Ratio est, quia abunde promeruit effectus sacramentorum, unde solent dicere ss. PP. ex ipsius latere manasse, atque suis meritis Deum movisse ad eadem physice instituenda. * Laym. *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 1. *

Sicuti sacramenta physice principaliter a Deo derivarunt, instrumentaliter physice a Christi humanitate, et ab eadem principaliter moraliter, ita dicendum est de ipsorum effectibus.

Q. II. An Christus instituerit omnia sacramenta; et an talis potestas puro homini communicari potuisset?

R. I. Omnino dicendum est Christum per se omnia sacramenta instituisse, ut definivit Tridentinum *sess.* 7. *can.* 1. (1) Ratio est, quia cum oporteret Christum ante ascensionem omnino homines a peccati jugo liberare, ac perfecte fundare ecclesiam, novumque condere testamentum, oportebat pariter etiam per se omnia instituere sacramenta; etenim una cum sacrificio sunt pars praecipua novi testamenti. Videa-

(1) Ubi non definitur quidem sacramenta a Domino immediate fuisse instituta, sed istud tamen firma solidaque ratiocinatione deducitur, quia institutor proprie dicitur, qui idem auctor est, et quia Ecclesiae collata est ritus immutandi potestas, non vero sacramentorum substantiam: quae tamen ratiocinatio idonea haud est ad fidei decretum constituendum.

tur s. Th. *p.* 3. *q.* 64. *a.* 4. *ad* 1. *et in* 4. *d.* 2. *q.* 1. *art.* 4. * Lug. *de sacram. disp.* 7. *sect.* 1. qui multas ad hanc opinionem probandam congruentias affert, et num. 8. advertendum dicit, quod licet Christus omnia per se sacramenta instituerit, non ita tamen hoc egit, ut ab eo singulorum materiae fuerint omnino determinatae; nam Christus in aliquibus sacramentis solum materiam designavit in genere. *

R. II. Si Deus ita voluisset instituere sacramenta per purum hominem, ita ut per divinam inspirationem constitueret certum signum sensibile, quo conferretur gratia, nil repugnat, quin ita instituere potuisset. Hoc modo talis homo purum ministerium exhibuisset, et fuisset solummodo promulgator divinae voluntatis; et hoc pacto vetera sacramenta instituta fuere per Abrahamum, et Moysem. * Et hoc pacto arbitratur Laym. *l. c. n.* 2. docuisse d. Bonaventuram *in* 4. *sent. dist.* 23. *q.* 2. sacramenta confirmationis, et extremae unctionis fuisse ab Apostolis instituta. *

At dico nullam etiam esse repugnantiam, si dicatur Deum dare potuisse homini, e. g. Apostolis, potestatem suo arbitrio designandi signa sensibilia, ad quorum exhibitionem infallibiliter conferretur gratia sanctificans; in quo casu institutio sacramentorum proxime fuisset humana, remote autem et principaliter a Deo. Verum tamen est, quod talis potestas Apostolis collata non fuisset tam excellens sicut fuit in Christo. In eo igitur fuit quodammodo connaturalis tum ratione unionis hypostaticae; tum quia de condigno promeruit; tum quia constitutus fuit auctor, legislator et caput ecclesiae. Haec omnia defuissent puro homini, ideoque, ut notat s. Th. *art.* 4. *cit. ad* 3. in ipsis potestas sacramenta instituendi fuisset ipsi Christo subordinata, cum omnes fuissent ipsius ministri atque vicarii. Caeterum observare est, non fuisse conveniens aliis a Christo conferre potestatem sacramenta instituendi; nam tunc fortasse in illis homines spem, plusquam par esset, posuissent, ut observat s. Aug. *tr.* 5. *in Jo.* Praeterea facile orta fuisset divisio in ecclesia, sicut inter illos, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae:* 1. *ad Cor.* 1.

Q. III. Quales sint sacramentorum effectus; et quomodo eos producant.

R. I. Certum est ex fide sacramenta gratiam sanctificantem causare, quapropter in s. Scriptura dicimur recipere per sacramenta remissionem peccatorum; renasci, regenerari etc. ut passim videre est apud controversistas; ac proinde hanc veritatem definitam habemus apud Tridentinum *sess.* 7. *can.*

6. **Baptismus** et poenitentia habent secundum suam rationem specificam causare primam gratiam: illam enim non supponunt in subjecto, sed conferunt non habenti; unde, ut dixi supra, appellantur sacramenta mortuorum. Caetera sacramenta de sua ratione specifica habent augere gratiam, quam supponunt in subjecto, et proinde dicuntur causare secundam gratiam, et esse sacramenta vivorum.

Non per hoc tamen dico etiam hujusmodi sacramenta non posse causare primam gratiam, tunc scilicet quando quis non putans esse in statu peccati mortalis, nihilominus accedit cum dolore supernaturali ad ea recipienda. Ratio est, quia cum de ratione generica omnium sacramentorum sit saltem gratiam augere, consequens est et de ratione generica ipsorum sacramentorum esse primo et per se ipsam causare: ita videmus quod causa potens calorem augere, potest et primo causare. In praefata ergo suppositione, quod quis non credens habere peccatum mortale, quod de facto habet, accedat cum dolore supernaturali ad quodcumque sacramentum recipiendum, quia non accedit indispositus, vi sacramenti primam gratiam obtinebit, et quidem non per accidens, sed per se; cum de ratione generica cujuscumque sacramenti sit dare primam gratiam. Ita de eucharistia expresse docet s. Th. *in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *et p.* 3. *q.* 79. *a.* 3. et quod dicitur quoad hunc effectum de eucharistia, non est cur aliis sacramentis denegetur. * Vid. Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. Laym. *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 6. *n.* 2. et alii ap. Giribald. *de sacram. tr.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 20. *

R. II. Sacramenta ultra gratiam sanctificantem, virtutes infusas et dona, quae illam comitantur, conferunt etiam gratiam sacramentalem. Haec autem consistit in specialibus auxiliis gratiae actualis, proportionatae fini illi, ob quem singula sacramenta instituta sunt, ut docet s. Th. *p.* 3. *q.* 62. *a.* 2. Et revera superflua videretur institutio diversorum sacramentorum, si non corresponderet unicuique sacramento aliqua specialis gratia ad obtinendum finem, ob quem fuit institutum (1).

(1) Quae quidem gratia sacramentalis etsi quantum ad suam *entitatem* sit a gratia habituali penitus indistincta, est tamen distincta quoad effectum, seu virtutem homini collatam. Sic baptismus praestat ut homo consepultus Christo habeat in corpore mortis hujus adversus subsecuturas tentationes munimentum: Chrisma ne erubescat crucem Domini sui: Eucharistia ut adversus quotidianas culpas habeat antidotum. Poenitentia conferl conscientiae pacem, animique tranquillitatem: Extrema Unctio aegrotantium

R. III. Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis imprimunt etiam characterem, ut definivit Tridentinum *sess. 7. de sacram. can.* 9. Cum autem character significet notam alicui firmiter impressam, per quam aliqua res ab aliis discernatur, hinc est theologos per sacramentorum characterem intelligere signum spirituale indelebiliter virtute praefatorum sacramentorum impressum in anima illorum, qui eadem suscipiunt. Duo autem praestat character sacramentorum; dat nempe aliquam potestatem in ordine ad Dei cultum, et designat statum, quem assequimur mediantibus sacramentis. Potestas, quae confertur a charactere baptismi est pure passiva; reddit enim hominem capacem caeterorum sacramentorum: est vero signum quo baptizatus cognoscitur esse de Christi familia, sive pertinere ad ipsius ovile, et ita per illud discernimur ab infidelibus. Potestas, quae derivatur ex charactere confirmationis, partim est passiva, cum reddat magis capaces caetera sacramenta recipiendi; praecipue vero est activa, cum ordinetur ad fortiter dimicandum contra fidei hostes: signum autem est, quo dignoscimur esse milites Christi, atque ita per illud discernimur ab iis, qui non sunt in hac militia conscripti. Potestas a charactere ordinis derivata, activa solummodo est; cum respiciat sacramentorum administrationem. Iste vero character designat hominem esse Christi ministrum, adeoque discernit a laicis, qui ex officio nullum possunt peragere ministerium ecclesiae.

R. IV. Sacramenta producunt suos effectus *ex opere operato*. Ideo autem dicuntur conferre gratiam etc. *ex opere operato;* quia pii actus, qui exercentur ab iis, qui volunt recipere sacramenta, non sunt causa gratiae, sed dispositiones ut virtute sacramenti conferatur. Ut autem id bene intelligatur, considerandum est praefatos pios actus dupliciter posse considerari. Primo quatenus eliciuntur ab homine jam justificato, et tunc cum de se sint alicujus gratiae meritorii, causant *ex opere operantis* augmentum ipsius gratiae. Secundo considerari possunt, quatenus illis vult aliquis se disponere ad recipienda sacramenta; et in hac acceptione non sunt causa gratiae, quam conferunt sacramenta, sed solummodo reddunt subjectum dispositum, ut virtus collata a Christo Domino sacramentis causet in eo gratiam, et id est causare gratiam *ex opere operato*. Verum nihilominus est quod quo major

animum allevat, eosque communit adversus hostis insidias: praestat Ordo ut decenter ecclesiastica munia exerceantur: laudem efficit matrimonium ut conjuges vas suum possideant in sanctificatione, et honore.

est suscipientis dispositio, eo uberiorem gratiam causant sacramenta: conveniens etenim est credere ita a Deo instituta fuisse, ut majorem sanctificationem magis dispositis conferant: s. Th. *p.* 3. *q.* 69. *a.* 8. *et in* 4. *d.* 4. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 2. et communiter. * S. Bonaventura *ead. dist.* 4. *quaest. ult.* Suar. *disp.* 7. *sect.* 5. Sot. *disp.* 6. *q.* 1. *art.* 6. et colligitur aperte ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. ubi dicitur in sacramento baptismi *recipi gratiam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum uniuscujusque dispositionem;* quae verba superflua essent, nisi major suscipientis dispositio majorem gratiam inferret.

Q. IV. An recipiens sacramenta sine debitis dispositionibus, sive, ut dici solet, *cum fictione*, recipiat eorum effectus: et quid recedente fictione? * Notandum, non accipi hic verbum fictio eo sensu, ut irritum reddat sacramentum, eo quod defectùs sit, vel circa materiam, vel formam, vel intentionem, sed in hoc, quod stante materia, forma et intentione requisitis, deficiat in suscipiente dispositio necessaria. *

R. I. Cum aliud sit sacramentum, aliud res, sive effectus sacramenti, bene potest dari tota essentia sacramenti absque eo quod causet gratiam, ut patet in adulto recipiente baptismum sine dolore suorum peccatorum. Hic utique valide recipit baptismum, cum tota ipsius essentia ponatur; at recipere non potest gratiam, quia, ut de se patet, dicit omnimodam oppositionem cum peccato mortali. Cum tamen character baptismi non importet nostram sanctificationem, adeoque simul cum gratia possit consistere, hinc est recipientem baptismum sine debita dispositione nihilominus recipere characterem, ut innuitur etiam *cap. Majores de baptis.*

R. II. Pro certo tenendum est, recedente fictione, baptismum gratiam causare. Pro hoc igitur sacramento specialis ratio datur ad hoc affirmandum, non solum nempe, quia non potest iterari, sed quia cum peccatum originale, aliaque peccata ab adulto ante baptismum commissa, non possint ab aliis sacramentis, sed solummodo per baptismum deleri, conveniens est dicere, recedente fictione, virtute characteris impressi dari gratiam deletivam praefatorum peccatorum. s. August. *l.* 1. *de bapt. cont. Donat. c.* 12. s. Th. *in* 4. *d.* 4. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 3.

Eamdem doctrinam magis communiter extendunt theologi ad alia sacramenta imprimentia characterem; cum etenim iterari non possint, et aliunde character perfici exposcat per gratiam, quam conferunt sacramenta, videtur dicendum, ita Deum illa misericorditer instituisse, ut recedente fictione,

nempe obice gratiae, ex opere operato conferatur gratia, quae correspondet sacramento. * S. Th. *p.* 3. *q.* 69. *art.* 1. *et in* 4. *sent. l. c.* Henriq. *lib.* 1. *de sacram. cap.* 25. Covarr. *in cap. Alma mater p.* 1. §. 4. *n.* 13. Suar. *disp.* 18. *sect.* 6. *n.* 1. Laym. *l. c. n.* 4. *et* 5.* Multi etiam ita dicunt de caeteris sacramentis non imprimentibus characterem; quamvis etenim non habeant quodammodo in charactere perseverare, ut dicitur de sacramentis illum imprimentibus, perseverasse dicuntur in divina acceptatione, adeoque sublato obice movere posse divinam voluntatem ad gratiam causandam. Ita magis communiter docent Thomistae, ut apud Serram videre est *p.* 3. *q.* 62. *a.* 1. *ad* 3.

*Num autem idem dicendum est de sacramentis eucharistiae et poenitentiae? Et quidem quoad eam probabile putant Girib. *l. c. cap.* 6. *num.* 43. cum Laym. *l. c. n.* 5. *in fin.* Castrop. *p.* 4. *tr.* 18. *disp. unic. dub.* 9. *n.* 6. Bonac. *de sacram. disp.* 1. *q.* 6. *p.* 3. Coninch. *q.* 62. *art.* 1. *dub.* 5. *n.* 78. si obex tollatur, et bona suscipientis dispositio succedat dum species adhuc in stomacho durant, suum sortiri effectum, et gratiam conferre posse, quia adest sacramentum, et sicut tunc illis adhuc durantibus potest gratia augeri, si augeatur dispositio, ita potest gratia produci, si removeatur impedimentum. Corruptis autem speciebus probabilius videtur non conferre gratiam, cum de illa non militet eadem ratio, ac de reliquis sacramentis, et Paulus apost. dicat, indigne sumentes judicium sibi manducare, quod absolute non esset verum, si recedente fictione, gratiam causaret. Ulterius qui sacrilegas communiones geminasset per totum vitae cursum, et in ultima senectute tot fictionum serio poeniteret, eumdem sanctitatis gradum consequeretur, quem ille, qui toties pie ac sancte sacramentum hoc percepisset, quod vix in animum induci potest. Eamdem rationem extendunt supracit. AA. ad sacramentum poenitentiae.*

Regulae in praxi observandae

I. Dum poenitens, non habens conscientiam peccati mortalis, accedere vult ad eucharistiam recipiendam, non praemissa confessione, monendus est, a confessario, ut semper praemittat actum doloris supernaturalis; ita enim fiet, ut si forte habeat peccatum mortale ab ipso ignoratum, justificetur mediante eadem eucharistia. Multo magis in hoc diligens debet esse parochus, dum ss. viaticum moribundo administrat, sive extremam unctionem. Valde proinde ne-

gligentes essent illi parochi, qui antequam ministrarent extremam unctionem, non curarent excitare in moribundo dolorem supernaturalem. Quis scire potest, an justificatus fuerit mediante confessione, vel eucharistia? cum maxime multoties gravitas morbi non sinat moribundum satis se disponere ad digne haec sacramenta suscipienda. In tali casu, cum non tam facile sit assequi justificationem per contritionem perfectam, remanet, ut moribundus justificetur mediante extrema unctione, suscepta cum dolore supernaturali peccatorum. Si proinde parochus sulummodo curet de extrema unctione administranda, non vero de excitando in suscipiente dolore supernaturali, fortasse moribundus, qui hoc medio justificari poterat, damnabitur.

II. Diligens etiam sit confessarius in admonendis poenitentibus, ut quo magis fieri potest, se ad sacramenta recipienda disponant, illos instruendo eo magis sanctificandos et actualia auxilia recepturos, quo major erit ipsorum dispositio.

* Satis quidem probabilis est sententia illa, quae sicut caetera, ita et poenitentiae sacramentum peccata remittere et gratiam conferre asserit, sublato obice, vel recedente fictione, cum multi nec contemnendi DD. doceant etiam poenitentiae sacramentum esse posse validum, sed informe, ut videre est ap. Palaum *l. sup. cit. n.* 7. Suar. *disp.* 28. *sect.* 6. *n.* 3. Verum cum non minus probabilis sit opinio contraria, quam acriter tuentur Scot. *in* 4. *sent. dist.* 1. *q.* 5. §. *Contra istam opinionem*, Spor. *tom.* 3. *par.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 263. *et* 275. *et seq.* Reiff. *tr.* 14. *dist.* 2. *n.* 56. ubi generatim loquitur de quatuor sacramentis characterem non imprimentibus, et alii quamplures apud Ferrar. *Biblioth. canon. V. poenitentiae sacram. n.* 19. *et seq.* ideo prudentes et pii confessarii, ut aeternae poenitentium saluti tutius consulant, solent ab iis exigere, ut peccata in anterioribus confessionibus ficte factis narrata, in posteriori omnia repetant. *

CAPUT III.

De materia et forma sacramentorum.

Q. I. Quid veniat in sacramentis sub nomine materiae et formae, et cur in sacramentis novae legis addita sit forma.

R. Sicuti in philosophia peripatetica illud dicitur habere rationem materiae, quod, cum sit ad plura indifferens, determinatur per formam ad aliquam speciem; et forma dicitur, quod eamdem materiam determinat; ita proportione

servata, haec nomina usurpavit ecclesia ad designandas partes componentes sacramenta consistentes in usu et in actione transeunte; nam eucharistia, quae est sacramentum permanens, utique verbis et actione transeunte constare non potest. Quia igitur e. g. aqua baptismi alias esset indifferens ad gratiam significandam, dicitur materia hujus sacramenti; verba vero quae pronunciat minister in applicatione materiae, quia illam determinant ad gratiam significandam, dicuntur illius forma.

R. II. Observat s. Thomas *p.* 3. *q.* 60. *a.* 6. post Christi adventum magis innotuisse mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, quam sub umbra prioris testamenti, adeoque etiam conveniens fuisse, sacramenta novae legis magis, quam antiqua proprios effectus significare. Cum igitur sola materia suboscure significare posset effectus sacramentorum, addidit Christus Dominus verba, ut per eadem clarius innotescerent. Exemplificat id s. Doctor in aqua baptismi, quae de se significare poterat ablutionem ratione humiditatis, et refrigerationem ratione frigiditatis: eo autem ipso quod addita fuerint verba *ego te baptizo etc.* manifestatur nos uti aqua in baptismo ad significandam spiritualem emundationem.

Q. II. Quotuplex sit materia sacramentorum, et qualem conjunctionem habere debeat cum forma.

R. I Materia sacramentorum duplex est, scilicet alia remota, alia proxima. Materia remota sacramentorum est res sensibilis, quae necessario requiritur ad conficiendum sacramentum, qualiter se habet aqua respectu baptismi. Proxima est usus ipsius rei sensibilis, et ita se habet infusio aquae in baptismo. Jam autem dixi non esse hic sermonem de eucharistia, quae est sacramentum permanens.

R. II. Utique materia et forma sacramentorum debent simul esse, ita ut intelligi possit verba cadere in materiam, alias non intelligeretur quomodo possent sacramentum constituere. At advertendum pro diversitate sacramentorum diversam posse dari simultatem. In sacramentis baptismi, confirmationis, ordinis, et extremae unctionis necesse est proferri formam dum applicatur materia; si etenim e. g. postquam infusa est aqua, minister dicat, *ego te baptizo etc.* forma non verificatur; nam *baptizo* idem est ac *abluo*, quod non verificatur, si pronuncietur, quando jam est infusa aqua. Hoc idem exposcunt formae confirmationis, ordinis et extre-

mae unctionis, ut consideranti constabit (1). Quia vero poenitentia instituta est per modum judicii, in quo non est necesse sententiam esse omnino simul cum confessione criminis, hinc est absolutionem differri posse post auditam confessionem, ut suo loco dicetur. Cum pariter sacramentum matrimonii fiat ad modum contractus civilis, non obstabit ipsius validitati, si consensus unius conjugis non insimul ponatur cum consensu alterius. * Laym. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *quaest.* 3. *

Q. III. An Christus Dominus determinaverit materiam et formam sacramentorum.

R. S. Thomas *p.* 3. *q.* 60. *a.* 5. sentit Christum Dominum determinasse quidquid pertinet ad essentiam sacramentorum, ea motus ratione, quod cum nostra sanctificatio sit in solius Dei potestate, ad ipsum solum pariter pertinebat determinare res sensibiles, quibus mediantibus nobis Dei gratia conferatur. Sunt nihilominus, qui sentiant formam et materiam quorumdam sacramentorum solummodo determinatas fuisse a Christo in genere, non in specie, hoc est, determinasse apostolos, vel ecclesiam uti debuisse materia, et verbis designantibus effectus talium sacramentorum, illis vero reliquisse determinare quae res in particulari adhibendae essent in conficiendis illis sacramentis. Hac opinione, quae videtur etiam innui *cap. Presbyter. de sacram. non iterandis*, facilius conciliatur diversitas, quae est inter ecclesiam Latinam et Graecam, maxime in sacris ordinationibus.

* Sententia hodie communior et probabilior multorum theologorum suffragio Tournel *de sacram. in gen. q.* 1. *art.* 4. Herminier. *ibid. cap.* 8. Berti *de theolog. discipl. in lib.* 30. *cap.* 10. cum Merbesio, Habert, suffulta, docet, Christum Dominum omnium sacramentorum materias in specie determinasse, et hoc quidem erui testantur ex concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. ubi declarat, *hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret*. Ex quibus verbis hujus sententiae patroni, ritus tan-

(1) Insuper supradictis Sacramentis materia, et forma debent applicari ab eodem ministro, et eidem subjecto. Quod dici nequit de poenitentia in qua materia ponitur a poenitente, forma vero a sacerdote absolvente tanquam ab judice. In matrimonio forma sive contractus potest etiam poni a procuratore.

tum ac caeremonias, non substantiam, quae est materia et forma, ecclesiam mutare posse putant. Neque in hac sententia minus bene conciliatur diversitas, quae intercedit inter Graecam, ac ecclesiam Latinam. cum enim in altera pro sacramenti ordinis necessaria materia sola manuum episcopi impositio habeatur, in altera instrumentorum traditio, quod colligi ducunt contrariae sententiae Doctores ex Eugenii IV. decreto in concilio Florentino ad Armenorum instructionem, ubi loquens de sacramento ordinis ita habet: *sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo etc.* nisi ad potestatem a Christo ecclesiae relictam determinandi in specie aliquorum saltem sacramentorum materias confugiant, non posse hanc diversitatem facile conciliare autumant. Sed tantum abest, ut hanc difficultatem expediant, quinimmo inextricabilioribus se nodis innectunt. Videantur Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 8. *cap.* 10. P. Berti *de theolog. loc. superius. cit.* Tournel. *loc. cit. et de sacram. ordin. q.* 3. *conclus.* 1. Faciliori autem negotio conciliare Graecam cum Latina ecclesia credunt superioris doctrinae assertores, dicendo, instrumentorum traditionem esse quidem in ecclesia Latina materiam necessariam, sed integralem, minime vero essentialem; cum per decem fere saecula ea usa non fuerit, ne ecclesia quidem Latina, ut ex altissimo conciliorum et antiquorum ritualium librorum silentio arguunt. Martene *de antiq. eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 9. *n.* 11. 16. *et* 18. Tournel. *loc. cit.* Van-Espen *juris eccles. p.* 2. *tit.* 9. *cap.* 1. *n.* 9. *et seq.* aliique quamplures apud eumdem Benedictum XIV. *loc. cit. n.* 5. et admittunt Bellarmin. *de sacram. ordin. lib. unic. cap.* 9. Haller. *de sacris elect. et ordinat. p.* 2. *sect.* 2. *c.* 2. *art.* 1. §. 10. Decretum autem Eugenii ita commode explicatur: si dicatur nihil definire voluisse Eugenium de materia ordinis, sed tantum docere Armenos ea, quae in ecclesia Latina obtinebant, ut easdemet ipsi sectantes caeremonias et ritus, firmiori vinculo eidem copularentur. Parum quoque favere videtur sententiae oppositae *cap. Presbyter de sacram. non iterand.* in eo enim Gregorius IX. tradit quidem manuum impositionem esse ritum ab apostolis introductum, et tamen non esse repetendam ordinationem, sed supplendum, quod omissum fuerit. Sed primum accipi non debet, ait Bell. *cap.* 9. quasi *manuum impositionis ritum apostoli instituerint*, sed quod ipsi primi coeperunt illum usurpare in ordinationibus. Secundum vero ita intelligit Haller *l. c.* §. 12.

Gregorii scilicet mentem, nec non Innocentii III. *cap. Pastoralis eod. tit.* fuisse, ut cum in sacramentis essentialia omissa sunt, accidentales caeremoniae rite adhibitae non repetantur; cum vero accidentalia omissa sunt, non iterentur essentialia. *

Q. IV. Quae mutatio formae et materiae reddat irritum sacramentum.

R. I. Mutatio substantialis formae reddit irritum sacramentum; cum etenim tunc interveniat mutatio substantialis formae, quando verba non retinent sensum, quem debent habere, jam constat deesse formam sacramenti. Non vero redditur irritum per mutationem accidentalem; tunc etenim retinet suum sensum, quamvis vel omittatur aliquod verbum, ut si in forma baptismi omittatur pronomen *ego*, vel varietur aliqua litera non destruens debitum sensum, ut statim dicam.

Praefatae mutationes multipliciter possunt evenire. Primo per mutationem verborum, ut dictum est. Quod si haec mutatio consistat in verbis synonimis, idem etiam explicite significantibus, variatio non erit substantialis, sed accidentalis; et ita valeret baptismus, si minister pro *baptizo* diceret *abluo* : d. Th. *p.* 3. *q.* 60. *a.* 8. Si vero licet verba sint synonima, non tamen habeant eamdem explicitam significationem, ac forma sacramenti, tunc mutatio facile erit substantialis; quia non reddent totum sensum, quem intendit Christus Dominus. Hinc s. Th. *p.* 3. *q.* 66. *a.* 5. censet invalidum baptismum collatum in nomine genitoris, geniti et spirati, quia licet haec nomina synonima sint nominibus Patris, Filii et Spiritus S. non tam explicite sicut ista, quae Christus adhiberi voluit, explicant relationem, quae inter personas SS. Trinitatis intercedit. Quia nihilominus non desunt, qui sustineant baptismum sub praefata forma collatum esse validum, ideo saltem judicarem esse dubium; * et ob hanc rationem debere iterum baptismum ministrari sub hac conditione: si non es baptizatus, *ego te* etc. et habetur textu expresso *cap. De quibus dub.* 2. *de baptismo.* * Si vero verba ita mutentur, ut sint aequivoca, tunc ad judicandum de mutatione substantiali, vel accidentali, videndum est in quo sensu ea usurpaverit minister. Si e. g. sacerdos in consecratione dicat: *Hic est corpus meum*, et sumat *hic* adverbialiter, sacramentum erit nullum, quia tollit veram formae significationem; si vero sumat loco pronominis,

esto sit error grammaticalis, variatio erit accidentalis, utpote non removens veram formae significationem. d. Th. *p.* 3. *quaest.* 60. *a.* 8.

Secundo intervenit mutatio in forma sacramentorum per additionem, et est substantialis, si destruat ipsius veram significationem, ut si quis baptizaret in nomine *Patris majoris etc.* ut faciebant Ariani; accidentalis vero, si non destrueret ipsius veram significationem, ut si quis baptizaret in nomine *Patris genitoris etc.*

Tertio mutatur forma sacramentorum per omissionem; et ita si in baptismo omittatur aliqua persona SS. Trinitatis, mutatio erit substantialis, et baptismus erit nullus; quia deest aliquid necessarium ad explicandam SS. Trinitatem, quae explicanda est in eadem forma. Erit vero mutatio accidentalis, si ommittatur pronomen ego; quia adhuc subsistit integer sensus formae.

Quarto intervenit mutatio in formis sacramentorum per corruptionem verborum. Si vel unica litera varietur, quae tollat significationem verborum, mutatio erit substantialis, ut si baptismus conferatur in nomine matris etc. Si vero talis corruptio literae non variet significationem, mutatio erit accidentalis, ut si baptismus conferatur in nomine *Patria et Filia etc.* siquidem ita collatus ab ignorante latinam linguam, intelligitur satis exprimere SS. Trinitatem, ut habetur *cap. Retulerunt d.* 4. *de consec.* et docet s. Th. *p.* 3. *q.* 60. *a.* 7. Atque hic observandum est mutationem in primis syllabis vel literis facillime posse esse substantialem, non tam frequenter vero in ultimis.

Quinto datur mutatio in verbis per transpositionem; adeoque si transpositio variet sensum, erit substantialis, alias accidentalis. Substantialis est ista transpositionis forma eucharistiae: *meum est hoc corpus*, quia significat idem ac, hoc corpus pertinet ad me. Accidentalis erit sequens: *In nomine Patris et Filii etc. ego te baptizo.*

Demum mutari potest forma sacramentorum per interruptionem, ut si praecedentia verba juxta moralem aestimationem non intelligantur continuare eumdem sensum cum subsequentibus. Observare autem est, quod si interruptio sit intermixta syllabis unius dictionis, tunc quamvis brevissima facillime removebit sensum illius, adeoque mutatio erit substantialis. Exemplum sit in eo, qui diceret: *ego te bap...* et interposita hac voce, *o sanctissima Virgo*, prosequeretur, *tizo in nomine etc.* Tambur. *de sacr. c.* 1. §. 1. *n.* 15.

Idem dicendum, si inter syllabas ejusdem dictionis interveniret tussis non momentanea; si vero brevis interruptio sit inter unum et aliud verbum formae, mutatio erit accidentalis, adeoque subsistet sacramentum: ut si sacerdos, prolatis illis verbis: *Ego te baptizo*, dicat *sustinete puerum*, et statim subjungat, *in nomine Patris etc.* Lugo *disp.* 2. *de sacr. sect.* 6. *n.* 111. Tambur. *cit. n.* 10. * Videantur Lay. *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 4. *et tr.* 2. *cap.* 4. Palaus *tr.* 18. *disp. unic. p.* 3. *et tr.* 19. *p.* 5. Reiff. *in theolog. moral. tr.* 14. *dist.* 1. *q.* 2. *n.* 25. * (1)

R. II. Mutatio substantialis materiae reddit irritum sacramentum; non etenim tunc datur pars essentialis sacramenti, secus mutatio accidentalis. Tunc vero intervenit mutatio substantialis, quando materia non convenit in substantia cum materia a Christo determinata et usitata ab ecclesia. Mutatio accidentalis datur, quando perseverat eadem substantia, sed aliquantulum alterata. Ita aceto valide non conficitur eucharistia, bene vero vino, quod inceperit acescere.

Q. V. Quomodo peccet, qui mutat materiam, vel formam sacramentorum.

R. Si interveniat culpabiliter mutatio substantialis in materia et forma sacramentorum, semper adest grave sacrilegium ob gravem injuriam, quae fit sacramento illud invalide conficiendo. Si mutatio sit accidentalis, intervenit peccatum, vel leve, vel grave secundum levem, vel gravem irreverentiam, quae apprehenditur intervenire. Hinc putarem leve esse peccatum adhibere pro conficienda eucharistia vinum, quod aliquantulum incepisset acescere; grave vero si adhiberetur valde ad acetum inclinans, quamvis substantiam vini retineret. Leve esset peccatum dimittere in forma baptismi pronomen *ego*, at non puto leve esse peccatum adhibere sine necessitate aquam sordidam. * Palaus *tr.* 18. *p.* 3. *n.* 11. *

Q. VI. An aliquando in conficiendis sacramentis licitum sit adhibere materiam dubiam.

R. Quando materia est dubia, adeoque in controversia est apud DD. an sit valida, minister extra casum necessitatis non potest ea uti absque gravi culpa tum propter

(1) Rem totam paucis perstringam. Formae mutatio potissimum sex modis potest contingere, qui hisce versibus complectuntur:

Nil formae demas, nil ponas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

gravem irreverentiam, quam facit sacramento, illud exponendo periculo nullitatis: tum propter damnum, quod facere potest suscipientibus sacramentum. Contrariam opinionem damnavit Innocentius XI. in prima ex propositionibus ab ipso damnatis. In necessitate potest talis materia adhiberi, ut consulatur necessitati proximi; immo minister tenetur, cum Christus instituerit sacramenta ad consulendum nostrae saluti. Lugo *de sacr. disp.* 8. *n.* 140. Ut occurratur nihilominus reverentiae sacramenti administrandum est sub conditione, nempe si materia sit idonea; et si postea sit locus, iterum materia non dubia administrandum sub conditione, si nempe primum sacramentum non fuerit validum. Lugo *resp. moral. l.* 2. *n.* 10. * Coninch. *q.* 60. *art.* 8. *n.* 80. Suarez *disp.* 16. *sect.* 2. Bonacc. *de sacram. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 32. §. *Dixi*. *

Regulae in praxi observandae

Solent quidam scrupulosiores sacerdotes, maxime in preferenda forma consecrationis, vel etiam absolutionis post aliqua verba prolata, iterum ab initio integre proferre ipsam formam. Postquam ex. gr. dixerunt *Hoc est*, aliquantulum subsistunt ad renovandam intentionem; ac deinde iterum dicunt *Hoc est corpus meum*. Id utique non est invalide conficere sacramentum, cum re vera integram formam pronuncient, sed redarguendi sunt, quia imprudenter repetunt aliqua verba consecrationis. Idem dicendum de illis, qui postquam ex. gr. dixerunt. *Hoc est corpus me*, iterum statim repetunt integre *meum*. Concedo illam primam syllabam in tam brevi tempore repetitam non distrahere verum sensum formae, at haec omnia, quoad fieri potest, removenda sunt in proferendis formis sacramentorum; nam certe Christus Dominus non ita instituit, ut eo modo pronuncientur.

* Dictum est superius baptismi formam accidentali mutationi subjectam fore, si quis baptizaret in nomine Patris genitoris etc. et ideo valere baptismum cum tali forma collatum. Hic autem advertendum, quod si pro superiori forma usurparetur ista: baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, et Procedentis ab utroque, baptismum esset dubium, et ideo sub conditione repetendum, cum ista dubia sit; aliqui enim validam pronunciant, alii autem negant cum d. Thom. *p.* 3. *q.* 66. *art.* 5. d. Bonavent. *in* 4. *sent. dist.* 3. *q.* 3. *art.* 2. Videatur Leur. *in* 3. *decret. tit.* 41. *q.* 979. *

CAPUT IV.

De ministro sacramentorum, et de iis quae in eo requiruntur ad valide et licite conficienda, vel administranda sacramenta

Q. I. Qui possint esse ministri sacramentorum.

R. Si ab aliquo angelo, vel beato administraretur aliquod sacramentum, pro vero sacramento habendum est; nam ut ait s. Th. *p.* 3. *q.* 64. *a.* 7. *si aliquando sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum; quia deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata*. Caeterum de lege ordinaria solis hominibus viatoribus competit esse ministros sacramentorum; nam solis apostolis viatoribus, et ipsorum in sacerdotio successoribus injunctum fuit a Christo sacramenta administrare. Ita etiam congruebat; nam cum instituta fuerint sacramenta pro solis viatoribus, conveniens erat ipsis solummodo mandari eadem administrare. Non posset ergo anima separata sacerdotis, quamvis characterem retinens, conficere sacramenta, bene vero sacerdos, qui a mortuis resurgeret; quia rediret ad statum viatoris. Excipienda tamen sunt sacramenta, quae non possunt confici sine jurisdictione; siquidem in morte cessat omnis jurisdictio. Gabr. a s. Vinc. *disp.* 7. *q.* 2.

Q. II. An ad conficienda valide sacramenta requiratur fides, et probitas in ministro.

R. Semper docuit ecclesia ad valorem sacramentorum, dummodo omnia essentialia adhibeantur, non esse necessariam fidem, nec gratiam in ministro, ut etiam definivit Tridentinum *sess.* 7. *can.* 12. Ratio autem est, quia valor sacramentorum est a Christo Domino, tamquam a principali ministro; unde infidelitas, vel indignitas sacerdotis, qui agit ut Christi instrumentum, non potest derogare ipsorum valori, sicut neque impedire, ut iis mediantibus gratia conferatur digne suscipientibus. * De baptismo collato ab haereticis, quod sit validum decrevit idem Trid. *ead. sess.* 7. *can.* 4. ibi: *Si quis dixerit baptismum. qui etiam datur ab haereticis, non esse verum baptismum, anathema sit* *.

Q. III. An ad valorem sacramenti requiratur in ministro intentio illud faciendi.

R. Suppositis hic, quae de voluntario actuali, virtuali et habituali *tr.* 1. *q.* 2. *c.* 1. *q.* 1. dixi, cum haec omnia in

praesenti aptanda sint intentioni, dico, ad valorem sacramenti necessariam esse in ministro intentionem saltem virtualem illud conficiendi. Ita definivit Tridentinum *sess.* 7. *canon.* 11. *et sess.* 14. *c.* 6. *et can.* 9. Ratio est, quia cum ministri sint instrumenta animata et libera, non est credendum Christum illos elegisse ad conficienda sacramenta, nisi per actionem illis convenientem, adeoque modo humano exercitam; non stat autem fieri actionem modo humano, nisi interveniat intentio saltem virtualis. Praeterea conficiens sacramenta gerere se debet ut minister Christi et ecclesiae, adeoque debet habere intentionem faciendi, vel id, quod Christus instituit, vel quod facit ecclesia.

Hic advertendum Alexandrum VIII. sub n. 28. sequentem damnasse propositionem, *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit ecclesia*. Quidquid aliqui in contrarium dicant, constat consideranti istam propositionem, illam damnari, quia deest in ministro intentio faciendi quod facit ecclesia; adeoqne nullum erit sacramentum, etsi externe non ex joco, sed serio apponatur quidquid pertinet ad essentiam sacramenti. Et re vera quomodo intelligeretur minister agere nomine Christi, quando nullatenus haberet intentionem conficiendi sacramentum, quod Christus instituit, vel quod in usu est in ecclesia? Praeterea intelligi non potest fieri sacramentum, quoties actio et verba de se indifferentia ad esse sacramenti non determinentur. Actio e. g. abluendi in baptismo de se indifferens est ad significandam ablutionem corporalem, vel spiritualem, sicut etiam verba formae; si proinde non determinentur ex intentione ministri ad esse sacramenti, numquam intelligetur fieri sacramentum.

* Magnam olim excitavit quaestionem Catharinus, tradens *opusc. de intent. ministri*, ad sacramenti validitatem sufficere in ministro intentionem perficiendi serio ritum externum ab ecclesia adhibitum, et ideo etiamsi interius dicat, se nolle facere, quod facit ecclesia, dummodo nullo externo signo hanc suam internam pravam voluntatem prodat, et hoc ad evitanda incommoda illa, quae ex prava voluntate ministri occurrere possent, nempe quod non baptizentur parvuli, ne consecretur eucharistia, nec absolutio poenitentibus impendatur. Catharino praeiverant Petrus Cantor, card. Pullus, Paludamus, Sylvester, aliique apud Benedict. XIV. *de synod. dioeces. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 6. Hanc Catharini opinionem

alii cum Lutheri, et Calvini doctrina a Tridentinis Patribus expresse damnata, vel omnino convenientem Bellarmin. *de sacram. lib.* 1. *cap.* 27. vel non multum distantem traducere Lug. *de sacram. disp.* 8. *sect.* 2. alii ab omni haeresis et temeritatis nota vindicare totis viribus conati sunt, inter quos Natalis Alexand. *theolog. dogmatico-moral. lib.* 2. *de sacram. in gen. cap.* 7. *art.* 3. *reg.* 1. Juvenin. *de sacram. dissert.* 1. *q.* 5. *cap.* 2. *art.* 3. §. 1. Auctor *de re sacram. lib.* 1. *cap.* 3. *sect.* 2. aliuque recentiores ap. Benedictum XIV. *l. c.* et ap. Joannem Laurentium Berti *de theologicis disciplinis lib.* 30. *cap.* 16. Verum negari non potest, ait Benedictus XIV. *loc. cit. n.* 8. ex damnata ab Alexandro VIII. propositione grave vulnus inflictum praefatae Catharini opinioni. Quamvis autem haec sententia tot doctissimorum virorum auctoritate suffulta; nec expresso pontificiae definitionis telo confixa, probabilis censenda sit, in praxi tamen recedendum non esse a communiori, quae requirit, ut minister saltem implicite intendat facere quod facit ecclesia, licet explicite non intendat facere sacramentum, vel sacramenti effectum producere, docet idem Benedictus XIV. *l. c. n.* 9. et in epistola ad Vicesgerentem *t.* 2. *bull. p.* 186. ubi §. 46. loquens de recipiente baptismum animo prorsus indifferenti, neque consentiente, neque repugnante, ex Innocentio III. *cap. Majores de baptismo*, declarat, quod baptismus tunc suum habet effectum, quando quis actu praebet, vel antea praebuit voluntatem, et si neque consentit, neque dissentit, licet externe compositus, nequit baptizari, si numquam habuit baptismum recipiendi voluntatem, inde ad Catharini sententiam transiens haec habet: *Haec opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente baptismum. Si ergo in accipiente requiritur, quod antea voluntatem habuerit suscipiendi, multo magis in conficiente requiritur voluntas, seu intentio conficiendi.* Huic sententiae adhaeret pariter P. Berti *l. c. in fin.* *

Quod si minister adhibeat essentialia sacramenti cum intentione faciendi quod Christus instituit, non vero quod facit ecclesia Romana, quam, quia haereticus, non putaret veram ecclesiam, utique conficit sacramentum; nam dum intendit facere quod Christus instituit, velit, nolit, intendit etiam facere quod facit ecclesia Romana; adeoque prima universalis intentio corrigit secundam. Secus si diceret, non intendo facere sacramentum, si debeo meam intentionem conformare ecclesiae Romanae; nam tunc non verificaretur

conditio, sub qua intendit facere sacramentum. Gabr. a s. Vinc. *disp.* 7. *quaest.* 8. Bonac. *de sacr. disp.* 1. *quaest.* 3. *pag.* 2. §. 3. *num.* 9. (1).

Q. IV. An ad validitatem sacramenti intentio ministri debeat esse circa subjectum, et materiam determinatam.

R. Cum verba formae significent subjectum, et materiam determinatam, ut patet ex illis verbis: *te baptizo*, *te absolvo*, *hoc est corpus*, *hic est calix*, consequens est etiam intentionem ministri debere esse circa subjectum, et materiam determinatam, correspondere etenim debet verbis. Non est autem necesse scire omnes qualitates subjecti, dummodo non erret circa substantiam. Hinc reputatur validus baptismus puellae collatus, quam minister puerum reputabat: quia intendit baptizare personam praesentem, quam cognoscit esse creaturam rationalem; et haec est principalis sua intentio, quamvis erret circa sexum. Anton. a Sp. S. *de sacr. d.* 3 *sect.* 5. *n.* 1. Sicut etiam intelliguntur consecratae omnes particulae praesentes, quae sunt decem, quamvis sacerdos sex reputaret; nam intentio sua principalis erat consecrare omnes particulas praesentes, quamvis erravit circa numerum. Fagund. *l.* 2. *de praec. eccles. c.* 6. *a n.* 9. * Si vero ita minister suam intentionem alligaret alicui determinatae personae, seu particulis, aliam quamcumque personam, seu particulas excludendo, in tali casu nullum esset sacramentum; ita Modern. *q.* 5. *art.* 6. *n.* 12. Lug. *disp.* 8. *sect.* 7. Suarez *disput.* 13. *sect.* 3. et eruitur ex rubricis missalis §. 7. *

Q. V. An validum sit sacramentum administratum sub conditione.

R. I. Sacramentum administratum sub conditione de praeterito, vel de praesenti validum est, si verificetur conditio; nam minister intentionem habuit illud conficiendi, si conditio fuit, vel est. Non verificata conditione, sacramentum est nullum; cum non subsistat id, sine quo minister non intendit facere racramentum. Caeterum nihil refert, an conditio sit expressa verbis, vel solummodo mente retenta; cum etenim intentio sit actus mere internus voluntatis, bene potest interna conditione constringi. Gab. a S. Vin. *d.* 7. *q.* 8.

(1) Quoad ministri intentionem hic adnotandum venit quod in ministro sex primorum sacramentorum sufficit intentio coacta quam is nollet quidem habere, nunc tamen habet, quia ab extrinseco cogitur, est enim talis intentio actio humana, simpliciter libera, capax meriti, et demeriti, et tantum *secundum quid* involuntaria. Ita La Croix *l.* 6 *p.* 1. *n.* 60. Verum excipi debet matrimonium ad quod Ecclesia perfectiorem libertatem requirit.

• Forma conditionali in administrandis sacramentis uti coepisse ecclesiam saeculo octavo, circa annum nempe 745. tradit Martene *de antiquis eccles. ritib. lib.* 1. *c.* 1. *a.* 16. *n.* 9. ex statutis s. Bonifacii Moguntini archiepiscopi, qui *cap.* 28. decrevit: *Si de aliquibus dubium sit, utrum sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus: ego te baptizo in nomine Patris etc. et ex capitular. reg. Francor. lib.* 6. *cap.* 184. *ap. Baluz. t.* 1. e quibus idem decretum excerpsit, ac suae canonum collectioni iisdem verbis inseruit Isaac Lingoniensis episcopus apud collectionem concil. noviss. edit. tom. X. Imo contra Natalem Alexandrum *hist. ecclesiast. sec. IV. cap.* 4. *art.* 12. probabile putat Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 1. conditionem hanc etiam longe ante saeculum VIII. in usu fuisse in ecclesia mente solum concipi, et tandem saeculo VIII. coepisse exprimi, quod fuse probat *l. c.* •

R. II. Sacramentum administratum sub conditione de futuro, sive contingente, sive necessario, nullum est. Ratio est, quia non est statim validum, cum minister non intendat illud conficere, nisi dum verificabitur conditio. Tunc autem non poterit esse validum, quia non amplius existunt materia et forma sacramenti. Bonacc. *de sacr. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 19. Non desunt qui excipiant sacramentum matrimonii; cum etenim fundetur in civili contractu, qui habet suum valorem verificata conditione, idem dici posse videtur quatenus est sacramentum. Contrarium tamen videtur docere s. Thomas *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 3. unde suo loco examinabitur *tr.* 21. *q.* 2. *cap.* 2.

Q. VI. Quae sint necessaria, ut minister licite conficiat sacramenta.

R. Minister consecratus conficiens sacramentum, quatenus est consecratus ad illud conficiendum, peccat mortaliter, si non sit in statu gratiae. Id docet d. Th. *p.* 3. *q.* 64. *art.* 6. tum quia, cum minister consecratus in conficiendis sacramentis debeat ex officio se gerere, ut decet ministrum Christi et ecclesiae, graviter deficit in suo munere conficiendo sacramanta in statu peccati mortalis. Tum quia eadem conficiendo in statu peccati mortalis, ex parte sua videtur contaminare sacramenta, quamvis secundum se sint incontaminabilia; unde id non potest esse sine gravi irreverentia. D. Th. magis commmuniter sequuntur theologi, ut videre est apud Tambur. *de sacr. l.* 1. *c.* 2. §. 3. Praefatae ra-

tiones non urgent respectu laici conficientis sacramentum, dum e. g. in necessitate baptizat; nam ut observat s. Th. *in resp. ad* 3. non agit tunc ut minister ecclesiae, sed intendit subvenire proximi necessitati. Eadem doctrina applicanda est ministro; dum instante necessitate baptizaret, vel aliud conficeret sacramentum in peccato mortali. Filliuc. *tr.* 1. *cap.* 5. *q.* 10. et alii apud ipsum; potest etiam excusari a peccato minister, qui ob nimiam perturbationem nihil de contritione deliberate cogitando, ministraret sacramentum in peccato mortali; vel si quamvis faceret quantum potest, difficultatem in elicienda contritione experiretur et interim e. g. urgeret necessitas audiendi confessionem infirmi. Lugo *de sacr. d.* 8. *n.* 151. Tambur. *loc. cit. n.* 10. Caeterum notandum, quod dum sacerdos mortali adstrictus tenetur conficere, sive ministrare sacramentum, sufficit si eliciat actum contritionis; nam solummodo tenetur confiteri dum recipere debat eucharistiam, ut suo loco dicetur. * Teneri etiam confessionem praemittere quando non possit contritionem habere, docent cum d. Th. *p.* 3. *q.* 64. *art.* 4. *et* 6. Cajet. Navarr. Suarez Vasq. Lug. et alii ap. Giribal. *de sacram. tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 15. *

R. II. Minister numquam licite simulat administrare sacramenta. Contrariam quorumdam opinionem damnavit Innoc. XI. dum *sub n.* 29. sequentem damnavit propositionem: *Urgens metus gravis est justa causa sacramentorum administrationem simulandi*. Ultraquamquod ergo simulatio sit vere mendacium, ut docet s. Th. 2. 2. *q.* 111. *a.* 1. ex hoc solum redderetur lethalis talis simulatio, quia minister simularet dispensare merita Christi mediante sacramento, quod de sua natura importaret ejusdem irrisionem, ut etiam innuitur *cap. De homine de celebr. miss.* Neque etiam admitto, stante gravi metu, licitum esse dicere e. g. *neutiquam ego te absolvo*, submissa voce *neutiquam* pronunciando; nam adhuc fraudolenter usurparetur forma sacramenti a Christo Domino instituta, quod utique non videtur posse esse sine injuria sacramenti et meritorum Christi Domini, In casu igitur gravis metus, seu timoris violandi sigillum, solummodo liceret recitare orationes non pertinentes ad formam sacramenti; nam ita non simularetur sacramentum. * Videantur Viv. *in suprad. proposit.* Carden. *in* 2. *cris. d.* 20. La Croix *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 149. et Reiff. *theolog. moral. tr.* 14. *dist.* 2. *addit.* 2. *post n.* 58. * (1)

(1) Neque obstat quod ob urgentem metum gravem simulare licitum sit matrimonialem contractum, quia dum contractus matrimonialis simulatur,

R. III. Nunquam sine justa causa apponitur conditio in conficiendis sacramentis; neque pariter sine justa causa sub conditione reiterantur. Prima pars probatur, quia sub quacumque conditione etiam de praeterito, vel de praesenti conficiatur sacramentum, exponitur periculo nullitatis, neque etenim daretur sacramentum, si conditio non subsisteret; exponere autem sine justa causa sacramentum periculo nullitatis, non est sine gravi irreverentia. Dum vero adest justa causa licite fit; et ita licite sbsolvitur moribundus, sub conditione, *si sit dispositus*. Eadem ratio probat secundam partem responsionis; nam reiterare sacramentum etiam sub conditione, dum non adest rationabile motivum, est temere se exponere periculo nulliter conficiendi sacramentum, adeoque non est sine gravi irreverentia: ut si quis rebaptizaret, vel iterum absolveret sine rationabili fundamento dubitandi antea nulliter se batizasse, seu absolvisse. Secus si daretur rationabile fundamentum; ut si adinveniret materiam fuisse dubiam, vel non recordaretur, an poenitentem absolvisset. Bonac. *de sacr. d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 36. *et q.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 20. et communiter. In his casibus est reiterandum sacramentum, sed sub conditione, ut consulatur sacramenti reverentiae. * Videatur Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 6. ubi fuse disserit, quando licite in batismo apponatur conditio. *

R. IV. Ut licite administrentur sacramenta, servandae sunt caeremoniae ab ecclesia institutae pro iis administrandis. Ratio est, quia cum ecclesia instituerit hujusmodi caeremonias, ut religiose administrentur sacramenta, ut conveniant fideles in modo Deum colendi, et ut augeatur devotio fidelium, jam constat esse ex genere suo mortale hujusmodi caeremonias omittere. Excusabit a gravi culpa levitas materiae, vel si omittantur, quia instat necessitas conferendi sacramentum alias omnino necessarium; ut dum, omissis omnibus caeremoniis, in necessitate puer baptizatur. * Eruitur ex Trident. *sess.* 7. *can.* 13. ap. Laur. Berti *de theolog. discipl. lib.* 30. *cap.* 23. *

non ponitur materia, aut forma sacramenti, neque mutuus consensus, quod haud contingit in caeterorum sacramentorum administratione. Adde, quod in sacramento matrimonii magis attenditur ad consensum internum, quia contractus non qualiscumque, sed verus, et internus, quamvis per signa externa manifestetur, est materia matrimonii: in aliis vero sacramentis magis attenditur ad signa externa: ideoque haec numquam licet simulare ob urgentem metum.

Q. VII. An licite administrari possit sacramentum indigno.

R. I. Si peccator petens sacramenta sit publicus peccator, vel publicitate juris, vel publicitate facti, quia nempe ipsius delictum notum est tot personis, ut occultum non possit remanere, utique neganda sunt illi sacramenta; cum amiserit jus ad suam famam, et aliunde sancta non sint canibus danda, neque margaritae ante porcos projiciendae. * Porro publicus peccator publicitate juris ille dicitur, qui de crimine aliquo per sententiam judicis est convictus, vel per testium depositionem, vel per propriam in judicio confessionem. * Quod si dubitetur an factum, alias publicum, fuerit peccaminosum, tunc poterit illi administrari sacramentum, si non adsit scandalum; nam petens habet jus illud exposcendi, quo jure non est expoliandus nisi constet de ipsius delicto. Dian. *t.* 2. *tr.* 2. *resol.* 29. * Et traditur *can. Placuit caus.* 6. *q.* 2. et *cap. Si sacerdos de offic. judic. ordin.* ubi Alexander III. exemplo Christi Judam ad communionem admittentis hoc confirmat. Videantur Suar. *p.* 3. *disp.* 18. *sect.* 2. *et disp.* 67. *sect.* 6. Bonac. *de sacram. disp.* 1. *q.* 6. *p.* 4. *n.* 9. et alii ap. eumdem, qui adhuc excipiunt articulum mortis, in quo constituto peccatori possunt saltem sacramenta poenitentiae et quandoque matrimonii ministrari. Videatur Benedictus XIV. *de synod. dioec. lib.* 7. *cap.* 11. *n.* 8. *

R. II. Si peccator sit occultus, et publice petat, cum jus habeat ad suam famam, quam amitteret publice denegando illi sacramenta, non sunt eidem sacramenta deneganda, ut docet s. Th. *p.* 3. *q.* 80. *art.* 6. *per tot.* quem communiter sequuntur theologi. * Videantur Gonzal. *in d. cap. Si sacerdos* et Benedictus XIV. *l. c.* * Si vero peccator sit occultus, et occulte petat, tunc denegandum est sacramentum, quia cessat ratio infamiae et scandali; et aliunde quod sanctum est, non est indigno conferendum. Idem dicendum, si peccator occultus petat ab iis, quibus notum est illius peccatum. Tambur. *in opusc. de com. c.* 6. §. 2. * Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, *repellat parochus seu sacerdos*, verba sunt ritualis Romani *de ss. eucharistiae sacramento*. Haec intelligenda ex Benedicto XIV. *l. c. n.* 6. juxta sententiam cautiorem, et magis tutam, dummodo peccatum notum non sit ex confessione sacramentali prius audita. In illo enim casu deberet sacerdos eucharistiam ministrare peccatori occulto, eamdem etsi in occulto petenti, quod traditur etiam in suprad. *cap. Si sacerdos*, et eod. *can. Placuit* et tenent Palud. *in* 4. *sent.*

d. 9. *q.* 4. *art.* 1. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. *n.* 10. et alii ap. Berti *lib.* 33. *cap.* 16. * Quod si iste peccator, vel etiam publicus velit inferre grave malum ministro, si deneget sacramentum, poterit illi administrare, dummodo sit capax illius, et valide confici possit. Ratio est, quia quod facit minister, per se bonum est, et nihil ipse facit irreverenter; non videtur autem voluisse Christus ab ipso impediri irreverentiam a petente inferendam sacramento cum periculo e. g. suae vitae. Secus, si peteretur sacramentum ad irridendum et contemnendum; praeceptum etenim impediendi tantam irreverentiam videtur praevalere praecepto vitam conservandi. Gabr. a S. Vinc. *d.* 6. * Ferrar. *biblioth. v. minister sacramentorum n.* 38. citans Bonacc. Croix Dicastill. Suar. *disp.* 67. *sect.* 1. *in fin.* Sed hic Doctor *l. c.* obscure loquitur, et ad sectiones sequentes se remittit, in quibus nihil de hac re. Verum alii contrariam tuentur sententiam. *

R. III. Si petens sacramentum non solum est indignus, sed etiam illius incapax, ita ut nec valide illi possit administrari, numquam licite illi administraretur. Ratio est, tum quia tunc nulliter conficeretur sacramentum, quod non esset sine gravi irreverentia, tum quia falsificaretur forma sacramenti; ut dum sacerdos diceret indisposito *absolvo te*, vel diceret *ego te baptizo*, rebaptizando jam baptizatum: atque idem dicendum, si administrarentur alia sacramenta non baptizato.

Regulae in praxi observandae.

I. Ministri sacramentorum, si scrupulis laborent, solent non raro inquietari timentes non habuisse intentionem consecrandi, absolvendi etc. Curet igitur confessarius omnino ab his scrupulis suum poenitentem liberare; nam in praxi difficillimum est non adesse intentionem saltem virtualem, quae ex actuali praecedenti remanserit. Quis igitur credere potest, non dari intentionem actualem saltem implicitam consecrandi, dum qui accedit ad ecclesiam animo celebrandi missam, induit s. vestes etc.? Idem dicendum de eo, qui accedit ad fontem baptismi animo baptizandi, ad confessionarium animo confessiones excipiendi etc. Ex hac autem actuali praecedenti intentione remanet virtualis, sufficientissima ad sacramenta conficienda, quamvis actualem habere, dum actu conficiuntur sacramenta, melius esset. Ideo saepe praefati scrupuli in ministris oriuntur, quia quamvis habuerint,

vel etiam actu habeant debitam intentionem, dum conficiunt sacramenta, non reflectunt serio se illam habuisse, vel habere, at haec reflexio nullatenus est necessaria.

II. Quamvis minister, qui suo maximo infortunio non est in statu gratiae, non teneatur confiteri, sed solum elicere perfectam contritionem, dum debet sacramenta administrare, nihilominus confessarius illi suadeat praemittere confessionem, dum tempus et commoditas suppetunt. Ego nunquam tam facile esse illi credidi elicere actum perfectae contritionis, qui valeat justificare, dum consideravi virum maxime ecclesiasticum, peccatis mortalibus inquinatum, in ordine ad res supernaturales paulatim tepescere, et parum affici erga divinam bonitatem, quae debet esse motivum contritionis; ita etiam Deo permittente et denegante validiora auxilia, quia ecclesiasticorum peccata tum ratione status, tum ratione scandali sunt horribiliora. (1)

* Reminiscantur praesertim parochi et alii sacerdotes ministrantes in ampliis nosocomiis, ubi morientium necessitates frequentes et obviae sunt, illius moniti s. Caroli in suis instructionibus: *act. eccl. Mediolan. par. 4. pag. 494. parochus omnisque sacerdos, cujus est sacramenta administrare, meminisse debet, omni fere temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctae administrationis munus.* *

III. Removeat quantum potest confessarius ministrum suum poenitentem a reiterandis sine sufficienti fundamento etiam sub conditione sacramentis, ut faciunt aliqui, qui putantes non habuisse intentionem absolvendi, iterum absolvunt sub conditione, si nempe poenitens non fuit absolutus; iterum sub conditione consecrant, si nempe prima vice non consecrarunt. Isti faciunt actionem, quae ex genere suo est grave peccatum, adeoque ab hac, quantum fieri potest, sunt removendi. Caeterum in praxi putarem difficillime accidere hos scrupulosos graviter peccare, quia ita scrupulis

(1) Inquiri hic potest utrum sacerdos in mortali constitutus tot peccata committat, quot hominibus dispensat Eucharistiam actu continuo successivo. Cui quaesito responderi potest probabilius esse talem sacerdotem unicum tantum comittere peccatum, quia ex parte communicantium haec distributio se habet per modum unius convivii; ex parte autem sacerdotis administratio se habet per modum unius ministerii compositi ex pluribus quasi partialibus actibus. E contrario autem dum in mortali absolvit, toties peccat graviter quoties absolvit; quia singulae absolutiones sunt diversa novi sacramenti confectio, neque integrant unam totalem absolutionem: ergo nec possunt sumi per modum unius judicii compositi ex pluribus actibus. Contrarium affirmant Lug., Diana, Gobat, aliique, sed immerito prorsus.

perturbantur, ut non credant habere leve fundamentum reiterandi sacramentum, et ex alia parte putant se pecre, si non reiterent.

* Ut rite res fiat, advertendum, quod baptismum administraturus sub conditione in iis casibus, de quibus infra *tr.* 17. *q.* 1. *cap.* 4. non solum debet conditionem mente retinere, sed eam verbis exprimere, *si nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris etc.* Hoc quod fieri cepit in aliquibus ecclesiis, ut supra vidimus, ad universam ecclesiam extendit saeculo XII. Alexander III. in rescripto, ut putat Gonzalez *in cap. ad Pontium Claramont. episcopum De quibus de baptismo,* et confirmavit Joannes XXII. an. 1333. et sedente Gregorio IX. juri canonico insertum *lib.* 3. *tit.* 42. mandat rituale Romanum de forma sacramenti baptismi. Verum non passim et ob quamcumque suspicionem adhibenda est conditio in ministrando baptismo, sed tunc solum cum prudens et moralis subest dubitatio, quin rite collatum sit, et post diligens et accuratum rei examen. Idem dicendum videtur de aliis sacramentis characterem imprimentibus. Ita sentire videtur Benedictus XIV. *l. c.* Consultius autem hoc idem agere in sacramento poenitentiae; dum quis subito morbo, vel alio casu correptus, nec voce, nec signis peccata, et animi dolorem manifestare potest, tradunt Suar. *disp.* 22. et alii apud Benedictum XIV. *de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 15. *n.* 10. quod et facto Clementis VIII. confirmant, qui fabro murario e Vaticanae basilicae fastigio decidenti absolutionem impertitum dicunt hac formula: *Si es capax, absolvo te etc.* ex Homob. *in exam. eccles. tr.* 7. *c.* 18.*

IV. Quamvis regula generalis sit non esse administranda sacramenta publico peccatori, nihilominus in ministro quoad hoc summa necessaria est prudentia. Primo igitur caveat a judicando aliquem esse publicum peccatorem ex falsis rumoribus et vulgi suspicione; nam multoties quamplurima falsa ita publicantur. Debet ergo suspicio esse, et publica, et tam vehemens, ut inducat moralem certitudinem, alias semper praevalet jus, quod habet ad suam famam, qui petit sacramenta. Legendus s. Thomas. *in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 2. Secundo debet distinguere inter peccatorem publicum cui non possint sine scandalo denegari sacramenta, usque dum publice constet de emendatione, et inter peccatorem, qui licet publice peccaverit, nec adhuc publice constet de emendatione, nihilominus praesumenda est, et alias scandalum non est illi administrare sacramenta. Demus ex. gr.

publicum esse peccatum fornicationis commissum ab aliqua puella, nec constet illud confessione expiasse, utique illi petenti non est deneganda eucharistia, quia omnes praesument suum peccatum confessam esse, et ita cessat omne scandalum. At si petat meretrix, si publicus usurarius, si histriones repraesentantes lascivas comoedias, et similes peccatores, quamvis praesumi posset praemisisse sacramentalem confessionem, nihilominus deneganda est eucharistia; quia magnum adesset scandalum, si illis administraretur, antequam constaret turpe exercitium reliquisse. Excipiendum est periculum mortis, in quo cessaret omne scandalum, si ad consulendum saluti istorum, ipsis sacramenta administrarentur.

V. Graviter reprehendat confessarius illos sacros ministros, qui ita properato celebrant, ac alia sacramenta ita administrent, ut plurimum deficiant in sacris ritibus et caerimonis; cum facillime in hoc graviter peccare possint. Ponat illis sub oculis, quae habet s. Carolus. Act. par. 4. de sacram. administ. *Sacramentum aliquod*, ait, *dum ministrat, ut id magna cum religione praestet, singula verba, quae ad illius formam rationemque pertinent, omni animi attentione et pietate distincte pronunciabit, et elata item voce, ut ab illis audiatur, quibus ministratur: sacras item precationes sancte graviterque dicat. Solemnes praeterea alios ritus caeremoniasque ita observabit, ut veluti ante oculos ponere videatur eximia illa dona, quae in eo sacramento continentur. Ita vero demum in omni sacramenti administratione se geret, ut non actione solum tota, sed vultu etiam illos, qui adsunt, incitet ad pietatem et devotionem. Illudque noscat praeterea officii sui esse, et hac sancta administrandi ratione, et praeterea assiduis orationibus et doctrina, et omni sacerdotali industria fideles sibi commissos tales efficere, quibus digne utiliterque sacramenta ministrari possint.*

CAPUT V.

De subjecto sacramentorum, et de iis quae in eo requiruntur, ut valide et licite ea recipiat

Q. I. An soli viatores sint capaces sacramentorum.

R. Soli viatores juxta praesentem providentiam sunt capaces sacramentorum; cum etenim instituta fuerint a Christo ut media ad salutem conducentia, constat solis viatoribus esse destinata. Non per hoc tamen omnes viatores sunt capaces sacramentorum. Igitur non baptizati invalide recipiunt cae-

tera sacramenta; nam ipsorum redduntur capaces per baptismum, et ideo a conciliis et ss. PP. appellatur janua sacramentorum: * *cap. Veniens de presbyt. non baptizat.* conc. Flor. *in decret. union.* concil. Trident. * Excipitur eucharistia, quae cum sit sacramentum de se permanens et subsistens, utique reciperetur etiam a non baptizato, quamvis tantum materialiter, seu sine effectibus sacramenti. Sacramentorum poenitentiae et extremae unctionis solum sunt capaces ii, qui post baptismum peccaverunt. Solum adulti capaces sunt sacramenti matrimoni, utpote quia ad ipsius valorem requiritur contrahentium consensus. Sed de his iterum redibit sermo, dum agemus de singulis sacramentis.

Q. II. An ut adultus valide recipiat sacramenta, debeat habere intentionem illa recipiendi; et qualis esse debeat.

R. I. Utique dum sacramenta administrantur infantibus, ut dum baptizantur, vel etiam in articulo mortis confirmantur, in eis nulla requiritur intentio, cum non sint capaces actus humani; adeoque dici solet ecclesiam supplere pro ipsis defectum intentionis. Certum autem est in adultis ad valorem sacramentorum exigi intentionem ea recipiendi; ita etenim semper sensit ecclesia. Ratione etiam probatur: quia susceptio sacramentorum in adultis est actus moralis, qui non potest dari sine aliqua intentione ea suscipiendi. Praeterea cum sacramenta vel conferant justificationem, vel augeant, non potest intelligi hos effectus recipi ab adulto, nisi et ipse velit suam justificationem, vel ipsius augmentum. Demum cum ex susceptione sacramentorum multae oriantur obligationes, et ita baptizatus teneatur non solum ad plura sacramenta recipienda, sed etiam ad omnes ecclesiae leges, non convenit adultum sine propria voluntate talibus legibus subjacere. * S. Thom. *p.* 3. *q.* 68. *art.* 7. *et in* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 6. Lug. *disp.* 9. *sect.* 7. Laym. *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 6. *n.* 4. Suar. *disp.* 14. *sect.* 2. Palaus *tr.* 18. *disp. unic. p.* 12. *num.* 6. *et* 7. et colligitur ex concil. Arausicano I. *cap.* 11. alias 12. et ex concil. Carthag. III. *cap.* 34. *

R. II. Ad valide recipienda sacramenta sufficit in adulto intentio habitualis, seu interpretativa. Observandum igitur est hanc intentionem habitualem non sufficere ad conficienda sacramenta, quia conficiens sacramenta moraliter agit; nemo autem intelligitur moraliter agere sine intentione saltem virtuali agendi, ut dixi *tr.* 1. *q.* 2. *c.* 1. At qui recipit sacramenta passive se habet, et cum minus requiratur ad recipiendum, quam ad agendum, consequens est satis esse, si

habeat intentionem habitualem, seu interpretativam illa recipiendi: d. Th. *p.* 3. *q.* 68. *art.* 3. Lugo *d.* 9. *n.* 115. Ita videmus ecclesiam administrare sacramenta iis, qui prae subita infirmitate obmutescunt, si ea antea vel signo, vel verbis expostulaverint, et tamen difficile est intelligere remanere in iis intentionem virtualem aliquam, scilicet motum impressum in potentiis ab intentione actuali. Ita etiam administratur extrema unctio moribundis, qui eam non petierint; interpretatur enim ecclesia illos velle, quod alii christiani recipiunt in periculo mortis. Lugo *disp.* 9. *n.* 122. * Videantur AA. cc. *

Non per hoc tamen adhaereo iis, qui valide credunt conferri saramenta dormientibus et ebriis, si antea habuerit intentionem ea recipiendi, et non retractaverint. Ratio est, quia praesumi non potest habuisse intentionem illa eo tempore recipiendi, sed solummodo more et ritu christiano. * Quod autem valide recipiant sacramenta ebrii aut dormientes, si ante ebrietatem, vel somnum intentionem recipiendi habuerant, nec retractaverunt, cum in eo casu moraliter perseverare dicatur, tradere videtur Benedictus XIV. in epist. *Postremo ad Vicesger.* §. 46. *tom.* 2. *bull. pag.* 221. ex concil. Carthagin. superius citato et ex s. Augustino *lib.* 4. *confess. cap.* 4. Ad quam rem faciunt verba Innocentii III. *in cap. Majores* §. *Verum de baptismo*; ibi *Dormientes et amentes, si priusquam in amentiam inciderent aut dormirent, in contradictione perstiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius cathecumeni, fuissent, et habuissent propositum baptizandi* *. Secus ut dictum est, dicendum de infirmis, qui sensibus destituuntur, vel etiam de iis qui in perpetuam amentiam inciderunt; hos etenim credere est in iis circumstantiis recipere voluisse sacramenta. Neque etiam adhaereo iis, qui putant ad valide suscipienda sacramenta satis esse non habere intentionem contrariam, seu etiam intentionem neutralem; nec velle etenim, nec nolle sacramenta, reputari non potest aliquo modo continere intentionem ea recipiendi quae intentio saltem habitualis est omnino necessaria. * Affirmativam sententiam valide tuetur Cajet. *in* 3. *par. s. Th. q.* 68. *art.* 7. quam confirmare conatur ex cit. *cap. majores*: contrariam tamen tenent et tradunt Sot. *in* 4. *sent. disp.* 5. *q. unic. art.* 7. *Sylv. in* 3. *p. s. Th.*

q. 68. *art.* 7. rem hanc prolixius discutientes, quos sequuti postea sunt plurimi inter theologos. Videatur citata *epistola* §. 48. *

Q. III. Quae requirantur ad licite recipienda sacramenta.

R. In adulto volente recipere sacramenta baptismi et poenitentiae requiritur fides et dolor supernaturalis. Si recipere velit caetera sacramenta, requiritur status gratiae; et quamvis, dum vult recipere caetera sacramenta praeter eucharistiam, satis sit, si eliciat actum contrictionis, dum nihilominus vult recipere eucharistiam: praemittere debet sacramentum poenitentiae, si sit in peccato mortali. Sed de his dispositionibus redibit sermo, dum agam in particulari de singulis sacramentis.

Q. IV. An licite recipiantur sacramenta ab impio ministro.

R. Si malus minister sit toleratus ab ecclesia, stante aliqua necessitate, licite ab eo expostulantur sacramenta, si teneatur ex officio vel si paratus sit ad ea ministranda. Ita respondit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum *respons.* 71. * relatus in *can. Sciscitantibus caus.* 15. *q.* 8. et eruitur ex *cap. Vestra devotio de cohabit. clericor et mulier.* Gonzal. *ibi.* * Ratio est, quia si talis minister ex officio tenetur administrare sacramenta, petens utitur jure suo, quo jure non abutitur, dum necessitatem aliquam habet sacramenti. Si vero minister non teneatur ex officio, sed aliunde sit paratus, cum petens exposcat id, quod sancte et rite praestari potest, et aliunde minister sit ad ministrandum paratus, non est refundendum in petentem peccatum ministri; quia petitio ratione necessitatis justificatur. Hinc s. Th. docet 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. licitum esse petere a foeneratore pecuniam foeneratitiam. Videatur etiam *p.* 3. *q.* 64. *art.* 6. *ad* 1. * Suar. *t.* 3. *disp.* 18. *sect.* 1. et cum eo quamplures theologi et praecipue Berti *de theolog. discipl. lib.* 30. *cap.* 15. *

Quod tamen hucusque dictum est, solummodo intendo habere locum, quando commode alter minister haberi non possit, neque puto sentiendum cum aliquibus contrarium opinantibus. Ratio est, quia, ut dixi in tractatu de charitate, ea nos obligat ad removendum peccatum proximi, quoties possumus jus nostrum prosequi, absque eo quod alter peccet; quod certe fieri potest, dum commode alium ministrum habere possumus, qui nobis sacramenta administret, ut communius docent theologi, et in praesenti materia s. Thom. *in* 4. *d.* 24. *q.* 1. *n.* 3. *q.* 5. *ad* 3. Neque refert ministrum impium esse paratum ad sacramenta ministran-

da; nam adhuc illud particulare peccatum, quod hic et nunc committeret, imputabile etiam esset illi qui occasionem praeberet, quando alium ministrum idoneum commode habere potuisset. Quae etiam supra dicta sunt, intelligi debent in casu, quo minister sit toleratus; nam si non sit toleratus, vel quia est publicus clerici percussor, vel quia fuit nominatim denunciatus excommunicatus, non possunt ab eo peti sacramenta nisi in extrema necessitate, non solum quia privatus est omni communione cum fidelibus, sed etiam quia caret omni jurisdictione. In extrema autem necessitate non est reputandum ecclesiam ill um jurisdictione expoliare, ut innuit Trident. *sess.* 14. *c.* 7. quia alias fideles periculo damnationis exponerentur; cum non tam facile sit, ut sibi perfecta contritione provideant. * Videatur Auctor *de re sacram. lib.* 1. *sect.* 2. §. 4. Reiff. *theolog. mor. tr.* 14. *disp.* 1. *q.* 4. *n.* 55. *et* 56. *

Regulae in praxi observandae

I. Quidam ecclesiastici ita scrupulis quandoque vexantur, ut anxii etiam sint de valore suae ordinationis, utpote quia ipsis videtur non habuisse intentionem, dum s. ordines susceperunt. Moneat eos confessarius istos scrupulos futilissimos esse, quandoquidem impossibile est eo ipso quod ordines susceperint, aliquando non habuisse actualem intentionem eos suspiciendi; ex actuali autem intentione non retractata semper remanet saltem habitualis, quae sufficientissima est ad ordines suscipiendos.

II. Quamvis verum sit illicite peti sacramenta ab impio ministro, nihilominus caveat, qui vult ea suscipere, ab indaganda vita s. ministrorum; hoc etenim ad ipsum non pertinet, sed omnes debet credere bonos, nisi constet contrarium. Neque recedat a petendo sacramenta a ministro, maxime si sit paratus, quem scit peccasse; praesumere etenim debet peccatum confessione, vel contritione expiasse, nisi sit in statu habitualis peccati, ut dicendum esset de sacerdote concubinario, vel palam graves inimicitias profitente; vel si fere immediate antea peccasse sciret, et credi non posset poenituisse.

III. Jus quod quis habet exposcendi sacramenta a parocho quamvis impio, non solum ex magna necessitate consurgit, sed etiam quia nollet quis in statu peccati mortalis permanere, vel diu nollet carere sacramentis, cum non alter minister esset, a quo expostulari possent, ut rure posset evenire. Hoc idem puto in tali casu fieri posse, quando expostulanda essent non a parocho, sed ab alio impio ministro, sed parato ea ministrare.

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

DE

SACRAMEN. BAPTISMI

ET

CONFIRMATIONIS

QUAESTIO I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI

CAPUT I.

Quid sit baptismus, quotuplex, et quae ipsius necessitas

Q. I. Quid sit baptismus.

R. Baptismus ita definitur a cateshismo *p.* 2. *cap.* 2. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Eo quod appellatur *sacramentum*, denotatur fuisse a Christo Domino institutum, ut constat ex dictis in superiori tractatu. Dicitur sacramentum *regenerationis* ad denotandam primam vitam spiritualem, quae per ipsum confertur, qua ratione dicitur Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*. Subditur *per aquam in verbo*, ad demostrandam materiam et formam hujus sacramenti: ita etiam Apostolus ad Ephes. 5. loquens de ecclesia ait: *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Notandum tamen est ea verba *per aquam* significare ablutionem, sive infusionem aquae; nam baptismus est sacramentum solummodo, dum actu confertur.

Quod si quaeras, quandonam Christus baptismum instituerit, dicendum est illum institutum ab eo fuisse ante passionem; tum quia conveniens erat Apostolos fuisse baptizatos, antequam baptizarent; nam prius constitui debebant membra ecclesiae per baptismum subrogatum circumcisioni, antequam illum aliis administrarent. Ut observat autem s. Augustinus *epist.* 265. *ad Seleucianam n*. 5. etiam ante passionem

baptizarunt, ut explicatur Jo. 4. Tum quia, ut dicit idem Sanctus *epist.* 44. *ad Eleusium*, non est verosimile Christum administrasse in ultima coena eucharistiam Apostolis non baptizatis. Tum quia, cum possimus credere Apostolos ordinatos fuisse sacerdotes in ultima coena, ut etiam innuit Tridentinum *sess.* 23. *c.* 1. dicendum est jam accepisse baptismum, qui est janua aliorum sacramentorum. Quamvis autem non pauci dixerint Christum instituisse baptismum, dum in Jordane fuit a Joanne baptizatus, nihilominus dicendum est tunc solum figurate instituisse baptismum; cum baptismus Joannis non conferret gratiam, adeoque solummodo praeparatio et dispositio esset ad sacramentum baptismi. Melius ergo dicitur tunc Christum instituisse baptismum, quando, ut dicitur Jo. 3. et 4. jam a Joanne baptizatus, collegit discipulos, eosque destinavit ad alios baptizandos. * De hac re videatur Reiff. *theolog. mor. tract.* 14. *dist.* 3. *q.* 1. et Laurent. Berti *de theol. discipl. lib.* 31. *cap.* 3. *

Q. II. Quotuplex sit baptismus.

R. Non alter datur baptismus, quatenus est sacramentum, nisi baptismus fluminis, nempe aquae; cum solum talis baptismus institutus fuerit a Christo Domino, ut haberet rationem sacramenti. d. Th. *p.* 3. *q.* 66. *art.* 11. Nihilominus analogice appellantur baptismata etiam martyrium et baptismus flaminis, scilicet desiderium baptismi, quatenus licet non conveniant cum baptismo aquae in ratione signi sacramentalis, conveniunt quoad effectum illius; cum supplere possint sacramentum baptismi quoad culpae remissionem et spiritualem renovationem. Id praestat martyrium *ex opere operato* (1), ut communiter docent theologi, observando inter Innocentes ab Herode occisos plures esse potuisse non adhuc circumcisos, adeoque martyrium in iis ex opere operato delevisse peccatum originale. * d. Thom. *in* 4. *sent. ad Hanibald. dist.* 4. *q. unic. art.* 4. *ad* 3. et cum eo communior theologorum. * Non solum autem delet culpam, sed etiam omnem poenam debitam peccatis, tribuendo insuper quamdam excellentiam, qua martyres digni sint honore et obsequio; et ita ecclesia colit praedictos Innocentes (2). Baptismus fla-

(1) Vel ex quodam privilegio, vel imitatione passionis Christi. Vid. La Croix *l.* 6. *p.* 1. *n.* 238.

(2) Ad martyrium vero constituendum duo potissimum requiruntur. 1. Ut martyri infligantur tormenta de se occisiva, vel postea de facto occidatur, vel non 2. ut haec tormenta infligantur in odium fidei, vel alterius

minis, quo quis contritionem habet de peccatis una cum desiderio saltem implicito baptismi, valet quidem justificare, at ordinarie loquendo non delet omnem poenam; quapropter ecclesia consuevit effundere preces pro catechumenis, qui ante baptismum obibant. * Constans est ecclesiae doctrina ex sacris scripturis, ss. Patribus, concilio Tridentino pluribus in locis, sed praecipue *sess.* 6. *cap.* 4. *de justific.* quos videre est apud Auctorem *de re sacrament. lib.* 2. *q.* 6. *cap.* 4. *in append.* §. 4. et apud Berti *loc. cit. cap.* 23. Quod autem ecclesia pro catechumenis ante baptismum decedentibus orare consueverit, aperte eruitur ex *cap. Debitum de baptismo* et ex *cap. Apostolicam sedem de presbyt. nondum baptiz.* ubi Innocentius III. sententiam affert, et sequitur d. Ambros. *de obitu Valentin. n.* 78. *

Q. III. An baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem; et quo tempore suscipiendus sit.

R. I. Certum est baptismum non fuisse necessarium ad salutem ante Christi Domini mortem et resurrectionem; etenim cum homo per baptismum configuretur passioni et resurrectioni Christi, quatenus moritur peccato, et incipit novam vitam; consequens est debuisse ista praecedere, antequam illius obligatio inciperet. d. Th. *p.* 3. *q.* 66. *a.* 2. Item cum illius obligatio non potuerit incipere nisi post evangelii promulgationem, quae solummodo incoepit die pentecostes, tunc etiam dicendum est illius obligationem incoepisse: Supposita autem promulgatione evangelii, baptismus est necessarius necessitate medii; vel in re, vel in voto, ut habetur ex illo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Est etiam necessitate praecepti divini; cum unusquisque peccet non adhibendo medium ad salutem necessarium. Gabr. a s. Vinc. *d.* 2. *q.* 7. §. *Sed potest*, et communiter. Dum aliquis ergo actu suscipere potest baptismum aquae, illum suscipere tenetur. Si vero actu quis non posset baptizari, satis est baptismus in voto, sive nempe explicito, sicuti dum qui expresse desiderat baptismum, sive implicito, ut dum quis vel ignoraret baptismum, vel de illo non cogitaret, et nihilo-

virtutis supernaturalis; et hinc non coluntur ut martyres aut bonus latro, aut qui peste infectis servientes decedunt, quia non sic occiduntur.

In martyre vero adulto duae ulterius requiruntur conditiones. 1. Requiritur honesta voluntas sustinendi martyrium 2. Haec voluntas debet excludere a martyre animum se defendendi; debet enim hic se conformare Christo, qui *tamquam agnus coram tondente se obmutuit.*

minus eliceret verum actum contritionis, aut amoris Dei; cum etenim tunc desideraret omnia necessaria ad salutem, intelligeretur velle etiam implicite baptismum: *c. Apostolicam de presb. non bapt.* d. Th. *p.* 3. *q.* 68. *a.* 2.

R. II. Non est differendus baptismus puerorum; nam ut docet s. Thom. *p.* 3. *q.* 68. *a.* 9. *ad* 3. non est necesse eos instruere; et aliunde cum non possint alio medio consequi salutem, non est differendus baptismus, ne si illorum mors occurrat, in aeternum beatitudine careant. Difficultas est inter theologos in determinando quae dilatio sit culpa gravis, aliis affirmantibus solam dilationem ad quinque, vel plures dies esse culpam lethalem, etiamsi non videatur mors imminere. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 4. aliis vero opinantibus solam dilationem ultra decem, vel undecim dies esse peccatum mortale, et haec opinio videtur communior, ut videre est apud Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *resol* 29. *n.* 7. Caeterum plura concilia provincialia decrevere infantes, quam cito fieri potest, esse baptizandos, ut videre est apud Genet *de bapt. c.* 4. *q.* 9.

R. III. Baptismus adultorum, ut docet s. Th. supra cit., est aliquo tempore differendus, tum ad examinandum illorum fidem et mores, tum ut sufficienter instruantur et exerceantur in iis, quae pertinent ad vitam christianam. Ipsi vero non possunt ex sua culpa notabiliter differre baptismum, tum quia quodlibet praeceptum, dum non constat de tempore, quo est adimplendum, obligat, ne nimis illius adimpletio differatur. Tum quia, cum sine baptismo careat homo pluribus auxiliis ad vitanda peccata, neque possit caetera recipere sacramenta, videtur graviter negligere aeternam salutem, qui absque causa notabiliter negligeret illum suscipere. Gabr. a s. Vinc. *d.* 2. *q.* 7. et alii relati a Diana *t.* 1. *tr.* 1. *resol.* 32.

Regulae in praxi observandae

Non permittat parochus differri baptismum infantium ad expectandos patrinos, vel ad aliam parandam solemnitatem, quis enim negabit, ut dum in tali expectatione, vel vana pompa paranda tempus teritur, accidere posse animam Christi sanguine redemptam maximo amittendae aeternae salutis periculo exponi? Neque dicatur sufficienter hoc periculum praecaveri, dum puer domi baptizatur, postea deferendus ad ecclesiam, ut solemnitates suppleantur. In hoc

etenim adsunt duo inconvenientia, dum nempe sine necessitate baptismus extra ecclesiam administratur; et dum administratur sine aqua ad hoc sacramentum conferendum benedicta.

* Quam grave malum sit differre baptismum parvulis sine urgenti necessitate, facile erui potest ex verbis catechism. Rom. *de sacram. bapt. p.* 2. *n.* 34. Ad hoc vitandam synodus nostra *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 13. districte praecipit, ne triduum labi patiatur, quod et Romae et in Gallia observandum jubetur, testantibus Genet *theol. moral. p.* 3. *p.* 78. et Benedictus XIV. *in suis instit.* 98. *n.* 3. Immo s. Carolus Borromaeus in concilio primo provinciali Mediolanensi poena excommunicationis feriendos censuit, *qui natum infantem ante nonum diem ad suscipiendum baptismum deferendum non curent*. Quod autem inconveniens sit baptismi sacramentum in privatis domibus sine aqua ad hoc benedicta ministrare extra casum necessitatis, videatur Benedictus XIV. *l. c. a n.* 8. ubi ex clem. unic. *de baptism.* et ex decretis concilii Trullani contra ecclesiasticas leges hoc fieri clare demonstrat. *

* Ad explorandos mores voluntatemque adultorum, et ad eorum instructionem, fuit olim in ecclesia catechumenorum coetus institutus, in varios ordines distributus, in quibus veluti per gradus admittebantur baptismum petentes, et per eos ad illud sacramentum recipiendum sibi viam sternebant, ut videre est apud Auth. *de re sacrament. lib.* 2. *q.* 6. *c.* 4. §. *unic.* Marten. *de antiq. eccl. ritib. l.* 1. *a.* 8. *

* Ecclesiae disciplina licet nostris temporibus amplius non vigeat, non statim tamen ac quisque adultus baptismum petit, ad illud recipiendum admittendus, sed examen rigorosum praemittendum, et diligenter eorum voluntas, fides et vivendi ratio exploranda, ne mali temporalis fugiendi, vel terreni commodi captandi desiderio ad baptismum properent. Potest enim, praesertim inter Hebraeos, fieri, ut uxoris aliquis pertaesus in hebraismo susceptae, et fidelis mulieris amore correptus, catholicae religioni nomen dare exoptet, ut primae repudii libellum mittere, et secundam ducere; vel alterius terreni finis causa motus, eum consequi fas sit. Quae ut vitentur, multis in synodis sancitum legimus, ne cuique adultis baptismum ministrare liceat sine episcopi licentia, ut inter alias habetur in synod. Luc. supr. *l. c. n.* 6. *

CAPUT II.

De materia et forma baptismi

Q. I. Quid sit materia remota baptismi; et quae sit materia dubia.

R. Jam dixi in superiori tractatu, dum sermo fuit de materia sacramentorum, materiam remotam esse rem sensibilem a Christo Domino institutam, ut sit signum et causa gratiae, quae producitur per sacramentum. Haec igitur materia in sacramento baptismi est aqua naturalis, dicitur enim Joann. 4. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. etc.* Hanc proinde veritatem, quam perpetuo docuerunt ss. PP. definitam habemus a concilio Lateranensi: *cap. Firmiter de Sum. Trinit.* a concilio Florentino in decreto unionis, et a Trident. *sess. 7. can. 2. de bapt.* Aptissima autem est aqua, ut sit materia hujus sacramenti; nam sicut ea abluit sordes, et temperat calorem, ita valet indicare quod elevata ad esse sacramenti eluit maculas peccatorum, et refraenat ardorem concupiscentiae. Demonstratur etiam per eam divina omnipotentia, quae tam humili elemento effectus producit adeo mirabiles; sicuti et divina misericordia, quae, ut observat s. Thomas *p.* 3. *q.* 67. *art.* 3. voluit materiam sacramenti tam necessarii esse aquam, quae omnibus semper praesto est.

Dum dixi aquam naturalem esse materiam hujus sacramenti, significavi materiam hujus sacramenti esse aquam, sive maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei, sive fontis; omnes enim hae absolute aquae dicuntur: d. Thom. *p.* 3. *q.* 66. *art.* 4. Idem dicendum de aqua, quae hyemali tempore diffluit ex parietibus, vel quae colligitur ex vaporibus manantibus ex aqua, quae ebullit; nam vere dicitur aqua. Gabr. à s. Vinc. *d.* 3. *q.* 1. Tambur. *de sacr. bapt. cap.* 1. §. 1. *n.* 2. Eadem ratione est materia sufficiens baptismi aqua ex glacie, vel nive resoluta: d. Anton. *p.* 3. *tit.* 14. *c.* 13. §. 1. non vero glacies, aut nix; quamvis enim substantialiter sint aqua, non vero sunt aqua ad abluendum. Pasqual. *q.* 12. *n.* 1. Laym. *de bapt. cap.* 3. *n.* 1. Advertere tamen debet minister, quod licet praefatis omnibus aquis valide conferatur baptismus, non tamen licite: ut si extra necessitatem administret aqua foeda etc. vel etiam brodio ita tenuiter decocto, ut aqua dici possit; quamvis enim baptismus esset validus, ut docet s. Thom. *p.* 3.

q. 66. *art.* 4. nihilominus si aquis praefatis baptismus administretur, peccatur mortaliter ob gravem irreverentiam, quae sacramento irrogatur. Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 7.

Sicut omnis aqua naturalis est materia sufficiens baptismi, ita e contra dicendum non esse materiam sufficientem aquam, quae naturalis non sit. Ita se habent omnes aquae artificiales: d. Thom. *p.* 3. *q.* 66. *art.* 4. aqua ex vite, aut alio arbore manans, lacrymae, sudor, aut alius humor defluens ex corpore. Gabr. a s. Vinc. *d.* 1. *q.* 1. Bonaccina *de sacram. d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 4. et alii passim. Ita etiam se habet aqua, quae ita aliud corpus admixtum habeat, ut quoddam compositum magis sit, quam aqua, uti se habet lutum etc. d. Thom. *p.* 3. *q.* 66. *art.* 4. * De iis omnibus videatur rituale Romanum editum Romae jussu Gregor. XIII. ubi fusius, quam in posterioribus, aperte explicatur, quae aqua intelligi debeat naturalis; ibi *part.* 17. *Materiam hujus sacramenti esse aquam veram et naturalem, ut fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, paludum, cisternarum, et pluvialem, et sic quamcumque simplicem et puram, quae propriam aquae speciem retineat, nec referre frigida sit, an calida: non autem esse aquam artificialem, ut ex rosis, floribus, herbis, seu similibus rebus expressam, aut distillatam, nec alium quemvis liquorem.*

R. II. Nonnullae aquae sunt materia dubia baptismi. Ita se habet aqua resoluta ex sale, volentibus aliquibus esse materiam sufficientem baptismi, cum non putent esse nisi veram aquam naturalem falsam resolutam; aliis affirmantibus non esse nisi verum mixtum, seu sal dissolutum, in quo materia potior non sit aqua. Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *res.* 50. et multo magis id affirmant de aqua resoluta ex sale montano. Alii ponunt inter materiam dubiam baptismi lixivium et jusculum, quae tamen, meo videri, nullatenus reputanda essent materia baptismi; cum non videantur amplius dici posse aquam naturalem. Item controvertitur, an sint materia sufficiens baptismi nix, vel glacies, si liquefiant tangendo corpus, dum ministratur baptismus, ut videre est apud Pasqualigum *q.* 12. Cum autem non certum sit praefatas materias esse sufficientes pro baptismo, non sine gravi culpa illis uteretur minister extra casum necessitatis ex dictis in superiori tractatu *cap.* 2. *quaesit.* 6. itemque sacramentum esset sub conditione iterandum cum materia certo sufficienti, ut dicam etiam infra.

Q. II. An baptismus ministrandus sit cum aqua benedicta.

R. Certum est aquam benedictam non esse de necessitate baptismi, at omnino credo non posse baptismum sine gravi culpa, extra casum necessitatis, conferri sine aqua non benedicta. Ratio est, quia ita fert consuetudo et praeceptum ecclesiae, ut colligitur ex Clementin. unic. *de bapt.* Neque satis intelligo, quomodo aliqui dicant materiam hujus praecepti, esse de re levi; cum ecclesia tanta solemnitate benedicat aquam ad religiosius administrandum baptismum in sabbatis paschae et pentecostes. Gabr. a s. Vinc. *disp.* 1. *q.* 1. *in fin.* Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *resol.* 55. * Palaus *p.* 4. *tr.* 19. *disp. unic. p.* 3. *n.* 5. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 8. et alii apud ipsum, qui hoc eruunt ex Clement. unic. *de bapt.* Et parum videtur referre, an baptismus solemni, vel privato ritu conferatur: pro utroque enim faciunt momenta eadem, quod nempe res sacra peragitur, et assumitur elementum, non ad quemlibet usum, sed ad animarum emundationem, inquit Laurent. Berti *de theol. discipl. lib.* 31. *cap.* 5. *in fin.* *

Q. III. Quaenam sit materia proxima baptismi; et quot modis possit administrari.

R. Cum materia proxima nil aliud sit, quam applicatio materiae remotae, sequitur ablutionem, quae fit in applicatione aquae, esse materiam proximam baptismi; d. Thom. *p.* 3. *q.* 66. *art.* 1. Porro cum non detur ablutio, nisi aqua aliquo modo diffluat, necesse est tantam adhibere aquam in administrando baptismum, ut aqua diffluat per eam corporis partem, quae in baptismo abluitur, ut etiam infra explicabo.

R. II. Baptismus valide confertur immersione; debet tamen immersio fieri a baptizante, alias non verificaretur ab ipso ablui, ut denotant illa verba formae: *Ego te baptizo.* Hic ritus, quo immergendo baptizandum in aqua significabatur sepeliri veterem hominem, illumque educendo novum resurgere, jam in usu fuit etiam in ecclesia Latina. Recessit autem ab hoc ritu, tum quia difficile reddebatur ministris adultos immergere et educere; tum quia immersione non parum praejudicii inferebatur parvulorum valetudini; tum quia erubescentia non exigua oriri poterat in ministris, et baptizandis, praecipue si erant foeminae. * Consulatur Marten. *l. c. art.* 14. *. Secundo validus est baptismus collatus per infusionem, cum verificetur baptizandum ablui; et ulterius etiam hoc modo, licet non tam clare, significatur sepultura Christi, quatenus aliqua pars corporis aquae

supponitur, et ejusdem resurrectio per spiritualem nempe regenerationem, quam recipit baptizatus. Tertio validus est baptismus collatus per aspersionem: si tanta adhibeatur aqua, ut diffluat supra aliquam partem corporis baptizati, ut vere dici possit ablutus. Secus si collatus per aspersionem aqua attingeret solos capillos, seu vestes baptizati, vel tanta non esset, ut sufficienter difflueret; nam tunc baptizatus non dici posset ablutus. Videatur s. Th. *p.* 3. *q.* 66. *a.* 7.

Dixi praefatis modis valide conferri baptismum. Caeterum non servare ritus propriae ecclesiae in baptizando, communiter reputatur grave peccatum; cum tales ritus, qui non possunt judicari de re levi, ab ecclesia praecipiantur. Hinc quamvis trina infusio non sit de necessitate baptismi, validus enim esset si unica infusione conferretur, prolatis eodem tempore verbis formae, attamen peccatum grave esset, illum trina infusione non conferre: d. Th. *pag.* 3. *q.* 66. *a.* 8. Ideo probare non possum de se hanc omissionem non esse nisi culpam venialem, ut dicunt aliqui; cum talis ritus non possit dici quid leve, utpote inductus ad significandum triduum sepulturae Christi et Trinitatem personarum; * et eruitur ex concilio Tridentino: *sess.* 7. *can.* 13. nec non *ex epist.* 44. s. Augustini *ad Januar. num.* 2. *Haec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam; ad quam forte devenerit; quod enim neque contra idem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum.* Et *n.* 6. *Faciat ergo quisque, quod in ea ecclesia, in quam venit, invenerit.* *

Q. IV. In quibus casibus adhibeatur materia proxima dubia.

R. Si in baptizando adhibeantur duae, vel tres guttae aquae, putant aliqui esse invalidum baptismum; quia de aqua tam modica non videtur ipsis verificari posse quod abluat. Caeterum communior opinio est baptismum ita collatum esse validum, si illae guttae non solum tangant, sed aliquo modo difluendo habeant contactum successivum; quia tunc videtur verificari quod abluant. Gabr. a S. V. *d.* 1. *q.* 1. Pasqual. *q.* 14. *n.* 3. Item dubitatur de valore baptismi, si minister projiceret in flumen, vel in puteum infantem, et formae verba proferret; quia illa actio non videtur ordinata ad abluendum, sed ad occidendum. Communior tamen est opinio contraria, quia minister vere projiceret ad abluendum, et videtur dici posse ab eodem ablutus. Filliuc. *de bapt. c.* 2. *n.* 41. Anton. a Spr. S. *d.* 2. *sect.* 2.

n. 48. Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 26. Immo aliqui apud Dianam. *p.* 1. *tr.* 1. *resol.* 69. *et* 70. censent id licite fieri, si puer esset proxime moriturus, et non alius esset modus illum baptizandi; nam minima acceleratio mortis postponenda videtur aeternae saluti exinde puero eventurae. Id tamen communiter reprobatur, cum Deus sibi ipsi jus in nostram vitam reservaverit; et aliunde quamplura sequerentur inconvenientia, si admitteretur licitum esse alicui accelerare mortem, ut illius aeternae saluti consuleretur. Sicuti communius docent DD. validum esse baptismum modo dicto collatum, multo magis consentiunt validum esse baptismum, si quis infantem fune descenderet in flumen, vel puteum, prolata verborum forma, et vivum extraheret; vel si submitteretur aquae defluenti e tecto etc. Bonac. *n.* 27. *et* 28. Semper tamen advertendum verificari debere, baptizandum posse dici ablutum a baptizante, unde per seipsum deberet illum immittere in flumen, vel aquae defluenti submittere; nam si hoc fiat ab alio vel ab ipso etiam baptizando, non verificatur ablui a ministro, sicuti significant verba formae. Quando vero dubitari possit de valore baptismi ratione partis, quae abluitur, dicam infra, dum agam de subjecto hujus sacramenti.

Q. V. Quae sit forma baptismi.

R. Forma baptismi ita se habet: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Haec autem forma probatur ex praxi et consuetudine ecclesiae, ex qua, ut docet catechismus *p.* 2. *c.* 2. habetur datam fuisse a Christo, dum Matth. 23. ait Apostolis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Hinc praefata verba esse formam baptismi, docuit concilium Lateranense *cap. Firmiter de Sum. Trin.* Florent. *in decr. Eugen.* et Trident. *sess.* 7. *can* 4. Debet ergo in forma baptismi exprimi minister baptismi, quia, ut docet s. Th. *p.* 3. *q.* 66. *ar.* 5. cum Deus conferat effectus sacramentorum etiam per causas instrumentales, et minister sit causa instrumentalis extrinseca, congruum erat, ut verbis formae exprimeretur. In praefata forma minister exprimitur illis verbis: *Ego te baptizo*. Quamvis autem pronomen *ego* non sine peccato omitteretur; non tamen est necessarium ad designandum ministrum baptizantem, cum sufficienter exprimatur per ly *baptizo*: In forma, quam adhibent Graeci, minister exprimitur his verbis: *Baptizetur servus Dei N. in nomine etc.* et quamvis haec verba non ita clare exprimant ministrum, de facto tamen exprimunt; nam dum dicitur, *baptizetur*, deno-

tatur actio alicujus; et ulterius cum fiat nomine SS. Trinitatis, indicatur aliquis qui sit Dei minister. Ultra personam ministri, qui baptizat, debet etiam in forma baptismi exprimi actio baptizandi; neque enim, ut ratiocinatur s. Th. *loc. cit. ad* 2. satis exprimeretur, eo quod aliquis ablueretur in nomine personarum Trinitatis, in tali enim nomine omnia facere deberemus; unde necesse est eam exprimere per ly *baptizo*. Praeterea in eadem forma exprimi debet persona, quae baptizatur, quod fit per pronomen *te*, alias non satis explicaretur actus baptizandi, cum debeat ordinari ad personam determinatam et capacem baptismi; et ulterius debet esse distincta a baptizante, ut definitur *cap. Debitum de bapt.*

Ex dictis invalidus erit baptismus, si omittatur ly *baptizo*, non subrogando aliud verbum omnino aequivalens, uti essent *abluo*, *aspergo etc.* Invalide item conferretur baptismus, dicendo *baptizatus est*, *baptizata est in nomine etc.* qua forma utuntur Chaldaei. Ita communiter theologi contra Nazarium; nam illis verbis nec exprimitur actio ministri, nec exprimitur hic et nunc baptizari, seu justificari persona, quae baptizatur: Gabr. a S. Vinc. *d.* 5. *q.* 3. Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *resolut.* 60. et apud illum alii. Item invalidum omnino contra aliquos reputare est baptismum sub hac forma collatum: *baptizet te Christus*, etsi minister non intenderet excludere suam personam; quia praefata verba non exprimunt actionem ministri, ut omnes fatentur esse necessarium; sicut etiam quia forma non proferri debet modo deprecativo; ut fit verbis praefatis, sed enunciativo. Tamburin. *de sacr. c.* 1. §. 4. *n.* 28. Idem dicendum de hac forma: *Intendo te baptizare etc.* nam hujusmodi verba indicant intentionem baptizandi, non actum baptizandi. Tambur. *n.* 31. Trull. *c.* 3. *d.* 4. *n.* 11. *etc.* Demum communiter reputatur invalidus baptismus, si ommitatur pronomen *Te*, cum expresse non designetur persona, quae baptizatur. Secus si aequivalenter designetur, dicendo: *baptizo dominationem tuam etc.* Hic etiam venit adnotanda propositio 27. ex damnatis ab Alex. VIII. quae ita se habet: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus. In nomine Patris etc. praetermissis illis, Ego te baptizo.*

Expressa persona baptizante, illius actione et persona, quae baptizatur, necesse est exprimere in forma baptismi unitatem Divinitatis, alias non exprimeretur mysterium SS. Trinitatis; haec autem unitas exprimitur dicendo *in nomine*. Invalidus proinde esset baptismus, si diceretur *in nomini-*

bus; quia ita significaretur diversitas essentiae. Invalidus pariter esset, quidquid aliqui dicant in contrarium, baptismus ita collatus: *Ego te baptizo in Patre, Filio, et Spiritu S.* etenim significanda est invocatio, virtus ac professio Dei unius, quod non fit, dum non dicitur *in nomine* Lamy. *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 4. *n.* 5.

Deinde exprimendae sunt personae SS. Trinitatis, ut ex perpetua traditione docent ss. PP. hanc addendo congruentiam; quia cum baptismus sit sacramentum, quo homines facta fidei professione intrant in ecclesiam, conveniens erat in eo accipiendo expressam fieri mentionem articuli Trinitatis, cujus fides tam necessaria est omni credenti. Praeterea dicendo *in nomine Patris etc.* designatur causa principalis, ex qua oritur nostra justificatio in baptismo. Si ergo in conferendo baptismo non exprimantur personae SS. Trinitatis nullus erit, ut si diceretur: *Ego te baptizo in nomine Dei trini;* vel *in nomine Trinitatis;* vel *in nomine primae, secundae et tertiae personae.* Item si exprimerentur cum errore, ut si diceretur *in nomine Patris majoris etc.* uti faciebant Ariani: vel si aliqua persona omitteretur, aut ita ejus nomen mutaretur, ut nullatenus intelligi posset expressa eadem persona. Quod si adderentur notiones personarum, validus utique esset baptismus: ut si diceretur *In nomine patris ingeniti, Filii generati et Spiritus S. ab utroque procedentis*. Si vero adderetur nomen alicujus sancti, v. g. b. Virginis ea intentione ut simul cum SS. Trinitate conferat gratiam baptismi, utique esset invalidus. Si vero ad implorandum ipsius patrocinium erga personam baptizatam, baptismus esset validus: d. Th. *p.* 3. *q.* 60. *a.* 8. Semper tamen hujusmodi additiones, seu mutationes illicite ponuntur ex dictis in tractatu superiori.

Aliqui putant initio nascentis ecclesiae baptismum collatum fuisse in nomine Jesu Christi, ut videtur innui Act. 2., atque id factum putat d. Th. *p.* 3. *q.* 66. *a.* 6. ex speciali Dei dispensatione, ut ita in honore esset illud nomen, quod tam in odio fuerat Judaeis. Verum ego credo nunquam collatum fuisse baptismum absque expressa mentione personarum SS. Trinitatis, ut probavi *in quaesitis dogmaticis et moral. de sacr. tr.* 2. *cap.* 3. * Affirmativam hanc opinionem utpote d. Thomae astruere studuit reverendiss. p. Joseph. Augustinus Orsi e Praedicatorum ordinis familia vir eruditissimus, postea S. R. E. cardinalis amplissimus, eamque copiosissimo scriptorum tum Latinorum tum Graecorum nu-

mero comprobandi provinciam aggressus est adversus contrariae sententiae assertores dissertatione inscripta *de baptismo in nomine Christi*. Verum omnia rationum momenta ab Orsi relata infringere, et negativam tum sacrae scripturae cum traditioni convenire, sanctorumque Patrum testimonio contrariam potius docere demostrat Auctor *de re sacrament. lib.* 2. *in append. de baptism.* *

Q. VI. Quae sint formae dubiae baptismi.

R. Hae formae dubiae ad sequentes reducuntur. Ego te baptizo *nomine patris etc.* relicta particula *in*, aliis affirmantibus idem esse dicere *nomine patris etc. ac in nomine*, aliis omnino negantibus, quia dicere *in nomine etc.* importat invocationem Trinitatis et professionem fidei, dicere vero tantum *nomine* nullatenus invocatur Trinitas, sed solum designatur baptismum fieri nomine, seu auctoritate Trinitatis. Pasqual. *q.* 25. *n.* 6. Comitol. *l.* 1. *q.* 9. *n.* 4. qui alios citat. Eadem ratione saltem dubia est forma baptismi, si dicatur: *Ego te baptizo cum nomine Patris*, quia ly *cum nomine* non invocatur unitas essentiae: Coninch. *q.* 66. *a.* 6. *d.* 1. *n.* 60. Salmant. *de bapt c.* 3. *p.* 4. *n.* 18. et etiam videtur invalida Filliuccio *de bapt. c.* 3. *q.* 11. Vasquez *etc.* Dubitatur etiam merito de valore baptismi, si dicatur *baptizo te in virtute*, seu *fide*, seu *majestate patris etc.* nam ly *in nomine* non solum significat virtutem, sed etiam invocationem, quae praefatis verbis non exprimitur. Bonac. *de sacr. d.* 2. *q.* 2 *p.* 4. *n.* 5. Dubia est sequens forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Sp. S.*, quamvis enim non pauci sustineant validam esse, quia non affirmatur esse plura nomina, sed repetitur idem nomen essentiale et commune tribus personis: nihilominus aliis videtur repetitione illius verbi dividi essentias; cum ly *in nomine* significet essentiam divinam. Bonac. *cit.* Coton. *contr.* 2. *cap.* 1. *numer.* 17.

Dubia est sequens forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, et Procedentis ab utroque*: quamvis enim aliquibus videatur valida, cum satis exprimi videantur personae ss. Trinitatis, nihilominus magis communiter negatur esse validam; quia non exprimuntur parsonae sub ea expressione, quam Christus instituit: s. Th. *par.* 3. *q.* 66. *a.* 5. *ad.* 7. d. Antonin. *p.* 3. *tit.* 14. *c.* 3. §. 3. et alii, quos sequitur Bonaccina *de sacr. d.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 12. Eadem ratione saltem dubia erit forma sequens *Ego te baptizo in nomine Ingeniti, Geniti, et Spirati*. Laym. *de*

bapt. c. 4. n. 4. Dubia est forma, in qua mutatur ordo personarum, ut si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Filii, Patris. et Spiritus s.*, quia ad plenam expressionem ss. Trinitatis videtur exprimendus ordo emanationis. Laym. *de bapt. c. 4. n. 6.* Placuit has formas dubias adnotare, non solum quia eisdem illicite baptismus administraretur, sed etiam ut sciat minister talem baptismum esse sub conditione iterandum.

Regulae in praxi observandae

I. Quia non sine irreverentia sacramenti administraretur baptismus aqua immunda et non benedicta, ideo animadvertat parochus quae habet s. Carolus *act. p. 4. de bapt. adm. Aquam, ait, baptismalem (quoniam puram illam quidem, mundam nitidamque esse ob tanti sacramenti dignitatem convenit) in ipso fonte per totum annum, quoad ejus fieri potest, cum decore conservabit. Quam ob causam tum fontem pro sacramenti majestate ex eo praescripto decenter extructum ornatumque habebit: tum etiam totum ipsius fontis opus undique ita contectum tenebit, ut nec pulvis, nec ullae aliae sordes intro penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri possit. Quod si intra annum prae temporis diuturnitate aliave causa illam corrumpi contingerit, in sacrarium prope fontem parochus projiciet, statimque et fontem purgabit. Et vero, si in urbe est, ad metropolitanam, si in dioecesi ad plebanam ecclesiam veniet, unde proprio vasculo aquam baptismalem accipiat, in parochialemque ecclesiam secreto ferat: ubi quam primum in fontem effundat, baptismalique aquae allatae tantum etiam aquae purae, nitidae et recentis addet, quantum satis erit. Hoc ipsum quoque praestabit, si etiam aqua baptismalis per annum aliquo modo defecerit.*

II. Si in summa hyeme aqua vi frigoris conglaciet, vel ita sit gelida, ut nocere possit infanti, idem s. Praesuli dicit a parocho miscendam esse aquae benedictae quid minus aquae calidae, nitidae, naturalis, ut aqua benedicta liquefiat, et nocere non possit. Caeterum si ministretur baptismus vasculo argenteo, vel ex alio metallo confecto, posset tale vasculum aqua, vel congelata, vel gelida repletum prope ignem admovere, ut ita sine nocumento baptizetur.

III. Diligens sit parochus in instruendis obstetricibus de modo administrandi baptismum; non raro etenim accidit infantes ab eis esse baptizandos propter mortis periculum. Doceat igitur ter esse aquam infundendam, si tempus sup-

petat: eodem tempore ac aqua infunditur, proferendam esse formam: ab eadem persona, quae profert formam, infundendam esse aquam. Doceat exactissime, qualis debeat esse forma proferenda, et consultius erit, si illas instruat, ut vulgari idiomate baptizent; nam justa causa suadet ut ita baptizent, ne errent scilicet in proferenda forma, ac praeterea usus invaluit, ut istae ita baptizent. Videat ne dicant: *Io ti battezzo col nome del Padre etc.* sed *nel nome del Padre*; et si adinveniat baptizasse dicendo *col nome*, ut quandoque accidit, iterandus est baptismus sub conditione. Doceat quod si infundere debeant aquam super aliam partem, quam in capite, baptismus conferendus est sub conditione. Instruat quomodo sub conditione conferendus est baptismus infanti existenti in utero matris, vel filiis abortivis, de quibus omnibus dicam infra. Si deficiat parochus in his instructionibus, graviter certe deficiet, ut ex se constat. * Doceat ulterius tantam esse aquae quantitatem adhibendam, ut per partem ablutam diffluere possit; neque enim consentiunt theologi, an per aquae guttam valide administretur baptismus. Gonzal. *in* 3. *decret. cap.* 5. *de bapt. n.* 3. *

CAPUT III.

De ministro baptismi

Q. I. Quis sit minister sacramenti baptismi.

R. I. Minister ordinarius hujus sacramenti est solus parochus. * Priscis ecclesiae seculis solos episcopos fuisse hujus sacramenti ministros et ob id in solis fere cathedralibus ecclesiis, vel prope eas extitisse baptisteria, tradit Marten. *de antiq. eccl. ritib. lib.* 1. *art.* 3. *n.* 2. ex multis antiquorum PP. testimoniis, et ante ipsum docuerat eruditissimus Christianus Lupus *t.* 2. *in append. ad Ephes. latrocin. cap.* 3. et Thomasin. *de nov. et veter. Eccl. discipl. p.* 1. *lib.* 2 *cap.* 21. *n.* 8. Verum crescente in dies baptizandorum numero, cum unus non sufficeret episcopus, jus conferendi baptismum concessum fuit aliis presbyteris *. Ratio est, quia ad regendos et guberandos fideles sacramentorum administratione, ultra potestatem ordinis requiritur potestas jurisdictionis: hanc autem non habet aliquis, eo quod sit sacerdos, sed eo quod assumatur ad gubernandos fideles, quod fit, dum quis in parochum eligitur. Hinc graviter peccaret, qui extra casum necessitatis absque jurisdictione aliquem baptizaret; quia in re gravi faceret contra jus parochi. Tambur. *de*

sacr. c. 2. §. 1. *num.* 2. * Suar. Navarr. Scot. quos affert, et sequitur Laym. *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 7. et eruunt ex *Clement. unic. de baptism.* *, et communiter. Eadem ratione graviter peccarent parentes, si deferrent puerum extra parochiam baptizandum, quando in ecclesia parochiali esset fons baptismalis. Buss. *d.* 3. *a.* 1. * Notandum vero haec habere locum, si infans ad parochialem ecclesiam sine vitae periculo deportari possit; nam secus nullum esset peccatum ad aliam utpote viciniorem baptismalem ecclesiam deferre *. Idem denique dicendum de laico, qui extra casum necessitatis privatim baptismum ministraret. Magal. *v. bapt. mat. n.* 9. et communiter. Solummodo ergo sacerdotes, qui non sunt parochi, possunt ex parochi delegatione solemniter baptizare; sicut etiam diaconus, cui id concedi posset etiam extra casum necessitatis; cum sit minister extraordinarius baptismi: *can. Diaconos dist.* 93. Gabr. a s. Vinc. *de bapt. disp.* 3. *quaest.* 2. (1).

R. II. In casu necessitatis quilibet laicus potest baptismum administrare; et cum semper viguerit hujusmodi disciplina in ecclesia, juste judicatur ex traditione apostolica derivasse. Ex hoc commendandam Dei misericordiam docet s. Th. *pag.* 3. *q.* 67. *a.* 3. cum voluerit sacramentum omnimode necessarium infantibus, sicut etiam adultis quoad omnimodam remissionem non solum culpae, sed etiam poenae, posse in necessitate a quocumquae ministrari. Hinc *can. Ad limina* 30. *q.* 1. laudatur pater, qui in necessitate filium baptizavit, neque per hoc privatus dicitur jure petendi debitum a sua conjuge. Addendum in casu necessitatis administrari posse baptismum etiam a laico non baptizato, dummodo adhibeat convenientem formam et materiam, et habeat intentionem faciendi, quod facit ecclesia: *can. Romanus dist.* 4. *de consec. can. A quodam ibid.* idemque asseritur de haereticis: *can. Ab antiqua ibid.*

Duo tamen sunt observanda. Primum est, quod dum in casu necessitatis ministrandus est baptismus, ita ordo servandus est, ut sacerdos praecedat diaconum, diaconus clericum, clericus laicum, vir mulierum, fidelis infidelem: s. Th. *p.* 3. *q.* 67. *a.* 4. Certe si laicus baptizaret praesente pa-

(1) Diaconi licet dum consecrantur, eis dicatur debere baptizare, id praestare attamen nequeunt nisi ex delegatione illius ad quem spectat, et quidem ex gravi causa saltem in praesenti Ecclesiae disciplina:

rocho, graviter peccaret, quia violaret illius jus in re gravi; sed et ego puto peccaturum graviter, si baptizet praesente quocumque sacerdote: quia videtur injuria inferri ordini sacro et sacramento, dum ministratur a laico, quando ministrari poterat a sacerdote, qui est proprius illius minister. Bonacc. *de sacr. d.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 11. Gabr. a s. Vinc. *d.* 2. *q.* 2. Immo s. Augustinus *l. cont. epist. Parmen. cap.* 13. docet non posse sacerdotem, dum potest ipse baptizare, concedere laico hujusmodi facultatem; quia tale jus, dum aliud non suadeat necessitas, proprie convenit ordini sacerdotali. Si vero non adsit sacerdos, et praefatus ordo non servetur, solummodo erit peccatum veniale; sed neque aliqua culpa erit, si varietur cum aliqua causa, puta quia mulier melius scit proferre formam, quam vir; vel quia ita exigat necessitas, ut si in necessitate baptizandus sit infans non plene editus; nam id pudoris gratia tunc fieri nullatenus debet a viro, vel etiam sacerdote, si adsit, sed ab obstetrice, vel ab alia foemina. * Gonzal. *in cap. Si quis de cleric. non ordin.* Sot. *in* 4. *sent. dist.* 4. *a.* 2. Sylv. *in p.* 3. d. Thom. *q.* 67. *art* 3. 4. *et* 5. Salmant. *tr.* 2. *cap.* 4. quod etiam praescribit rituale Romanum de ministro baptismi: *sed si adsit sacerdos diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat, foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi*. Vide et catechismum Romanum *de sacram. baptism. n.* 25. *. Secundum est, quod quia dum ministratur baptismus in necessitate, omitti solent solemnitates, immo omnino omittendae sunt, si laicus baptizet; quia pertinent ad sacrum ministerium, eaedem solemnitates postea supplendae sunt. Et quidem contra aliter sentientes, puto omitti non posse sine gravi culpa; quia non videntur judicari posse quid leve tot caeremoniae et ritus, quos ad plura tam sancta significanda instituit ecclesia in conferendo baptismo. Passerin. *de stat. homin. q.* 187. *art.* 1. *num.* 85. Pasqualig. *q.* 99. *num.* 3. * Laym. *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 8. *n. ult.* et desumitur ex *cap. Hanc regulam, et c. Spiritus Sanctus caus.* 1. *quaest.* 1. *cap. Presbyter de sacrament. non iterand.* ibique Gonzal. *

Q. II. An possit unus minister eodem tempore plures baptizare; vel plures ministri eumdem infantem.

R. I. Certe extra casum necessitatis illicite plures eodem tempore ab eodem ministro baptizarentur; et merito non

pauci theologi docent id fieri non posse sine gravi culpa; quia non videtur immutari ritus ecclesiae in re levi. Bonacc. *de sacr. disp.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *num.* 21. * Scotus *in* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 2. et alii quamplures apud Ferrar. *V. baptism. art.* 4. *n.* 33. * Verum in casu necessitatis, ait s. Th. *p.* 3. *q.* 67. *a.* 6. *ad.* 2. unus potest plures simul baptizare sub hac forma: *Ego vos baptizo etc.* puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod omnino impediret singillatim omnes baptizare. * Hoc colligitur ex rituali Romano de baptizandis parvulis: *si vero mortis periculum immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: Ego vos baptizo etc.* Tournel. *praelect. theolog. de sacrum. bap. q.* 3. *a.* 2. *quaest.* 4. Et certe apostoli, si a quibusdam, a paucis certe adjuti vix aliter quam plures simul baptizando, tot hominum millia una die baptizare potuerunt: *act.* 2. *et* 3. Hoc pariter confirmari potest ex sacerdote, qui plures hostias simul consecrare, et plures poenitentes in naufragii periculo absolvere potest, ut tradunt plurimi ap. Bonacc. *loc. supra cit.* *

R. II. Utique illicite propter praefatam rationem plures ministri eumdem baptizarent. Si vero unusquisque baptizare intelligeret independenter ab alio, validus esset baptismus; quia adessent omnia ad baptismum requisita: non tamen essent duo baptismi, quia, ut ait s. Th. *art.* 6. *cit.* Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret. Ibidem etiam notat, quod si unus ante alterum absolveret formam baptismi, ille solus baptizaret; nullus etenim est baptismus collatus jam baptizato. Quod si duo ministri intenderent baptizare, sed unus dependenter ab alio, neuter baptizaret. Ratio est, quia vel dicerent: *Ego te baptizo etc.* et tunc non verificaretur forma, cum neuter per se baptizaret, sed cum alio, vel dicerent: *Nos te baptizamus*, et tunc mutaretur forma; nam ly *ego* in forma significat unum ministrum, sicut unus est Christus, quem repraesentat minister; dum vero dicerent *nos*, significaretur multiplicitas ministrorum, idem enim esset ac dicere: *Ego et iste te baptizamus etc.* Videatur s. Thomas *loco citato*. Multo minus validus esset baptismus, si unus infunderet aquam, et alter formam proferret, quia qui non infunderet aquam, falso formam proferret; cum non verificaretur ipsum baptizare: s. Th. *p.* 3. *quaest.* 66. *art* 6. *ad* 3. * Ob hanc rationem patres concilii Mechliniensis *an.* 1607. *tit.* 3. *cap.* 6. *colle-*

ction. Labbeanae t. 21. iterum sub conditione baptizandos decreverunt jam baptizatos ab haereticis Hollandiae finitimarumque regionum, apud quos mos invalueral *contra receptam ecclesiae consuetudinem et antiquissimam traditionem baptizandi, uno aquam fundente, altero formam ipsam pronunciante.* Quod et cum haereticis Angliae faciendum docuit Sylv. *in d. p. d. Thom. q.* 66. *ar.* 9. Lug. *respons. moral. lib.* 1. *dub.* 2. *n.* 3. et alii apud Benedictum XIV. *de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 8. * Nihilominus non desunt qui dicant in casu necessitatis posse ita sub conditione baptizari; ut si adesset mutus, qui posset infundere aquam, et alter qui nullatenus uti posset manibus, et sciret formam baptismi. Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *resol.* 64. * Caeterum si infans periculum mortis evaderet, esset iterum sub conditione baptizandus. Ita sentit idem Dian. *l. c.* *

Q. III. Quo in loco administrandus sit baptismus.

R. Extat praeceptum concilii Viennensis relatum Clem. unic. *de bapt.* quo extra necessitatem prohibentur baptizari infantes extra ecclesiam, exceptis dumtaxat filiis regum, vel principum, qui nempe in temporalibus nullum agnoscunt superiorem; unde talis exceptio non est extendenda ad filios aliorum principum inferiorum. Coton. *contr.* 2. *c.* 4. *n.* 53. Cum hujusmodi igitur praeceptum sit de re gravi, non potest sine gravi culpa infringi. Coton. *cit.* Tamb. *c.* 2. §. 3. *n.* 5.

Regulae in praxi observandae

I. Cum extra casum necessitatis pertineat ad solos sacerdotes baptismum administrare, videat parochus, ne nimis faciles sint sui parochiani in conferendo domi baptismum opera obstetricis, vel alterius laici; adeoque si non videatur mors tam imminens, vocent parochum, vel ipso absente, aut impedito, alium sacerdotem. Insimul tamen monere debet, ut in hoc non sint nimis scrupulosi, ne eveniat infantem interim sine baptismo perire.

II. Non facilis sit parochus in administrando sine necessitate domi baptismum, quae necessitas certe non adest, si parentes exposcant infantem baptizari, ne forte decedat, et interim differri volunt solemnitates baptismi; quia expectantur patrini, et aliae pompae comparantur. Memor sit parochus velle ecclesiam, ut dum administratur baptismus, simul administretur cum solemnitatibus, cum caeremoniis nempe ac ritibus ab eadem praescriptis, et id totum praecipere fieri in ecclesia, adeoque, nonnisi urgente necessitate,

aliter fieri non potest, ut ex communi notat Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 9. Quin immo edoceat parentes, convenientius esse deferre infantes ad baptismum sine pompa et vano ornatu, ne dum voce patrini sathanae pompis abrenunciant, re ipsa videamur negare, quod dicunt. Ita etiam praecipiunt diversae synodales constitutiones videndae apud Genet *tr.* 5. *de* 4. *decal. praec. c.* 2. *q.* 8.

* Cum defertur parvulus ad ecclesiam, domi baptizatus ab obstetrice, ut ritus et caeremoniae adimpleantur, eamdem diligenter interroget parochus praesertim ruralis, quomodo se gesserit in eo conferendo; multoties enim fieri potest, quod obstetrix, caeteroquin satis experta, vel ex inadvertentia, vel ex improviso aliquo casu perturbata, non bene rem totam in illa perturbatione perficiat, ut mihi praesenti accidit aliquando ruri; si enim diligens parochus eam non interrogasset, illius infantis baptismus nullus fuisset vel saltem valde dubius; ut enim matri morienti succurreret, non conjunxerat materiam cum forma, et aquam super caput infantis post totaliter prolata verba effudit. *

CAPUT IV.

De subjecto baptismi, ubi de iis, qui tantum sub conditione sunt baptizandi; et quando baptismus sit sub conditione reiterandus

Q. I. Quodnam sit subjectum sacramenti baptismi.

R. Quilibet, qui vere nascatur anima rationali informatus, capax est baptismi; cum etenim hoc sacramentum sit omni homini ad salutem necessarium, nullus homo de se incapax est baptismi. Hinc ex perpetua traditione baptizantur infantes; et congruum erat ita Deum disposuisse, tum quia cum omnes ad salutem ordinaverit, nullum aliud medium aderat in praesenti providentia, ut infantes salvarentur; ac proinde dicitur baptismus esse loco circumcisionis: *cap. Majores de bapt.* * Hanc ecclesiae traditionem compertam et inconcussam urget d. Augustinus adversus Pelagianos *serm.* 174. *de verb. apost.* quod et repetit *serm.* 176. quam nec ipsi Pelagiani ipsius s. Doctoris argumentis petiti negare ausi sunt: Jo. Laurentius Berti *lib.* 31. *cap.* 16. * Tum quia, cum infantes exclusi sint a regno ex peccato non commisso propria voluntate, congruum erat verbis ministri ipsis conferentis baptismum posse salvari, ut observat s. August. *sermon.* 294. *de bapt.* Infantibus comparantur perpetuo amen-

tes, ut docet s. Th. *p.* 3. *q.* 68. *a.* 12. Quod si non fuerunt perpetuo amentes, observandum est, an desideraverint baptismum, quando habebant usum rationis; et tunc cum reputentur perseverare in eadem voluntate, baptismus est illis conferendus, dummodo tamen non constet lapsos fuisse in amentiam, dum erant in peccato mortali; tunc etenim indigno administraretur. Si vero dum habebant usum rationis nullum propositum habuerunt suscipiendi baptismum, tunc non est illis administrandus, quia reputantur perseverare in eadem voluntate: *c. Majores de bapt.* s. Th. *p.* 3. *q.* 68. *a.* 12. Eadem doctrina applicanda est iis, qui in letargum inciderunt: *can. Ægrotantes d.* 4. *de consec.* * Vide dicta superius *tr.* 16. *cap.* 5. *num.* 4. *

Q. II. An infantes infidelium, et haereticorum sint baptizandi invitis parentibus.

R. I. Non desunt, qui doceant filios infidelium posse invitis parentibus baptizari; at contrarium docet s. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 12. *et p.* 3. *q.* 68. *a.* 10. Id autem probatur, quia ecclesia nunquam usa est hac potestate, qua, si eam credidisset sibi competere, uti potuisset sub potentissimis christianis Imperatoribus. Item quia jure naturali filii sunt sub parentum potestate, qua licet abutantur arcendo filios a baptismo suscipiendo; nihilominus, cum non sint subditi ecclesiae, ab ea non possunt plecti et emendari. Demum quia exponerentur manifesto periculo apostasiae; nam facillime parentes suaderent eis; in fide christiana non perseverare. * Posse infidelium ac haebreorum filios infantes contra voluntatem parentum baptizari tradidit olim Scotus *in* 4. *sent. dist.* 4. *q.* 9. *n.* 2. *et in quaest. relatis ad q.* 2. quem postea secuti sunt et acerrime propugnarunt Farvacques *de bapt. cap.* 6. *q.* 3. §. 2. et alii apud Berti *l. c. cap.* 17. At supralaudata d. Thomae sententia praevaluit apud theologos et canonistas, ut testantur card. Albizius et Sanctorius apud Benedictum XIV. *epist. ad Nicesger.* §. 5. *bullar. t.* 2. *pag.* 186. *

Haec tamen doctrina primo exceptionem patitur, si alter parentum fuerit aliquando baptizatus; nam tunc utpote subditus ecclesiae, cogi posset ad consentiendum baptismo proprii filii. Secundo, si unus tantum ex parentibus consentiat nam illius voluntas, quamvis sit matris, praevalere debet in bonum filii: *can. Judaei* 28. *q.* 1. *cap. Ex literis de convers. infidel.* * Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *q.* 3. Barbos. *in d. cap.* Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 73. *n.* 16. cum com-

muni aliorum. Hoc, quod de matre hic asserit Auctor, extendi debet ad avum paternum et aviam, cum etiam ipsi, nomine parentum veniant: *l. Justa interpretatione*, ibique Gloss. *v. Avus ff. de verbor. significat. l. Appellatione ff. eodem* Gratian. *discept.* 977. *num.* 4. Hinc licet pater et mater infideles dissentiant, posse tamen infantem ad petitionem avi, vel aviae licite baptizari, videri potest: *d. discept.* 977. et facere videtur *can. Patrem* 32. *p.* 3. Videantur non solum epist. suprad. Bened. XIV. sed et altera *ad rev. Petrum Guglielmi t.* 3. *bullar. pag.* 417. in quibus rem hanc erudite admodum, et funditus more suo pertracta *. Tertio si parentes sint mancipia fidelium; nam cum ipsorum filii ad dominum pertineant, consequens est posse baptizari, iisdem invitis. * Haec intelligenda sunt de mancipiis proprie talibus, iis nempe quae servitute poenali dominis subjiciuntur, ut sunt Turcarum filii bello capti, non vero de iis, quae servitutem tantum civilem serviunt libertati contrariam, quales sunt Judaei apud Christianos; ita ex d. Thoma, Sylvio Suarez ac Innocentio III. *in cap. Etsi Judaeos.* De Judaeis animadverit Benedictus XIV. *in cit. epst. ad d. Guglielmi* §. 15. et tradit Laym. *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 6. *n.* 10. §. *Porro* *. Quarto si sint in periculo mortis, nam tunc extrema ipsorum necessitas praevalet cuicumque juri parentum; et aliunde cessat omne periculum subversionis: * Sacr. congreg. s. Offic. 2. *Nov.* 1678. *et* 18. *Febr.* 1705. Suar. *in p.* 3. *Thom. disp.* 78. *q.* 25. *art.* 3. et alii quamplures apud eumdem Benedictum superiori *epist. ad Vicesger.* §. 8. * Idem dicitur de filiis infidelium perpetuo amentibus. Quinto baptizari potest puer infidelium, si polleat usu rationis, et petat baptizari; quia tunc circa negotium suae salutis omnino est sui juris: d. Th. *p.* 3. *q.* 68. *a* 10. Quod si dubitetur, an iste puer petens baptismum habeat usum rationis, tunc si compleverit septemnium baptizari potest, quia completo septemnio talis usus paesumitur. Passer. *de stat. hom. q.* 187. *n.* 118. * Sperell. *decis.* 1. *num.* 32. *et seq.* card. Albizius *de inconst. in fid. cap.* 11. *n.* 39. quibus addenda est s. Congreg. Conc. resolutio *l.* 16. *decret. p.* 233. *die* 16. *Jul.* 1639. *in una Vilnae*, Snt. *in* 4. *sent. d.* 5. *q. unic. art.* 10. *dub.* 2. *. At ego puto posse etiam baptizari, si non compleverit septemnium, et certo non constet non habere usum rationis; nam in dubio judicandum est in favorem fidei et infantis; qui petiit baptismum. Cand. *a.* 5. *d.* 12. Pasqual. *q.* 51. *num.* 5. et alii apud ipsum. *

Hoc locum habet, si necessitas urgeat, neque tuto baptismus differri possit; si enim sine periculo hoc fieri liceat, consultius est baptismum suspendere, donec cum pleno usu rationis constet de sufficienti ejus voluntate. Suar. *in pag.* 3. *s. Thom. q.* 68. *disp.* 25. *sect.* 3. Lug. *respons. moral. lib.* 5. *dub.* 4. Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 41. saepe laudatus Pontifex *in cit. epist. n.* 33. *est seq.* *

R. II. Filii haereticorum possunt invitis parentibus baptizari; quia hi ratione baptismi sudditi sunt ecclesiae, adeoque ab ea cogi possunt, ut permittant filios suos baptizari; sicut etiam eadem ratione possent ab illis filii auferri ad eos catholice educandos, nisi republicae pax perturbaretur. * Hoc idem colligitur ex concil. Tolet. IV. *cap.* 56. et habetur *can. De Judaeis dist.* 45. Passerin. *l. cit. num.* 103. Laym. *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. *. Multo magis licet auferre filios ab eis, qui a fide catholica ad haereticos transierunt; cum ob ipsorum delictum patria priventur potestate: *cap.* 2. §. *ult. de haeret. in* 6. * Et tenent communiter DD. apud Passer. et Barbos. *in d. cap.* *. Caeterum dum baptizarentur filii haereticorum, vel infidelium invitis parentibus, ad vitandum apostasiae periculum ab illis essent removendi, ut de filiis Judaeorum, qui baptizantur, habetur *can. Judaeorum caus.* 28. *q.* 1. * Videatur Benedictus XIV. *in cit. epist.* §. 27. *et* 29. *

Q. III. An monstra sint baptizanda.

R. I. Si monstrum conceptum sit ex muliere, sed ex consortio cum bruto, tale monstrum non est baptizandum; non solum quia praesumi non potest esse hominem id, quod non est ex virili semine generatum; sed etiam quia non posset in eo apprehendi peccatum originale, quod contrahitur mediante humana generatione per quam. Adae sumus descendentes. Bonacc. *de sacr. d.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 3.

Si vero monstrum fuerit ex viro et muliere generatum, tunc sequentes regulae observandae sunt, quas tradit s. Carolus *actor. p.* 4. *Quae paroch. in bapt. administr.* Si monstrum habeat caput humanum, quamvis in caeteris partibus bestiis assimilaretur, absolute esset baptizandum; nam si caput sit humanum, cum in ipso anima principaliter exerceat suas operationes, praesumere facit illud monstrum animari anima rationali. Quod si caput bestiis assimiletur, et nihilominus pectus et caeterae partes appareant humanae, tunc, quia est locus hinc inde ratiocinandi, ac in eo praesumi possit anima rationalis solummodo esset sub conditione

baptizandum, dicendo: *Si tu es homo, ego te baptizo etc.* Dum vero caput et pectus non appareant humana, quamvis caterae partes assimilentur iis, quas habent homines, nulla est ratio nec probabiliter judicandi, illud monstrum informari anima rationali; adeoque nullatenus esset baptizandum.

R. II. Si constet monstrum vivere anima rationali, et solum dicatur monstrum; quia habet partes geminatas, tunc minister ita se gerere debet: si habeat duo capita, et duo pectora unde appareat esse duos homines unitos, tunc ambobus esset administrandus baptismus, sed prius determinate uni et postea determinate alteri; nam ex dictis capite superiori non possunt plures eodem tempore baptizari. Urgente autem periculo mortis, ambo eodem tempore essent baptizandi, aquam super illos infundendo, et dicendo: *Ego vos baptizo etc.* Quod si non constet, sed dubitetur, an sint duo homines, quia licet sint duo capita, adest tamen solum unum pectus, tunc semel super unum caput baptismo absolute collato, alterum esset sub conditione baptizandum, dicendo: *Si non es baptizatus etc.* Quod si dubium oriatur, an sint duo homines, quia sub uno capite sint duo pectora, tunc censet s. Carolus supra citatus semel tantum conferendum esse baptismum, quamvis non paucis theologis placeat, et tunc absolute primo administrandum baptismum super caput, et deinde sub conditione super pectus a tergo correspondens. Bonacc. *de sacr. d.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 4. et alii apud ipsum, * Laym. *l. c. n.* 13. Reiff. *theol. moral. t.* 14. *dist.* 3. *quaest.* 4. *

Q. IV. An filii adhuc existentes in utero matris, vel non totaliter in lucem editi, vel si sint abortivi, sint baptizandi.

R. I. Quamvis multi doceant invalide baptizari puerum existentem in utero matris, atque ita dicatur *can. Qui in matern. d.* 4. *de consecr.* nihilominus placet omnino asserere esse saltem sub conditione baptizandum, si aliquo modo saltem mediante instrumento ablui aqua possit. Tunc igitur quia vere corpus illius ablueretur, verificari posset forma baptismi, ac proinde posset licite baptizari. Layman *de bapt. c.* 3. *n.* 2. Pasqualig. *q.* 20. *n.* 4. Bonac. *de sacr. d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 24. Quia tamen quoad hoc lis est inter theologos, ideo minister in conferendo baptismo duplicem debet adhibere conditionem, scilicet: *Si es capax baptismi, et si non obstent secundinae* (quando secundinis sit involutus) *ego te baptizo*. Ratio hujus secundae conditionis est, quia adhuc disputant DD. an infans secundinis involutus valide bapti-

zetur, negantibus multis, quia dum secundinae abluuntur, non verificatur ablui infantem; aliis vero affirmantibus, cum putent secundinas, quoadusque illis infans involvitur, esse veluti partem corporis infantis. Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *res.* 76. Palaus. *tr.* 19. *p.* 4 *n.* 8. * Tam negativae quam affirmativae sententiae patronos cum eorum rationibus et argumentis, si quis optet, videre potest apud Gonzal. *in c. Majores de baptismo*, et apud Benedictum XIV. *de synod. dioecs. lib.* 7. *cap.* 5. §. 2. *et seq.* qui explicatis textibus contrariis docet hoc idem quod superius traditum est una cum Tournel. *in praelectionibus de sacram. bapt. quaest.* 3. *art.* 3. cum multis aliis. Addit tamen Benedictus §. 6. si mortis periculum evadat infans, et foras prodeat, denuo esse baptizandum sub conditione. *

R. II. Si necessitas cogat baptizare infantem nondum perfecte in lucem editum, absolute baptizandus est, si possit baptizari in capite, vel etiam in scapulis, aut pectore; quia homo in his partibus principalibus ablutus, absolute dicitur ablutus: s. Th. *in* 4. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 1. *ad* 2. *et* 3. *p. q.* 66. *a.* 7. *ad* 3. * et clarius *q.* 68. *a.* 11. *ad* 4. *. s. Anton. *p.* 3. *tit.* 14. *c.* 13. *n.* 1. Si vero in aliis partibus minus principalibus ablui possit, et maxime si in solo pede, manu, aut digito; tunc tantum sub conditione est baptizandus, putantibus multis invalide baptizari; quia non verificatur simpliciter dici posse ablutum. Alii nihilominus affirmant absolute dici posse baptizatum, quia sicut homo in qualibet corporis parte vulneratus, dicitur absolute vulneratus; ita si in qualibet corporis parte abluatur, simpliciter ablutus dicendus est. Dian. *res.* 75. Pasq. *q.* 16. *n.* 5. * Superiori doctrinae ab Auctore traditae consonat rituale Romanum de baptizandis parvulis, cui consentit rituale sacramentorum a card. Sanctorio jussu Gregorii XIII. Romae edito, nec non instructiones s. Caroli *actor. pag.* 4. §. *Si vero foetus.* *

R. III. Filii abortivi, si non constet mortuos esse, sunt sub conditione baptizandi. Quamvis igitur diu viguerit Aristotelica opinio masculos non animari anima rationali, nisi post quadraginta dies a conceptione, et foemellas post octoginta; jam ab aliquo tempore non sine plausu recepta est opinio, ab initio conceptionis foetum anima rationali informari, et ex virili generatione statim concipi hominem, non brutum. Videatur p. Hieronymus Florentinius nostrae congregationis non exiguum decus, in suo percelebri opere, cui

titulus; *de baptismo abortivorum etc.* Ex hac igitur non sine fundamento a pluribus opinione recepta, sequens formatur ratiocinium. Probabile saltem est ab initio conceptionis foetum anima rationali informari, si autem est probabile, foetus est sub conditione baptizandus; cum Christus sacramenta instituerit in remedium animae, et aliunde apposita conditione consulatur reverentiae sacramenti. Triplicem autem accidere potest aliquando apponendam esse conditionem, nempe: *Si es capax baptismi: si non obstent secundinae* (dum secundinis esset involutus) *si es vivus*, (dum dubitetur, an foetus sit vivus, vel mortuus) *ego te baptizo etc.* • Quod probabilis sit p. Florentinii opinio, statim ab initiu conceptionis foetum anima rationali informari, id evincit, quod eam approbarunt, et honorificentissimis verbis amplexatae sunt doctissimae universitates theologicae et medicae, nec non multi eximiique doctores, ut videri potest in eodem opere Lugduni edito an. 1674. Florentinii opinionis sectator fuit Maximilianus Deza ejusdem nostrae congregationis ornamentum in opusculo una cum apologia Francisci Verde edito, et a Carden. *in tract.* 1. *de probabilit d.* 14. *cap.* 3. non sine honore memorato, ubi inter alia haec habet: *Si Dei vicarius* (Paulus V.) *in rituali Romano baptizari praecipit foetum, si vivat, si vitalem indicet motum: solere autem moveri praecipuis membris circa tertium diem jam non tam suadetur, quam ostenditur; eritne trigesimus dies expectandus nobis, ut de baptismo deliberemus?* De his duobus nostris theologis, nec non de p. Constantino Roncaglia summis laudibus meminit Franciscus Emmanuel Cangiamila in embryologia sacra Panormi edita an. 1745. •

Q. V. Quando baptismus possit iterari.

R, I. Certum est baptismum absolute iterari non posse, ut docent omnes catholici, et saepe ita definivit ecclesia, ac novissime Tridentinum *sess.* 7. *can.* 11. Hujus autem veritatis plures congruentias affert d. Thom. *p.* 3. *q.* 66. *a.* 9. quia scilicet baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, seu nativitas: sicut autem homo semel nascitur, ita semel spiritualiter nasci debebat. Item cum per baptismum imprimatur character, quo Christo consignamur, et ad ejus corpus mysticum pertinemus; sicuti character indelebilis est, et repeti non potest, ita neque baptismus. Denique quia baptismus institutus est ad delendum peccatum originale, et sicut hoc peccatum semel ablatum iterum non contrahitur, ita nec ejus remedium est repetendum. Item certum est

baptismum nec esse sub conditione repetendum, si prudenter non dubitetur de ipsius invaliditate; convincitur etenim non curare de reverentia sacramenti, qui illud absque rationabili repetit motivo, ut dixi in superiori tractatu, et communiter docent theologi, sicut etiam catechismus *de bapt.* §. 57. et s. Carolus in *instruct. bapt.*

* Ex quibus infertur grave sacrilegium admittere illum, qui sine prudenti ac probabili dubio baptismum repetit, etiamsi adhibeat conditionem. De poena irregularitatis, qua innodatur ille, qui sacramentum reiterare praesumit, vide dicta superius *tract. 4. de censur. quaes. 7. cap. 4.* Hic addere placet, quod si attendantur rationes directe, dicendum videretur ex Benedicto XIV. *de syn. dioeces. lib. 7. c.* 6. §. 3. et *instit. eccles.* 84. non effugere irregularitatis poenam illum, qui ob solum apprehensum prioris baptismi vitium, et nulla veritatis indagatione praemissa, illum denuo conferret, licet sub conditione. Ita expresse docet ob auctoritatem catech. Roman. *p.* 2. *de sacram. bapt.* et s. Caroli *actor. eccles. Medirlan. p. 4. de sacram. bapt.* et s. Congreg. conc. *in Tudert. baptismi die* 17. *Nov.* 1685 Nihilominus cum conditio dicatur suspensam tenere actionem, irregularitatem non subire probabile est; si autem probabile est, in eamdem certe non incidit, cum dubia reddatur. *

R. II. Semper cum prudenter dubitari potest de valore baptismi collati, iterum est sub conditione iterandus, nam tunc ita faciendum est ob praecavendum periculum animarum; et alias non potest dici irreverenter se habere erga sacramentum qui illud repetit, eo quia prudenter dubitat, an valide fuerit collatum. Hinc semper repetendus est sub conditione, si baptismus collatus fuerit sub forma, de qua lis sit inter DD. an sit valida, sicut et in quocumque casu, in quo non conveniant DD. in affirmando baptismum esse validum: ac demum dum prudenter dubitatur, an aliquis fuerit baptizatus.

Quoad haec primo dubitatur quoad baptismum collatum ab obstetricibus. Et quidem magis communiter docent theologi, quod si obstetrices reperiantur convenienter instrutcae, et sint probatae vitae baptismus non esset repetendus, si forte non reperiantur in aliquo errasse * Leand. *de sacrament. baptism: disp.* 3. *quaest.* 45. *et* 46. Laym. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. * Ita etiam vult catechismus *de bapt.* §. 57. et s. Carolus *in instruct. bapt.* Nihilominus non desunt theologi, quibus placet, hos pueros esse sub conditione rebaptizandos; quia semper timeri potest subito casu pertubatas in forma

errasse, ut saepe accidit; tum quia cum lingua vulgari soleant baptizare, facillime pro ly *nel nome*, dicunt *col nome*. Pro iterando autem sacramento tantae necessitatis, qualis est baptismus, non videntur exposci tantae rationes de ejus valore dubitandi, sicut pro iterandis caeteris sacramentis. Leander *de bapt. d.* 3. *q.* 45. et alii apud ipsum. Secundo dubium oritur de filiis expositis; quamvis enim certum sit sub conditione esse baptizandos, si testimonium non habeant suscepti baptismi: *can. Parvulos et can. Placuit de consecr. d.* 4. communior temen opinio vult non esse baptizandos, si tale habeant testimonium. Nihilominus non desunt qui huic opinioni refragentur: cum etenim ignoretur an schedula sit personae fide dignae; semper remanet aliquale dubium, an infans vere fuerit baptizatus, et si fuit baptizatus, an hoc factum fuerit modo, de quo dubitari non possit fuisse validum, cum tales infantes soleant a mulierculis baptizari; adeoque cum semper dubium aliquale ramaneat, et agatur de sacram. indispensabilis necessitatis quoad parvulos, videtur posse sub conditione iterari, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* Salmant. *de sacr. tr.* 2. *cap.* 6. *p.* 4. *n.* 64. Leander *cit. q.* 44. et hanc opinionem ipse putat probabiliorem; * et hoc decisum fuisse a s. Congregatione concilii pro parvulis, qui deferuntur ad hospitale S. Spiritu in Saxia de Urbe *die* 15. *Januar.* 1724. testatur toties citatus Benedictus XIV. *instit. eccles.* 8. *n.* 8. *. Tertio dubitatur quoad adultum, qui dubitat an fuerit baptizatus. At dicendum est, quod si dubium sit juris; quia scilicet lis est inter DD. an validus fuerit baptismus illi collatus utique est rebaptizandus, et interim antequam baptizetur, abstinere debet ab aliis sacramentis. Gab. a. s. Vinc. *d.* 2. *q.* 2.

Si vero dubium sit facti; quia nempe dubitat, an vere fuerit baptizatus, tunc sub conditione est rebaptizandus, si ipsum dubium prudentibus fundamentis nitatur; ut si non constet de baptismo, et aliunde comperiat parentes fuisse veneficos, vel infideles, quamvis externe se gesserint ut christianos; seu si comperiat obstetricem, a qua dicitur baptizatus, fuisse veneficam: *can. Solemnitate* 1. *d.* 1. *de consecr. can. Parvulos can. Cum itaque d.* 4. *ibid.* Non vero est rebaptizandus, si natus sit de christianis parentibus, et inter christianos fideliter conversatus *cap. Veniens de presbyt. non baptiz.* Atque ita decisum credo quoad adultos; quia si forte non fuissent baptizati, possunt sibi providere per baptismum desiderii, et eliciendo actus perfectae contritionis.

Regulae in praxi observandae.

I. Cum parochus ex vi sui officii edocere debeat obstetrices modum baptizandi pueros instante necessitate, sicut etiam monet catechismus *p.* 2. *cap.* 2. §. 34. videat quantum deficiat in suo munere, si illas non instruat de obligatione baptizandi sub conditione pueros, quamvis in utero matris existentes, si aliquo modo ablui possint, de modo illos absolute, vel sub conditione baptizandi, si nondum perfecte sint nati, de obligatione baptizandi sub conditione foetus abortivos, vel absolute, si transierint quadraginta dies a conceptione. Quot foetus abortivos ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina, quorum anima, si baptismate non fraudaretur, Deum in aeternum videret, et corpus licet informe esset decentius tumulandum? Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit hanc expellere ignorantiam? nonne parochis? Meminisse quoque debet parochus obstetrices edocendas de baptismo monstris conferendo, juxta ea, quae dixi supra; ne, si forte accidat aliquod monstrum nasci, et instet mors, ignorent omnino quid agere debeant.

* Inter ea quae obstetrices pro recta sui muneris executione scire, et parochi eas docere debent, accensenda sunt sequentia. Primo si instet mortis periculum, et infans nulla sui corporis parte ex utero matris in lucem prodierit, potest et debet obstetrix, si aliquo instrumento mediante, aqua ad infantem immitti possit, eumdem baptizare, duplici adhibita conditione, prout superius traditum est; si nempe sit capax, nec obstent secundinae. Quod possit in eo casu, clare evincit sententia probabilis multorum theologorum docentium, baptismum sic collatum valere, apud Benedictum XIV. *loc. supra cit. de syn. dioec. cap.* 5. Quod vero non modo possit, sed etiam debeat, suadet infantis gravissima necessitas, quam reparandam charitas exposcit. Cum vero quamplures theologi aliter sentiant; et ob id supradicta sententia non sit certa, ideo adhibenda duplex conditio, ut sacramenti reverentiae, et infantis aeternae saluti consulatur. Quod si infans post baptismum ita collatum ex utero prodeat, denuo erit sub conditione baptizandus. Ita Benedict. XIV. *loc. cit.* §. 6. *Ad parochos pertinebit, obstetrices instruere, ut cum casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum, mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit baptizandus, si periculum evadat, et foras prodeat quemadmodum post*

alios faciendum monet Tournely in praelect. de sacram. baptismi q. 3. *art.* 3. Secundo si infans caput emiserit, nullum dubium est, absolute baptizandum esse, nec ei baptismum denuo conferendum. Et quamquam multi DD. hoc idem asserant de pectore, de scapulis, nihilominus aliis id negantibus aliquod dubium remanet, unde in iis etiam, et multo magis in pede, in manu et in aliis partibus non erit praetermittenda conditio, et reiterandus baptismus sub conditione, quando infans vivus evaserit, praesertim, cum non sit alienum a rituali Romano; ait enim loc. cit.: *Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus*. Quod et d. Th. docere videtur *p.* 3. *q.* 68. *art.* 11. *ad* 5. *Quia tamen*, inquit, *in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quaqumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* *

* Quoad vero sententiam illorum theologorum, quibus placet infantes domi ab obstetricibus baptizatos, vel expositos esse denuo sub conditione baptizandos, dicendum mihi videtur non esse passim, neque sine maturo examine in praxim deducendam; nisi enim clare, vel certe probabili, prudentique fundamento constaret eos non esse rite baptizatos, non effugeret peccati mortalis reatum, qui illum etiam sub conditione adjecta repeteret, et eorum doctrinam quamvis excuset Holzmann *in theolog. moral. t.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. *art.* 2. ex eo quia illis dubius visus fuerit baptismus ab obstetricibus collatus, fatetur tamen nimium indefinite loquutos. Propterea parochi, antequam ad baptismi repetitionem deveniant, diligenter interrogent obstetrices de materia, de forma, et de intentione, et si omnia legitime edoctas, et omnia ab eis rite peracta inveniant, a baptismo denuo repetendo omnino abstineant, oportet. Videatur Bened. XIV. *de synod. dioeces. lib.* 7. *cap.* 6. §. 2. *et instit. eccles.* 4. qui post Sotum *in* 4. *sent. dist.* 3. *q. unic. art.* 9. Estius *in* 4. *sent. dist.* 4. §. 15. fuse et clare probat non esse baptismum iterandum neque sub conditione ob levem aliquam suscipionem contrariam, sed requiri probabilem dubitationem, quae ea est, cum facta diligenti indagatione discuti

non potuit. Videantur insuper catechismus Romanus *de sacram. bapt. p.* 2. *n.* 57. et acta eccles. Mediolanens. p. 4. Hoc idem praestari debet cum expositis infantibus, si enim baptismi recepti schedulam vel collo, vel alibi appensam deferant firmatam manu personae cognitae et fidei dignae, licet singularis, non est eis baptismus iterum conferendus, neque sub conditione: in sacris enim canonibus per unicum testem fide dignum satis probata habetur baptismi collatio: *can. Parvulos* 110. *can. Cum itaque* 112. *de consecrat. dist.* 4. *et* gloss. *in cap. Nuper de testibus*, ibique Barbos. aliique interpretes. Vid. thesaur. resolut. sac. concil. Congregat. *tom.* 3. *p.* 2. Hinc factum est, ut in sinod. Lucens. *ann.* 1736. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. jubeatur parochis, quod si infantibus exponendis baptismum ministraverint, schedulam apud ipsos ponant suo nomine et cognomine firmatam; et de baptismo collato certam fidem facientem cum nomine infantis et susceptorum, suppresso nomine matris. *

* Dictum est superius ministrandum sub conditione baptismum abortivis, si non constet esse mortuos. Sed advertendum eos in duplici esse genere. Aliqui non solum primariis membris, sed etiam toto corpusculo completi nascuntur: hi si vitae indicium motu praebent, absolute baptizari debent, si motum non praeseferunt, at nihilominus non corrupti, aut laceri, aut conquisi, quamvis lividi, sine pulsu, aut respiratione haud certe mortui judicandi: saepe enim accidit, ut deliquium immane passi post aliquot horas vitae signa non indubia dent. Alii autem non completi sunt, et iis post summam adhibitam diligentiam in investigando utrum vita gaudeant, sub conditione ministrandum baptismum, etiamsi imperfectissime efformati sint. Quomodo autem dignoscendum an tam primi, quam secundi vivant? Manus capiti imponatur, ubi fons pulsatilis reperitur, et arteriae valde emicant, vel sinistrae parti pectoris circa cor, vel temporibus, vel umbilico, et si pulsatio percipitur, certe vivi declarandi, si non sentiatur pulsatio, nec respiratio, nec sensus ostendatur, attamen absint putrefactio, aliaque indubia mortis signa, mors non erit certa, ideoque baptismus sub conditione conferendus. *

II S. Carolus *in instruct. baptis*, vult parochum admonere debere parentes, et ipsorum domesticos de Deo assidue deprecando, ut foetus incolumes ad baptismi gratiam possint pervenire; atque id multo magis faciendum esse ab eadem muliere praegnante, dum instat tempus pariendi. Subdit

parochum curare, debere, ut si forte mulier moriatur, omni cautione aperiatur illius uterus, ut extrahi possit infans, et baptizari, si mortuus non fuerit. Et quidem si in nulla re, in hac maxime diligentissimi esse deberent parochi; cum agatur de succurrendo proximo extrema spirituali necessitate laboranti, adeoque nullis etiam parcere debent impensis, maxime si parentes inopia laborent.

* Defunctae matris sectionem utpote saevam, aque inutilem reprobarunt Paraeus, Guillemaes, Ronfilcius, aliique apud Benedictum XIV. *de sinod. dioeces. lib.* 11. *cap.* 7. §. 12. asserentes fieri non posse, ut foetus vel uno temporis momento post matris mortem vivat. Nihilominus eam expresse praecipit rituale Romanum *tit.* 7. *de bapt. parvul.* §. 3. Hanc syn. Coloniens. *ann.* 1280. Lingoniens. *ann.* 1404. Hanc non jus tantum canonicum, sed civile decernit *l. Post humus ff. de inoffic. testam. l. Si ego ff. de publican. l. Aniculus et l. Etiam ea de verbor. significat.* *

* Tantae autem sunt pariendi difficultates, tot pericula quae puerulos nascituros circumstant, ut non raro eveniat, non posse omnino in lucem edi nisi dissecto matris viventis ventre. Ab hac sectione, quae vulgo caesarea dicitur, omnes fere veteres abhorrebant, quia ipsis parum fauste contingeret, unde major theologorum pars cum Soto, Sa, praegnantes mulieres ab ea excusabant. Cum vero lapsu temporis hodierna chirurgorum peritia matrem simul, et foetum liberari posse patefecit, hinc est quod a non spernendo theologorum recentiorum numero ad eamdem sectionem substinendam praegnantes mulieres adstringatur, ubi de procuranda spirituali foetus vita agitur, nec aliud superest remedium, nec propter virium debilitatem, ac mali vim incisioni substinendae impares reperiantur. Qui plura hac de re desiderat, adeat Theophilum Raynaudum in tractatu *de ort. infant. per sectionem caesaream*, Franciscum Emmanuelem Cangiamila *in embryologia sacra Panormi edita ann.* 1745. qui paucis delibatis de baptismo abortivorum multa congerunt argumenta, rationes, et exempla a theologorum, ac medicorum dictis excerpta ad sectionis caesareae utilitatem ac necessitatem probandam. *

CAPUT V.

De effectibus baptismi; et de dispositionibus, quae requiruntur in subjecto hujus sacramenti

Q. I. Quot sint effectus baptismi.

R. Fides catholica docet per sacramentum baptismi rite susceptum nedum remitti peccatum originale, sed etiam omnia peccata actualia, si quis adultus baptizetur, sicut omnem poenam debitam iisdem peccatis. Ita ex perpetua traditione significant illa scripturarum oracula, quibus dicimur baptizari in remissionem peccatorum, ablui, sanctificari, mundari ab omnibus inquinamentis etc. Quapropter haec veritas definita fuit in concilio Florentino,* et in Trident. *sess.* 5. *can.* 5.* At quia non possumus dici justificati et sanctificati, nisi in nobis sit aliquid quo justificemur, sicuti paries non dicitur albus, nisi in eo sit albedo, hinc est hanc justificationem et sanctificationem fieri per infusionem gratiae sanctificantis, quae est habitus supernaturalis intrinsece inhaerens animae, quo expellitur peccatum. Hanc autem gratiam comitantur virtutes supernaturales et dona Spiritus Sancti. Trid. *sess.* 6. *cap.* 7. Intuitu etiam hujus sacramenti altera gratia confertur, quae, ut dixi tractatu praecedenti *cap.* 2. vocatur *sacramentalis*, et consistit in auxiliis correspondentibus spirituali regenerationi et adeptae innocentiae, quibus proinde homo adimplere possit omnia, ad quae se obligavit ratione baptismi. Quamvis autem baptismus praestet omnes supradictos effectus, non tamen removet fomitem concupiscentiae aliasque poenalitates, quae ex peccato originali derivantur, sed removebuntur in resurrectione virtute hujus sacramenti.* Intelligendae sunt poenalitates vitae praesentis contractae ex vitiatae naturae conditione.* d. Th. *part.* 3. *q.* 69. *art.* 3. Id autem docet s. Doctor putandum esse ex triplici causa Christum voluisse. Primo quia cum per baptismum fiat homo membrum Christi, conveniens erat ipsi assimilari, adeoque in eo perseverare corporis fragilitatem, et subjici doloribus et morti. Secundo quia haec patienter tolerando, et concupiscentiae resistendo, quamplurimum possumus mereri. Tertio quia si baptismus nos liberasset a vitae incommodis, fortasse homines potius accessissent ad baptismum ob assequenda commoda temporalia, quam vitam aeternam. Addi potest ex his poenalitatibus praeberi occasionem respuendi terrena, et

amandi coelestia. Jam antea etiam notaverat *p.* 68. *ar.* 1. *ad* 2. per solum baptismum in voto non ita removeri poenam debitam peccatis, ut decedens post talem baptismum statim assequatur vitam aeternam. * Notandum tamen cum eodem d. Thom. *p.* 3. *q* 68. *art.* 5. *ad* 3. *et q.* 69. *art.* 2. *ad* 3. per baptismum non liberari hominem ab eo poenarum genere, quae legibus civilibus imponuntur, neque a servitute civili. neque ab obligatione satisfaciendi proximo pro injuriis, aut damnis illatis. *

Alter baptismi effectus est imprimere characterem, ut habetur *cap. Majores de bapt.* ex Florent. *in decr. union. et* ex Trid. *sess.* 7. *can.* 9. Hic character, ut dictum est etiam in praecedenti tractatu, indelebiliter imprimitur in anima, reddit nos de familia Christi, et facit capaces caeterorum sacramentorum; quapropter baptismus dicitur janua omnium sacramentorum, ut observat s. Th. *p.* 3. *q.* 63. *art.* 3.

Q. II. Quae dispositiones requirantur ad baptismum suscipiendum.

R. De his dispositionibus satis egi in superiori tractatu cap. 5. Breviter igitur dicam, in adulto ad valide baptismum recipiendum, necessarium esse aliquando habuisse intentionem illum recipiendi, et nunquam retractasse. Ut vero recipiat gratiam baptismo correspondentem, necessarius in eo est dolor supernaturalis de peccatis commissis, et bene observat s. Th. *p.* 3. *q.* 69. *ar.* 8. adultum eo majorem consequi gratiam, quo magis disponitur ad illum suscipiendum. Si vero sine praefato dolore adultus, qui actualiter peccavit, baptizetur, solummodo recipit characterem, quamvis recedente fictione, obice nempe peccati, baptismus ratione impressi characteris producat suos effectus. * Notandum ulterius adultos propter dispositionum inaequalitatem, quam afferunt, inaequalem etiam gratiam recipere. Idem s. Doctor. *q.* 69. *art.* 8. *in c.* *

CAPUT VI.

De caeremoniis baptismi

Q. I. Quare ecclesia requirat patrinos, qui puerum in baptismo suscipiant; et quales esse debeant.

R. I. Ideo ecclesia adhibet patrinos, qui puerum in baptismo suscipiant, ut fidem illius nomine profiteantur, et promittant fideliter adimplere quas vice ipsius suscipiunt obligationes: *can. Vos ante de consec. d.* 4. Observat autem

s. Th. *p.* 3. *q.* 67. *a.* 7. quod sicut puer recenter natus indiget nutrice et poedagogo; ita spiritualiter regeneratus indiget aliquo, qui fungatur vice nutricis et poedagogi, informando et instruendo eum, quasi nutritium in fide de his, quae pertinent ad fidem et vitam christianam. Tam autem aliqui putant necessarium esse in baptismo solemni patrinum adhibere, ut credant peccare mortaliter, qui id omittit; cum videatur illis omitti caeremonia gravis ab ecclesia instituta. Tamb. *de bapt. c.* 4. *num.* 2. * Hanc sententiam docent Palaus *tr.* 19. *p.* 11. §. 1. *n.* 1. Tournel. Continuat. *de baptismo c.* 6. et alii apud La Croix *l.* 6. *p.* 1. *n.* 348. *et seq.**

R. II. Nemo valide assumitur in patrinum, si non attigerit usum rationis, quia alias non posset habere intentionem se gerendi ut patrem spiritualem. Porro sine hac intentione se gerendi ut patrinum, nemo proprie dicitur patrinus, ut docent communiter theologi. Item nemo est patrinus, si non tangat infantem, dum ministratur baptismus, vel saltem si non statim ac est baptizatus, illum de sacro fonte suscipiat. Item non est valide patrinus, qui non est baptizatus; et idem non pauci DD. asserunt de non confirmato, et colligitur ex can. *In bapt. de consec.* junct. gloss. * Etsi revera ex hoc canone et gloss. erui non posse videatur necessitas confirmationis in patrino baptismi, cum in eo solum adstruatur necessitas baptismi in patrino baptismi, et confirmationis in patrino confirmationis; ibi: *In baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus;* et tenet Barbos. *in d. cap. et de offic. et potest paroch. c.* 18. *n.* 27. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 60. *n.* 18. *et seqq.* Pont. *de impedim. matrim. lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 5. Laym. *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 2. attamen maxime convenit, si commode fieri potest, patrinum baptismi esse confirmatum. Ita ex rituali Roman. *de patrinis* docent communius doctores; et certe in dioecesi nostra Lucensi stricte hoc praecipitur in ultima synodo Fabii Collored. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 9. *. Item non sunt vere patrini, qui non sunt designati a parentibus, iisque non designantibus, a parocho, ut colligunt DD. ex Tridentino *sess.* 24. *c.* 2.

R. III. Illicite admittuntur ad officium patrini haeretici, publice excommunicati, aut interdicti, publici peccatores, aut infames, qui non sunt sanae mentis, qui ignorant fidei rudimenta: neque enim hi possunt propriam obligationem, si opus fuerit, adimplere, instruendi nempe baptizatum; et

juste etiam praesumi potest alios non instructuros, qui fuerunt negligentes in addiscendis, quae ipsi pro sua salute scire debebant. Ritual. *de sacram. bapt.* Neque ad hoc munus admittendi sunt peregrini, et hospites alibi habentes domicilium; isti etenim, si necessitas expostularet, non possent infantem instruere. s. Carol. *act. p. 2. in decr. 2. syn. decr.* 16. Item illicite monachi ad munus patrini admittuntur: can. *Non licet abbati,* * can. *Monach. de consecrat. d.* 4. *et can. Placuit* 8. *caus.* 16. *q.* 1. *; et quamvis sub hac prohibitione doceant non pauci tehologi non esse comprehensos alios religiosos Mendicantes; nihilominus a rituali Romano ab hoc munere repelluntur *cujusvis ordinis Regulares a saeculo segregati.* Atque id convenientissime factum est, ne scilicet occasione cognationis spiritualis frequenter agant cum laicis, et praecipue mulieribus. * Videantur Barbos. *in d. cap. et de offic. paroch. p.* 2. *cap.* 18. *n.* 31. ubi plures affert, et sequitur Laym. *l. c. n.* 3. Sanch. *l. c. n.* 21. et ob hanc supradictam rationem solet communiter hoc officium regularibus omnibus prohiberi in synodis provincialibus, nec non dioecesanis, ut est in nostra Lucensi *l. cit. n.* 9. Ad quod tamen assumi possunt clerici seculares solum de licentia episcopi, vel vicarii generalis; excipiunt tamen communiter regularem episcopum effectum *. Hac ratione s. Car. *syn.* 2. *d.* 17. prohibuit quoscumque clericos suae dioecesis sacris ordinibus initiatos ab exercendo munere patrini. Demum illicite admittuntur in patrinos plures quam unus, vel ad summum unus et una; ita etenim jussit Tridentinum *ses.* 24. *de reform. matr. c.* 2. Immo adhaererem illis theologis, qui asserunt peccare graviter parochum admittentem plures quam duos, quia non videtur frangere praeceptum Tridentini in re levi; cum ita praescripserit, quia ex multiplicitate patrinorum oriebantur plura inconvenientia ratione cognationis spiritualis, quae contrahitur: * Barbos. *l. c. n.* 26. *et de potest. episc. pag.* 2. *alleg.* 30. *n.* 44. Bonacc. *de sacram. matrim. q.* 3. *punct.* 5. §. 2. *n.* 32. contra Sanch. *lib.* 7. *disp.* 57. *n.* 6. Continuat. Tourn. *l. c. q.* 4. *. De hac autem cognatione agam in tractatu de sacramento matrimonii (1).

(1) Brevi: exclusi a patrini officio comprehenduntur hisce versibus:

Baptismo, fama, ratione, fideque carentes,
Censura affecti, monachi, quibus adde parentes,

Q. II. Quae sint caeremoniae praecedentes baptismum.

R. Primo offertur baptizandus ante fores ecclesiae, ut cognoscatur nondum esse dignum, ut more fidelium domum Dei ingrediatur, antequam Christo fuerit addictus: s. Carol. *in instruct. bapt.* Secundo imponitur nomen baptizandi ad significandum addici divino servitio: et ita Adam demonstravit dominium sibi concessum, quando nomen imposuit animantibus: s. Carol. *act. p.* 4. * Nomen hoc imponi desumptum ex sanctorum catalogo quam aequum sit, videri potest ap. s. Joan. Crisostomum *hom.* 21. *in Genes. n.* 3. *nomina tribuamus filiis baptizandis sanctorum virorum, qui virtutibus fulserunt, plurimaque ad Deum gratia valuerunt.* Idque valde commendat catech. conc. Trid. *p.* 2. *tit. de bapt. n.* 75. * Tertio interrogatur baptizandus quid petat ab ecclesia Dei, et instruitur circa mysteria fidei, respondentibus patrinis pro infante; Christus etenim dixit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Quarto adhibentur exorcismi verbo et trina exsufflatione ad significandum baptizandum ratione peccati esse diaboli subditum: can. *Sicut nostis de consecr. d.* 4. qui proinde pellitur exorcismis, ejusque contemptus in exsufflatione demonstratur. Quinto signo crucis signatur baptizandus in fronte et in corde, *ut ab eo tempore ipse apostata diabolus, ut in vase suo pristino suae interemptionis cognoscens signaculum, jam sibi deinceps illud sciat esse alienum*, ut dicitur *can. Postea de consecr. d.* 4. Addi potest his crucis signis denotantibus Christi passionem, baptizandum veluti concipi a s. matre ecclesia, perfecte exinde per baptismum nasciturum, ut observat s. Aug. *ser.* 2. *de symb. fid. ad cath. c.* 1. Sexto sacerdos fusis orationibus imponit manum capiti baptizandi, ad denotandum eum esse victimam per baptismum Christo consecrandam. Septimo porrigitur sal benedictum a baptizando gustandum, ut sciamus omnia nostra opera conspergenda esse sale sapientiae coelestis, ac a putredine peccatorum debere esse remota: can. *Ex hinc*, can. *Sal coelestis d.* 4. *de consecr.* Octavo liniuntur saliva aures et nares baptizandi, ad significandum virtute divina, quae denotatur tactu et saliva sacerdotis, baptizandum percipere debere odorem notitiae Dei, et aures debere habere intentas ad audienda Dei mandata: can. *Postea tanguntur de consecr. dist.* 4.

Q. III. Quae sint caeremoniae comitantes baptismum.

R. Baptizandus ad fontem baptismi perductus, primo ter interrogatur, an abrenunciet satanae, omnibus operibus

ejus, et omnibus pompis ejus; et ter respondetur *abrenuntio*. Hac autem abrenunciatione, ut docent ss. PP. christianus non solum renuntiavit idololatriae; sed etiam omni ei, quod habet rationem mali. Secundo obsignantur oleo catechumenorum pectus et scapulae baptizandi. Haec unctio denotat baptizatos, tamquam Christi athletas, debere contra inimicos salutis fortiter dimicare. Item cum oleum Dei gratiam et misericordiam significet, innuitur dari baptizatis gratiam ex solis Christi meritis et gratuita Dei misericordia. Praeterea cum oleum sit species medicamenti, hac unctione demonstratur per baptismum animae nostrae vulnera curari, debilitari fomitem, et robur dari adversus tentationes. Item unctio in pectore significat corroborari animam, et in scapulis vires dari ad jugum Christi portandum. Demum unctio ante et retro facta designat undique baptizatum muniri, et confirmari, ad praestanda bona opera corde et corpore, voluntate et opere. Haec omnia tradit s. Carolus *in instruct. bapt.* Tertio baptizandus interrogatus de summis fidei capitibus respondet *credo*: atque hic ritus significat fidem esse dispositionem necessariam ad recipiendum baptismum. Quarto interrogatur baptizandus, an velit baptizari; nam *Dominus neminem ad suorum numerum, nisi voluntarium militem adscribi voluit* ait catechismus.

Q. IV. Quae sint caeremoniae consequentes baptismum.

R. Absoluto baptismo sacerdos ungit chrismate verticem baptizati. Hic ritus, ut tradunt catechismus, et s. Carolus *act. p. 4. de caerem. bapt.* significat baptizatum *Christo capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re christianum a Christo, Christum a chrismate appellari*. Docet autem s. Th. *p.* 3. *q.* 71. *a.* 3. *ad* 4. hanc caeremoniam operari conservationem gratiae baptismalis ex fide et pietate ecclesiae. Deinde induitur baptizatus veste candida, seu aliquid candidum super illum ponitur, ad designandum liberum esse ab involucris peccatorum, et induisse alba innocentiae velamina; ut tradit s. Ambros. *lib. de initiand. c.* 7. Demum traditur baptizato, seu patrino cereus ardens, tum ad denotandum ipsi verae fidei lumen fuisse communicatum: tum ad significandum debere ubique bonorum operum splendorem diffundere, ac in iis usque ad mortem perseverare; ut ita ardente charitatis lucerna sponso obviam ire possit. S. Carolus *act. p. 4. de caerem. bapt.* considerat in hoc cereo tres virtutes theologales; fidem nempe in lumine, charitatem in calore, et spem, quae sursum ascendit, in cereo erecto.

Regulae in praxi observandae

I. Tam catechismus *p.* 1. *in explic. symb. n.* 18. quam s. Carolus *p.* 4. optant parochos diligentes esse in rememorando populis promissa, quae in baptismo fecerunt, et solemnem abrenunciationem factam in facie ecclesiae, qua sathanae ejusque pompis omnibus renunciarunt. Sumere ex hoc debent argumentum contra peccatores, quia nempe si ex vi solius baptismi, quo se Deo devoverunt, deberent tanquam illius mancipia ipsi in omnibus deservire, multo magis criminosum erit mundi et diaboli praeceptis vivere, postquam Dei leges ejusque voluntatem cognoverunt, ac sacramentorum gratiam perceperunt. Iniquum omnino esse omnia, quae Dei sunt, et quae adimplere in baptismo promiserunt, laboriosa reputare; quae vero mundi, carnis et sathanae, quibus omnino renunciarunt, facilia. Pessimum demum esse ita se gerere, quasi in baptismo mundo et diabolo, non Christo Domino ac Redemptori nostro nomen dedissemus. * S. Bernardus *serm.* 24. *in cantic.* et s. Agustinus *de symbolo* multa afferunt, quae pro hujusmodi adhortationibus mirifice faciunt. *

II. Deberet unusquisque confessarius monere poenitentem, ut specialibus devotionis operibus diem suscepti baptismi quot annis recoleret, ac peculiariter promissa Deo in ipso suscipiendo facta renovaret. Et quidem quae dies pro nobis magis fausta, ea qua ingressi sumus in ecclesiam, ac in numero ovium ipsius ac supremi caelestis pastoris fuimus recensiti? Solemnis est apud principes dies, qua regnum adepti sunt: nobis fortasse etiam ignota est dies, qua per gratiam baptismi regenerati jus ad regnum aeternum adepti sumus; nec tanti ineffabilisque beneficii ullas supremo largitori grates rependimus.

* Doceant parochi esse contra debitam legibus ecclesiasticis obedientiam nimium et sine urgenti rationabili causa protrahere infantem ad ecclesiam deferre, ut sacri ritus aliaeque caeremoniae in collatione baptismi domi facta omissae suppleantur, multoque gravius eas omnino ommittere, ideoque suos parochianos adhortentur, ut quam cito fieri potest; omisso omni vano ac inutili dilationis praetextu, infantulos suos domi batptizatos ad ecclesiam deferendos curent, ut per sacras illas caeremonias baptismus compleatur; non enim sine gravi peccato negliguntur tanti ponderis ritus, et ad reverentiam sacramento conciliandam valde necessarii. Videantur AA. ap. Romaguerr. *ad synod. Gerundens. lib* 3. *tit.* 18. *cap.* 2. *n.* 10. Benedictus XIV. *constit.* 89. *Inter omnigenas* §. 19. *t.* 1. *bullar p.* 306. *

QUAESTIO II.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

Regeneratis per baptismum, et non statim e mundo exeuntibus *inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est*, ut dicitur can. *Spir. S. de consecr. dist.* 5. quapropter postquam in baptismo regenerati sumus ad vitam, post baptismum confirmari necesse habemus ad pugnam. Id autem fit sacramento confirmationis, quod etiam nuncupatur *manus impositio* ex modo, quo confertur, *chrisma* ratione materiae, ac denique *confirmatio*; quia hujus sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod baptismo operari coepit, nosque ad Christum soliditatis perfectione adducit, ait catechismus *de sacr. confirm.* §. 18.

CAPUT I.

Quid sit confirmatio; quae ipsius materia et forma

Q. I. An confirmatio sit sacramentum: et a quo fuerit institutum.

R. Cum plene constet ecclesiam semper credidisse confirmationem unum esse ex septem sacramentis, hanc veritatem etiam definivit Tridentinum *sess.* 7. *can.* 1. *et* 2. Hoc autem sacramentum potest definiri: *Confirmatio est sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur ab episcopo cum chrismate sub praescripta forma verborum.*

Q. II. An Christus Dominus instituerit sacramentum confirmationis.

R. Omnino respuitur quorumdam antiquorum opinio, qui putarunt confirmationem post tempora Apostolorum initium habuisse; solius etenim Dei est dare rebus materialibus virtutem gratiae producendae. Ulterius; ut dictum est de sacramentis in *genere cap.* 2. cum Christus venerit, ut nos a jugo peccati liberaret; idque praestare voluerit per sacramentorum institutionem, non est verosimile aliis demandasse aliquod sacramentum instituere; unde Tridentinum *sess.* 7. *can.* 1. definit sacramenta novae legis fuisse a Jesu Christo instituta. Quoad tempus autem institutionis probabilius est

post resurrectionem perfecte instituisse; sicut enim perfecte creditur collata Apostolis potestas sacerdotalis et episcopalis, quando, ut dicitur Jo. 20. post resurrectionem illis contulit Christus potestatem dimittendi et retinendi peccata, ita post collatam hanc plenam potestatem et plene institutum sacramentum poenitentiae, credere est fuisse institutum sacramentum confirmationis per potestatem episcopalem administrandum. Caeterum non erat administrandum ante Christi ascensionem ut enim ait s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 1. in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus S. quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem.

* Alexander Alensis *q.* 9. *membr.* 1. s. Bonaventura *in* 4. *sent. dist.* 7. *art.* 1. *q.* 1. olim tenuerunt post mortem Apostolorum in concilio Meldensi institutum sacramentum confirmationis. Sed eorum opinio nullo fundamento nititur. Videatur Jo. Laur. Berti *de thelog. discipl. lib.* 32. *cap.* 3. De tempore vero, quo contigit ejus institutio, tot adinveniuntur adversae sententiae, ut nihil certi in re tam obscura neque per Dei verbum scriptum aut traditum, neque per Romanorum pontificum aut conciliorum decreta possit afferri. Verum sententiam supradictam Auctoris nostri docuerunt Estius *in* 4. *sent. dist.* 7. §. 4. Suarez, Henriqez, Layman, cui adhaerere videtur Benedictus XIV. *instit. eccl.* 6. Qui de hac re plura desiderat, adeat Witasse *de confirmat. q.* 1. *art.* 3. *tom.* 7. *

Q. III. Quae sit materia confirmationis.

R. In quaesitis dogmaticis de ss. ecclesiae sacramentis *tr.* 2. *cap.* 2. dixi ex impositione manuum et chrismatione, tanquam ex duplici materia inaedequata constitui materiam totalem sacramenti confirmationis, ita ut dum episcopus frontem inungit, non solum considerari debeat chrismatio tanquam materia hujus sacramenti, sed etiam ipsa applicatio manus episcopi, qua chrismate inungit frontem confirmandi. Et quidem cum frequentes sint PP. in affirmando impositionem manus pertinere ad materiam hujus sacramenti, pariterque mentionem faciant chrismationis, et quidem non tanquam ritus post Apostolos introducti, ex ibidem dictis necesarium duxi affirmare et manus impositionem et chrismationem esse materiam hujus sacramenti. Et quamvis s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 2. *et* 4. putet Apostolos ex singulari privilegio manus impositione hoc contulisse sacramentum, nihilominus non cogimur illi assentiri; cum manus impositio, qua dicuntur Apostoli contulisse confirmationem, non excludat chrismationem. Ne-

que contrarium affirmarunt Innoc. III. *c. Cum venisset de sacr. unct.* et Eugenius IV. *in decr. Armenor.* ubi dicunt loco manus impositionis dari in ecclesia confirmationem; dicendum etenim est cum Bellarmino *l.* 2. *de sacr. confirm. cap.* 9. *Innocentium et Eugenium non velle dicere chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non uterentur chrismate, et nos non utamur impositione manus: sed velle dicere id ipsum, quod apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc episcopos, cum dicuntur confirmare, vel chrismare: Distinguitur enim in his locis non ritus a ritu sed modus loquendi a modo loquendi, et persona a personis: et denique illa particularis impositio manuum ab ista, quae modo est: si quidem tunc communiter dicebatur hoc sacramentum impositio manus, nunc dicitur confirmatio.*

* Satis quidem conveniunt theologi tum dogmatici, cum morales in asserenda necessitate impositionis manuum una cum chrismate pro materia totali sacramenti confirmationis, quam adstruunt tum ex scripturis, tum ex ss. PP., nec non ex variis multorum conciliorum decretis, quae omnia fuse asserunt Berti *loc. cit. cap.* 4. et Tournely *de confirmat. q.* 1. *art.* 2. *et* 3. Dissentiunt vero valde inter se in assignando, quae sit ista impositio manuum; duplex enim haec est in hoc sacramento. Prima, ea manuum expansio, et extensio, quam facit episcopus versus confirmandos, dum recitat orationem *Omnipotens*, antequam eos inungat: pontific. Roman. *p.* 1. *tit. de confirmad.* Altera in ipsa ungendi actione includitur. Thomas igitur Valdensis *tom.* 2. *de sacram. cap.* 113. Bellarm. *de confirm. lib.* 2. *cap.* 9. Petrus de Marca *in not. ad concil. Claromont. can.* 28. Menardus *in notis ad lib. sacr. d. Gregor. M.* Tuornel. *l. c. art.* 3. et alii apud Berti *loc. cit.* de hac postrema docent; alii e contra, neque pauci, neque rerum vetustarum imperiti tradunt priorem manuum impositionem ita esse necessariam, ut ad confirmationis essentiam, et naturam pertineat. Du-Hamel *theol. specul. et pract. t.* 2. *lib.* 2. *diss.* 2. *c.* 1. *et* 3. Sambov. *de confirm. disput.* 3. *art.* 2. Sirmond. *tom.* 4. *antirrhet.* 2. *cap.* 7. quae sententia si non sit certa, saltem probabilis est, propter graves rationes ab illis auctoribus allatas, et propter eorum auctoritatem. Ex quo infertur saltem dubium fieri confirmationis sacramentum sine supradicta manuum expansione, et oratione collatum et susceptum. *

Q. IV. Ex quibus constare debeat chrisma, quo confertur confirmatio; an debeat esse ab episcopo benedictum; et in qua corporis parte fieri debeat chrismatio.

R. I. Chrisma constare debet ex oleo olivarum et balsamo. Ita ex perpetua ecclesiae traditione communiter docent theologi cum s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 2. Item docent cum eodem s. Doctore *art.* 3. necessarium esse, ut chrisma sit ab episcopo benedictum, quod et definivit Innoc. III. relatus *cap. Presbyteris de consecr. d.* 4. et Eugenius IV. *in decr. pro instruct. Armen.* Hujus autem necessariae benedictionis congruentiam assignat s. Thom. observando non benedici materiam baptismi et eucharestiae; quia hae materiae reputantur sanctificatae ex Christi contactu; dum scilicet et ipse in Jordane aqua voluit baptizari, et accepit panem, dum eucharistiam instituit. Cum vero nunquam usus fuerit visibilibus unctionibus, oportebat tam chrisma, quam oleum infirmorum benedici, antequam adhibeantur ad usum sacramenti.

* De necessitate episcopalis benedictionis chrismatis pro confirmationis sacramento adhibendae diserte agit Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 7. *cap.* 8. nec non *constit.* 10. *Cum ad infrascriptam*, *bullar. t.* 1. *p.* 28. *constit.* 30. *Anno vertente*, *ejusd. bullar. t.* 3. ubi licet potestatem faciat P. Guardiano s. Sepulcri ordinis Minorum de observantia, et praefecto missionum Ægypti in absentia alicujus Latini episcopi confirmationis sacramentum conferendi, omnino tamen jubet eos adhibere chrisma ab episcopo sedis apostolicae communionem et gratiam habente consecratum. *

Placet autem hic etiam adnotare convenientiam quae est inter confirmationem, ejusque materiam. Primo igitur manus impositione designatur tum divina virtus, qua confirmatus donatur adversus fidei hostes, tum descensus Sp. S. illum illuminantis; haec etenim ex s. Scriptura significat manus impositio. Secundo ut observat s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 2. per oleum designatur gratia sacramenti, et ita in s. Scriptura Christus dicitur unctus oleo laetitiae propter plenitudinem Spiritus S. quam habuit. Fragrantia vero odoris, quam diffundit balsamum, significat hominem virtute hujus sacramenti roboratum, debere diffundere odorem sanctorum operum in aedificationem fidelium.

R. II. Inunctio chrismatis facienda est in fronte, ut tradit s. August. *in ps.* 141. s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 9. Eugenius IV. *in decr. union.* Frontis autem inunctione demonstratur confirmatum tanquam militem Christi debere signum sui ducis praeseferre, nec erubescere ipsius nomen confiteri; frons enim sedes est verecundiae. Item untio fieri debet in forma crucis, alias non corresponderet formae, qua dicitur: *Signo te signo crucis*, atque ita communiter docent theologi.

Q. V. Quando materia hujus sacrmenti sit dubia.

R. Solum oleum benedictum esset materia dubia hujus sacramenti; nam quamvis magis communiter doceant theologi non esse materiam sufficientem hujus sacramenti, nihilominus non desunt qui asserant balsamum non esse materiam necessariam confirmationis, sed solum de necessitate praecepti: Cajet. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 3. Gabr. a *s.* Vinc. *disp.* 2. *quaest.* 1. et alii. Pariter esset materia dubia chrisma benedictum a simplici sacerdote ex summi Pontificis dispensatione; nam magis communiter docent theologi in hoc dispensare non posse: d. Anton. *p.* 3. *tit.* 14. *c.* 14. §. 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 1. Barbos. *de potest. eps. p.* 2. *alleg.* 30. *num.* 6. * Posse a summo Pontifice simplici sacerdoti conficiendi, et consecrandi chrisma potestatem tribui affirmant Cajet. *in p.* 3. *d. Th. q.* 72. *art.* 3. card. de Laur. *in* 4. *sent. disp.* 2. *art.* 3. et hujusmodi facultatis attributae exempla, etsi paucissima, et fortasse dubia afferuntur ab eod. Benedicto *loc. cit. de synod. dioeces.* Verum cum semper tributa reperiatur facultas simplici sacerdoti ministrandi confirmationem sub hac expressa conditione utendi chrismate ab episcopo consecrato, insuetum foret hac praerogativa simplicem sacerdotem insignire. * Chrisma vetus illicite quidem ad confirmationem conferendam adhiberetur; quia extat praeceptum, ut chrismate illo anno consecrato conferatur: can. *Si quis de consec. d.* 4. at sacramentum esset validum: d. Anton. *loc. cit.* Bonac. *de sacr. d.* 3. *q. unic. p.* 2. * Veteris chrismatis adhibendi facultatem permisit idem Benedictus XIV. supradictis Guardiano et Praefecto missionum Ægypti, quoties ea sit episcopi in Ecclesiae catholicae communione existentis distantia, vel aliud impedimentum intercedat, ut ab eo novum accipere nequeant. Vid. *loc. superius citat. et instit. eccles.* 81. *n.* 4. *. Dubia esset materia hujus sacramenti, si chrismatio non fieret immediate manu episcopi, sed mediante aliquo instrumento; quia quampluribus videtur unctionem ipsa manu esse faciendam, aliis vero id non esse necessarium, sed satis verificari: si fiat aliquo instrumento: Barbos. *p.* 2. *de potest. episc. alleg.* 30. *n.* 25. et alii apud ipsum. * Quod debeat fieri inunctio manu, et pollice episcopi non solum de necessitate praecepti, sed etiam de necessitate sacramenti, ità ut irritum sit, si fiat medio aliquo instrumento, probabilius tenent Suar. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 3. *in fin.* Barbos. *loc. cit.*, quem sequuntur Laym. Clericatus, La Croix apud Benedictum XIV. *de*

synod. lib. 13. *cap.* 19. *n.* 15. cui adstipulatur Cont. Tournely *de confirm. t.* 5. *cap.* 3. *art.* 2. *circ. fin.* *. Quamvis autem communiter doceant theologi validum esse hoc sacramentum vel inunctio fiat pollice manus dexterae episcopi, vel alio digito; nam semper verificatur fieri per manus episcopi, ut cum aliis observat Barbosa *loco citato*, nihilominus omnes asserunt quod id illicite fieret, quamvis aliqui in hoc non agnoscant, nisi culpam levem: Gabr. a s. Vinc. *d.* 2. *q.* 3. Dian. *t.* 1. *tr.* 2. *resol.* 7.

Q. VI. Quae sit forma sacramenti confirmationis, et quando sit dubia.

R. Forma sacramenti confirmationis traditur etiam ab Eugenio IV. *in decreto pro instruct. Armenor.* et constat his verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Convenientiam hujus formae explicat s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *art.* 8. observando illa verba: *Signo te signo crucis*, indicare signum, quod habere debet, qui christianae militiae nomen dedit. Illis verbis: *confirmo te* demonstratur robur, quod est effectus hujus sacramenti. Dum vero exprimitur SS. Trinitas, explicatur causa principalis, quae in hoc sacramento confert plenitudinem roboris spiritualis. Si in forma omittatur ly *signo te*, sacramentum erit nullum, saltem quia non designaretur subjectum sacramenti. Palaus *tr.* 20. *p.* 5. *n.* 4. Salmant. *hic c.* 1. *p.* 3. *a n.* 38. Quod si dicatur *signo te etc.* et omittatur *confirmo te*, sacramentum erit dubium, volentibus aliquibus, non obstante tali omissione, sacramentum esse validum; quia ly *signo te* sufficienter explicat effectum sacramenti, ac determinat subjectum. Gab. a S. Vinc. *d.* 2. *q.* 4. §. 2. aliis communius negantibus, quia non videtur sufficienter exprimi effectus sacramenti. Dubium pariter esset sacramentum, si omittatur *chrismate salutis*; nam ex una parte reputatur validum; quia per ly *confirmo* videtur sufficienter exprimi effectus sacramenti, qui est gratia dans robur ad nomen Christi fortiter confitendum: Gab. a S. Vinc. *cit.* E contra vero aliis non videtur sufficienter exprimi. Salmant. *cit. n.* 42. Fere autem communiter omnes docent expressionem SS. Trinitatis necessariam esse ad valorem hujus sacramenti; nam cum conferatur ad fortiter fidem profitendam, videtur necessarium exprimere primum credibile et fidei principium, quod est Trinitas divinarum Personarum. s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 4. Salmant. *tr.* 3. *c.* 2. *p.* 3. *n.* 34. Placuit autem adnotare, quando

dubitari possit de valore materiae et formae hujus sacramenti, ut iteretur sub conditione, si aliquando accideret ejus valorem esse dubium.

Haec dicta sint juxta communiter receptam opinionem theologorum et canonistarum. Caeterum non desunt qui asserunt materiam et formam essentialem hujus sacramenti esse impositionem Manuum episcopi et orationem, quae additur huic manuum impositioni; formam vero supra explicatam esse tantummodo accidentalem. Quod fundamentum habeat praefata opinio, innui in quaesitis dogmaticis *de ss. eccles. sacram. tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. Et quidem si forma supra explicata, esset pure accidentalis, facilius conciliari posset, quare Graeci formam a Latinis diversam adhibeant; nam apud ipsos in his solis verbis consistit: *Signaculum donationis Spiritus S.* ecclesia autem, quamvis saepe Graecorum ritus examinaverit, numquam hanc formam improbavit.

* Theologi superius allati, qui materiam confirmationis necessariam in distincta illa ab unctione manuum impositione simul cum ipsa unctione reponunt, ii quoque formam una cum supradictis verbis in citata oratione *Omnipotens* reponunt, et statuunt eam esse necessariam, nec supradicto Eugenio decreto suam sententiam labefactari assentiunt; respondent enim ab Eugenio assignatam esse materiam et formam, qua sacramentum efficitur integrum, vel partem tantum, cum alia Armenis esset cognita, vel illud decretum, quod affertur tamquam concilii Florentini editum fuisse concilio jam soluto. Videantur Bellarm. *lib.* 1. *de sacram. ord. cap.* 9. Becan. *p.* 3. *q.* 4. *cap.* 26. Du-Hamel *l.* 2 *de sacram. dissert.* 2. *cap.* 3. *

Regula in praxi observanda

* Stante supradicta theologorum et quidem gravium et multorum probabili opinione de necessitate prioris manuum impositionis, factum est ut multi episcopi hac cautela utantur, ait Habert *de confirmat. lib.* 5. *cap.* 3. §. 1. nimirum confirmandi in varios ordines distribuuntur, ita ut integer confirmationis ritus circa eos qui sunt primi ordinis expleatur: tum iis recedentibus repetatur oratio cum manuum extensione, et reliquo ritu super eos qui sunt secundi ordinis, et sic deinceps. Parochus itaque, ut in percipiendo sacramento periculum ne irritum ac nullum sit, pendente dubio inter theologos, omnino vitetur, instruat tum confirmandos, tum

eos, quibus illos comitandi cura est, ne accedant, si forte absentes esse contigerit, quando initio ritus episcopus manus extendens versus confirmandos, orat, et Spiritum Sanctum super eos invocat. *

CAPUT II.

De ministro confirmationis, ejusque subjecto; et de ipsius effectibus, ac caeremoniis quibus confertur

Q. I. Quis sit minister confirmationis.

R. I. Ordinarius minister confirmationis est solus episcopus. Hanc veritatem definivit etiam Tridentinum *de confirmat. sess.* 7. *can.* 3.* Quod etiam definitum jam erat a concilio Constantiensi in damnatione errorum Wiclefi, et ab Eugenio IV. *in decret. instruct. ad Armenos.** Congruenter autem id probat s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *art.* 11. observanda quod sicut ultima consummatio operis fieri solet a supremo artifice, ita cum sacramentum confirmationis sit ultima consummatio sacramenti baptismi; homo etenim per baptismum in templum Spiritus S. aedificatus, per confirmationem, ut ita dicamus, dedicatur: hinc est non per simplicem sacerdotem, sed per episcopum esse confirmandum.

Quia episcopus est minister ordinarius confirmationis, graviter peccaret, si diu differret confirmare suos subditos; quia illos magno beneficio, ad quod ex officio tenetur, privaret. Bonac. *de sacr. d.* 3. *q. unic. p.* 2. *n.* 2.* Barbos. *de potest. episc. alleg.* 30. *n.* 9. Tolet. *instruct. sacerd. lib.* 5. *cap.* 4. Suar. *in p.* 3. *d. Thom. disp.* 38. *sect.* 2. qui omnes docent, episcopum tunc peccare, cum negligenter diu differret confirmationis sacramentum conferre.* Ulterius animadvertere debet, quod cum ad ministrandum hoc sacramentum necessaria sit jurisdictio, non potest episcopus in propria dioecesi alienos subditos sine licentia proprii episcopi confirmare, et si id faciat, graviter peccat. Barbos. *de potest. episc. p.* 2. *alleg.* 30. *n.* 15.* Quod hic tradit Barbosa, intelligit de episcopo suos subditos in alterius dioecesi confirmante, et pontificales actus exercente, sine licentia episcopi dioecesani, cui sub poena suspensionis ab usu pontificalium vetitum est a Trident. *sess.* 6. *de reformat. cap.* 5. Bene quidem ex multorum DD. auctoritate *n.* 14. Auctoris nostri sententiam amplectitur.* Videtur tamen ex eodem *n.* 14. semper posse praesumi; quod admitterem semper cum ad ita praesumendum movere possit titulus amicitiae, consuetudinis etc.

R. II. Minister extraordinarius confirmationis potest esse simplex sacerdos, dum nempe a summo pontifice minister confirmationis constituatur. Id probatur, quia de facto aliquando summi pontifices constituerunt simplices sacerdotes confirmationis ministros, ut dicit etiam Eugenius IV. *in decr. pro instruct. Armenor.* nec ecclesia unquam improbavit Graecorum praxim, qua etiam simplicibus sacerdotibus conceditur administrare confirmationem.

* Quod summus pontifex ex suprema sua potestate possit simplici sacerdoti facultatem demandare, ut confirmationis sacramentum conferat, ultra pene innumeros DD. relatos a Barbos. *l. c. n.* 4. et a Benedicto XIV. *de synod. dioeces. lib.* 7. *c.* 7. *n.* 4. testatur idemmet Pontifex *n.* 5. *et* 6. privilegium concessum a s. Gregorio Magno Calaritanis presbyteris relat. *can. Pervenit dist.* 95. et a Nicolao IV. a Joanne XXII. Urbano V. Eugenio IV. Leone X. Adriano VI. nonnullis fratribus Minoribus, et a Sixto V. et a Benedicto XIII. abbatibus montis Casini, nec non a Clemente XI. et recenter a Benedicto XIV. P. guardiano s. Sepulchri, et praefecto missionum Ægypti. An autem possit sicut summus pontifex, ita episcopus simplici presbytero facultatem demandare sacramentum confirmationis ministrandi. Ad hoc inter tot, tamque varias pro utraque parte, et quidem magni ponderis rationes, a multis DD. allatas ap. eumd. Benedictum *l. c. n.* 3. *et seq.* et Laur. Berti *lib.* 32. *cap.* 7. respondendum duco cum eodem Benedicto, irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero Latino ex sola episcopi delegatione collata; cum sedes apostolica hoc jus sibi unice reservaverit, quam reservationem non tantum tacite inductam, sed expresse factam a Nicolao I. *epist.* 70. *ad Hincmarum* traditur a Benedicto XIV. *l. c. nu.* 6. qua posita, nec licite, nec valide potest episcopus facultatem simplici presbytero tribuere, nec consuetudine introduci potest haec jurisdictio, ut habetur *cap. Quarto de consuetudine.* * (1).

Q. II. Quodnam sit subjectum confirmationis, et quae sit necessitas hujus sacramenti.

R. I. Omnis homo baptizatus capax est hujus sacramenti. Oportet igitur hominem esse baptizatum; nam sine baptismo

(1) An Papa simplici sacerdoti possit delegare Chrismatis consecrationem, utrinque ab AA. propugnatur. Affirmativam tenent cum scotistis Mastrius *in Theol. mor.* Card. de Lauraea *de sacram. confir. d.* 2. *a.* 3. Gobat. Negativam tenent Gouinc. Palaus 4. *t.* 20. *p.* 2. *n.* 7. quorum rationes videri possunt apud Jo ann. Cleric. *de confir. decis.* 54. *n.* 10.

non reciperetur valide, et ideo baptismus dicitur janua sacramentorum. Praeterea cum ratione confirmationis homo in vita christiana adolescat, consequens est debere supponere in subjecto eamdem vitam jam habitam per baptismum. Caeterum quamvis antiquitus confirmarentur infantes statim post baptismum, sicut adhuc fit apud Orientales, nihilominus apud nos haec praxis non amplius est in usu. Immutata ergo fuit, et solum confirmantur adulti, tum quia accedente ipsorum fide et recta dispositione majorem ex confirmatione possunt recipere gratiam; tum quia ita minus est periculi, ut hoc sacramentum iteretur. * Videatur catechismus Roman. cap. 3. *Si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit.* Consuli etiam possunt synodi Coloniensis sub Paulo III. Mediolanensis I. sub Pio IV. et aliae quamplures, quarum meminit Natal. Alexand. *lib. 2. theol. dogm. et moral. cap. 4. reg.* 8. et Martene *de antiquit. eccl. ritib. lib. 1. cap. 2. art. 1. n.* 6. * Non expedit tamen illud longo tempore differre, quia dignius recipitur, dum adhuc baptismi gratia conservatur; sicut etiam quia virtute illius homo a peccatis praeservatur. Caeterum puero in extremis degente (idem dicas de stulto a nativitate) conferri posset hoc sacramentum; aucta etenim illius virtute gratia in baptismo assequuta majorem etiam gloriam consequeretur. s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *ar.* 8. *ad* 2. Conferendum etiam adulto moribundo et non confirmato, si id commodum esset episcopo, ut monet etiam conc. Mediolan. V. sub s. Carolo *p.* 1. ubi agit de hoc sacramento. * Id praestans episcopus adeo non est reprehendendus, ut laudem hinc potius magnam mereatur, ait ex s. Thom. Du-Hamel *tract. de sacram. confirmat. dissert.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. Berti *loc. cit. cap.* 8. *num.* 4. et Benedictus XIV. *loc. cit. cap.* 10. *

R. II. Communiter docent theologi non extare modo praeceptum recipiendi hoc sacramentum; et s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *ar.* 1. *ad* 3. docet sine confirmatione posse esse salutem, dum ex contemptu non praetermittatur. Caeterum valde dubitari posset contemnere hoc sacramentum illos, qui data opportunitate illud suscipiendi, omnino id facere negligerent; cum detur tunc locus suspicandi non ex mero torpore, sed quia parvi aestimant, omittere. Potest etiam committi grave peccatum ratione scandali, dum alii viderent aliquem, data opportunitate, de hoc sacramento non curare. Laym. *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 4. * Videatur Berti *l. c. n.* 10. qui affert Scotum ita de hoc sacramento scribentem *in* 4. *sent. dist.* 7.

q. 2. *Est tamen necessarium adulto sic ut non contemnat; judicaretur enim contemptus; si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur.* *

Q. III. Qui sint effectus confirmationis; et quae dispositiones requirantur in ipsius subjecto.

R. I. Confirmatio imprimit characterem, quo designatur confirmatum Christi militem factum esse. Ita semper tenuit, ac docuit ecclesia, et docet s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 5. * Quod et concilium Trident. *sess.* 7. *de sacram. in gen. can.* 9. tanquam fidei dogma decrevit *; ac proinde hoc sacramentum iterari non potest. * Si quis vero confirmationem iterum reciperet, aut conferret, plurimorum DD. sententia non fieret irregularis, ut dictum est superius de baptismo; quia irregularitas contrahitur in casibus a jure expressis *cap. Is qui de sent. excom. in* 6. Sylv. *in p.* 3. *d. Th. q.* 72. *art* 5. Scot. Sot. apud eumdem, Covarr. Valent. Suar. et alii ap. Barb. *de pot. ep. all.* 30. *n.* 30. * Auget gratiam sanctificantem; ejusque gratia peculiaris, sive sacramentalis est conferre robur adversus fidei hostes, quam gratiam explicans Eugenius IV. *in decr. union.* ita ait: *Effectus hujus sacramenti est, quod in eo datur Spiritus S. ad robur, sicut datus est Apostolis in die pentecostes, ut scilicet christianus audacter confiteatur nomen Christi.*

R. II. Cum hoc sacramentum sit unum ex sacramentis vivorum; qui vult eum recipere, debet esse in gratia; alias augmentum hujus sacramenti virtute non consequeretur. Verum tamen est, quod sublato obice effectus sacramenti consequeretur in vi saltem characteris, qui imprimitur, quamvis in peccato mortali suscipiatur, dummodo suscipiens habuerit saltem intentionem habitualem illud suscipiendi. Modo autem non amplius in usu est confirmationem recipi a jejunis, ut praecipiebatur *cap. Ut jejuni de consecr. d.* 5. * Pontific. Rom. *tit.* 1. §. 7. synod. Benevent. sub card. Orsini postea Benedicto XIII. *tit.* 36. *cap.* 11. conc. Rom. sub eodem Benedicto *tit.* 26. *cap.* 4. et tandem Benedictus XIV. dum Bononiensi ecclesiae praeerat *instit. eccl.* 6. *n.* 5. summopere exoptare fatentur et ad hoc valde adhortantur, ut confirmandi jejuni accedant, et ob hoc se paratos in mane confirmationem conferre testantur. *

Q. IV. Quae caeremoniae adhibendae sint in conferenda confirmatione.

R. Constat ex ss. canonibus ecclesiam voluisse adhibendos esse patrinos in conferenda confirmatione, adeoque non

posse id sine gravi culpa omitti: *can. Si quis filiastrum, can. De his* 30. *q.* 1. *can. Si quis ex uno* 30. *q.* 4. * Clarius quidem in catechismo ex *cap. Non plures, ex cap. In baptismate de consecrat. d.* 4. * adeoque non posse id sine gravi culpa omitti. * Barbos. *de potest. episc. alleg.* 30. *n.* 33. Ledesm. *de confirm. cap. ult. concl.* 2. * Hujus caeremoniae congruentias assignat s. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a.* 10. quia nempe conveniens erat confirmatum habere a quo de modo pugnandi adversus spirituales hostes instrueretur: sicut etiam quod demonstraret ante confirmationem non ita esse roboratum, ut adsistentia non indigeret. Circa patrinos autem confirmationis attendenda sunt ea omnia, quae dixi de patrino baptismi. Insuper patrinus confirmationis alius debet esse a patrino baptismi: cap. *In catechismo de consecrat. dist.* 4. Barbos. *l.* c. *n.* 51. Quampluribus tamen non videtur id ita stricte prohiberi, ut sit peccatum grave, si patrinus baptismi sit etiam patrinus confirmationis; et nullum utique erit peccatum si ita exposcat necessitas. Item in confirmatione unus tantum patrinus debet admitti: cap. *Non plures de consecr. dist.* 5. *et c. fin. de cognat. spirit.* Sed et hoc praeceptum frangere non pauci putant esse solummodo peccatum leve, cum non videatur esse de re gravi, vel nullum; siquidem ecclesia admittit in baptismo duos patrinos diversi sexus. Sanch. *de matr. l.* 7. *d.* 57. *n.* 9. * Licet Sanchez cum aliis putet praeceptum istud esse de re levi. Barbosa tamen *l. c. n.* 44. cum aliis putat esse de re gravi; cum ex ejus violatione multiplicentur cognationes matrimonium dirimentes, et ideo peccati gravis transgressionem notat. * Demum ex pontificali Romano habetur nec masculos foeminis, nec foeminas masculis gerere debere munus patrini, neque unum debere esse patrinum plurium, quorum tamen transgressio putant theologi non esse grave peccatum. * Haec omnia habentur expresse in synod. Luc. Fabii Colloredo *p.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. * De cognatione spirirituali, quae contrahitur ratione hujus sacramenti, agam suo loco in tractatu sacramenti matrimonii.

Insuper episcopus impingit alapam confirmato, ut sciat victoriam militis Christi elucere in patiendis injuriis, at hanc caeremoniam omittere non esset peccatum. Anton. a Sp. S. *d.* 1. *sect.* 7. *n.* 40. Tambur. *hic c.* 2. §. 2. Impertitur etiam pacem confirmato, ut intelligat assequutum esse plenitudinem gratiae coelestis, et pacem quae esuperat omnem hominem, ait catechismus. Addi potest addiscere debere

ex tolerantia malorum derivare aeternam pacem in coelesti beatitudine. Demum vitta linea circumligatur frons confirmati, ne profanetur sacrum chrisma, et ad innuendum diligenter esse conservandam adeptam gratiam. Post aliquas vero horas eadem fascia est comburenda, vel diligenter asservanda ob contractum chrismatis, ne ullatenus profanetur. Laym. *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 2. Expedit etiam aliquando mutare nomen confirmato, tunc nempe quando in baptismo illi non fuit impositum nomen alicujus sancti, ex cujus recordatione ad sancte vivendum incitaretur. Haec autem nominis mutatio deberet illi deservire ad novam vitam instituendam, si antea non ut christianum decebat, vixit; vel ad perfectius vivendum, ut notat concilium Mediolanense V.

Regulae in praxi observandae

S. Carolus *act. p.* 1. *tit. quae pertinent ad sacram confirm.* monet parochos, ut quoad fieri potest, inducant populos ad condignam hujus sacramenti aestimationem, ipsisque observare faciant ipsius ordinarium ministrum esse solum episcopum. Incitent subinde negligentes, ut ad illud suscipiendum accedat, et confessione peccatorum digni reddantur uberiori gratia hujus sacramenti. Optat insuper: *act. p. 4. de praepar. ante minister. sacram. confir.* parochos hortari confirmandos, ut ad hoc sacramentum jejuniis, eleemosyna, aliisque pietatis operibus se parent, et praecipue orationis studio, exemplo Apostolorum, qui erant perseverantes in oratione, dum Spiritum S. expectabant, et sicut loco supra citato suadet, ut a jejuniis recipiatur, si conferendum est in mane, ita hic desiderat, ut saltem pridie jejunent, qui die sequenti confirmandi sunt. Monet denique: *in instruct. ad hoc sacram. recip.* ut tam confirmandi sive mares sint, sive foeminae, quam patrini, et matrinae adhibeant vestitum simplicem et modestiae christianae omnino consonum, omni vano corporis et capitis ornatu deposito. Et re vera incongruum esset, ut qui in baptismo omnibus sathanae pompis solemniter renunciarunt, iisdem pompis ad sacramentum accederent, quod est veluti baptismi complementum. E contra vero redarguit, qui ad confirmationem accedit capillis incompositis, quibus pene frons tegatur. Ex his tanti praesulis monitis dignoscet parochus quomodo disponere, debeat suos parochianos ad confirmationem recipiendam; at praecipue nulli parcat labori, ut bene instru-

cti sint de effectibus hujus sacramenti, de dispositionibus ad illud suscipiendum necessariis, explicando pariter quid significent caeremoniae, quibus administratur, ut majori religione et pietate illud suscipiant. Memores etiam sint expedire ut habentes nomen profanum illud deponant, et assumant nomen alicujus sancti, ut vel ipso nomine agnoscant se esse christianos, et sanctorum vestigiis esse inhaerendum.

* Licet communior ecclesiae praxis nunc ferat, non confirmari pueros nisi post usum rationis adeptum; hoc est post septennium, quod et insinuatur in nostra ultima synodo Lucana *p.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. non desunt tamen causae et rationes, quibus liceat hoc sacramentum ministrare pueris ante illud tempus. Has causas enumerat Benedictus XIV. *de synod. dioec. lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 5. inter quas recenset diuturna episcopi a dioecesi absentia praevisa, vel difficilis accessus episcopi ad loca suae dioecesis nimis a civitate dissita. Haec animadvertant parochi praesertim rurales, quibus facilius haec causa obvenire potest, parentes, et domini, et si praeviderint, posse aliquid contingere, quod pueros suae paroeciae, filios et servos ad nimiam in posterum sacramenti confirmationis dilationem adducere cogat, cum opportunitas detur, eos ante septennium ad recipiendum exponant. *

* Quod maxime advertendum si agatur de adultis; licet enim omnes conveniant sacramentum hoc non esse de necessitate medii, neque extare de illo recipiendo praeceptum divinum, nisi tempore persecutionis fidei, quod nostri temporibus vix accidit, non desunt tamen theologi, et quidem celebriores, qui asserant debere quemque fidelem saltem ex ecclesiastico praecepto illud suscipere, quique tam parochos, parentes, tutores, dominos, qui suas oves, filios, servos non curant confirmandos, quam adultos ipsos, qui non solum ex contemptu, sed ex torpore, vel negligentia hoc sacramentum recipere omittunt, quotiescumque commode possunt, gravi culpa reos esse affirment. *Quorsum enim tantum sacramentum, ex quo tanta promanat spiritualis perfectio, Christus instituisset, si ad libitum omitti posset? Nonne est negligentia adeo notabilis, ut prope contemptus esse videatur, si quis per media ordinaria a Christo Domino instituta fidei robur, ac perfectionem adipisci possit, et ea prudens ac sciens omittat?* inquit Adnotat. *ad* Estium *in* 4. *sent. dist.* 7. §. 19. Videatur s. Thom. *l. c. et art.* 6.

ad 1. ubi docet saltem requiri votum hujus sacramenti suscipiendi ut quis ejus effectum consequatur, et *art.* 8. tradit hoc sacramentum omnibus exhibendum ea scilicet ratione, quia de intentione Dei est, omnia ad perfectionem producere. Legi quoque possunt *instit. eccles.* 6. Benedicti XIV. n. 10. *et constit. Et si pastoralis*, *bullar. t.* 1. §. 3. *n.* 4. *pag.* 167. ubi haec habet verba; *Monendi sunt ab ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere renuunt, aut negligunt;* ex quibus factum est, ut opinio, quae asserit non teneri fideles sub gravi confirmationis sacramentum recipere, multum suae probabilitatis amiserit. Tournely *de confirm. q.* 2. *art.* 2. ejusque Continuat. *de confirm. cap.* 8. et alii quamplures apud Laur. Berti *l. c. n.* 8. *et* 10. *

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

DE

SACR. EUCHARISTIÆ

E T

DE MISSÆ SACRIFICIO

Maximum omnium sacramentorum est Eucharistiae sacramentum, cum non solum in se contineat instrumentalem virtutem ad gratiam causandam, sed ipsummet gratiae Auctorem; quapropter quoad essentiam omnia alia supereminet. Secundum vero quosdam alios respectus, quaedam sacramenta hoc sacramento majora reputantur, quod explicatur in illis versibus:

Major in effectus baptismus, corpus in esse,
Conjugium signo majus, sed chrisma ministro.

At quia Eucharistia non solum rationem habet sacramenti, sed etiam sacrificii, ideo in hac prima quaestione de eo, ut est sacramentum, in sequenti de eodem, ut est sacrificium, disseremus.

QUAESTIO I.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM

CAPUT I.

De existentia, essentia, et unitate sacramenti eucharistiae; et de Christi praesentia in eodem sacramento

Q. I. An eucharistia sit proprie sacramentum; et ex quibus hoc sacramentum constituatur.

R. Ex perpetua ecclesiae traditione constat eucharistiam unum esse ex septem sacramentis, unde ita definitum fuit in.

concilio Lateranensi *cap. Firmiter de Sum. Trinit.* et in Florent. ac in Trident. *sess.* 13. *et sess.* 21. Item compertum est apud omnes catholicos institutum fuisse a Christo Domino in ultima coena, finita nempe caena legali et figurativa, in qua comedebatur agnus paschalis. Hoc autem sacramentum solet ita definiri: *Eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum.* Cum igitur de ratione sacramenti sit, esse signum rei sacrae a Deo institutum ad homines sanctificandos, hoc totum habetur in allata definitione; nam eucharistia dicitur a Christo instituta, et species panis et vini sunt signa corporis et sanguinis Christi, quae sub ipsis continentur ad animam spiritualiter nutriendam: unde Jo. 6. ait Christus Dominus: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Q. II. Quid proprie in eucharistia habeat rationem sacramenti.

R. Primo certum est eucharistiam non consistere in aliqua re transeunte, sicut alia sacramenta, quae consistunt in actione transeunte, qua applicantur forma et materia, et solum existunt dum conferuntur. Ita baptismus solum existit, quando fit ablutio, simulque ipsius forma pronunciatur. Sacramentum igitur eucharistiae est sacramentum permanens, adeoque in re permanenti consistens; ac proinde Tridentinum *sess.* 13. *can.* 4. damnat haereticos asserentes extra usum sacramenti non amplius perseverare in eucharistia corpus et sanguinem Christi.

Meo autem videri bene dicitur sacramentum eucharistiae importare et species sacramentales et corpus et sanguinem Christi, quae sub iis continentur. Ratio est quia hoc sacramentum est sensibile signum refectionis spiritualis; necesse proinde primo est illud ex speciebus constitui, alias non esset in eo aliquod signum immediate sensibile. At quia solae species satis indicare non possunt refectionem spiritualem, ideo dicendum est una cum speciebus eucharistiam constitui ex corpore et sanguine Christi; per haec etenim indicatur spiritualis refectio, cum Christus Jo. 6. dixerit: *Caro mea vere est cibus etc.* Nec refert corpus et sanguinem Christi non esse per se signum sensibile; nam sicut in sacramento poenitentiae contritio, quae est pars ipsius, non est per se sensibilis, sed fit sensibilis per confessionem peccatorum, ita potest esse in eucharistia aliqua sacramenti pars, quae per aliam sensibilis reddatur, nempe per species. Laym *de sacr. euch. cap.* 1. et alii apud ipsum.

Eo ipso quod dicatur corpus et sanguinem Christi una cum speciebus constituere eucharistiae sacramentum, bene explicatur quod dicitur *c. Cum Marthae de celebr. miss.* nempe in eucharistia aliquid esse, quod est sacramentum tantum, scilicet species eucharisticas: hae etenim sunt pars hujus sacramenti, et dicuntur sacramentum tantum, quia sunt tantum signum corporis et sanguinis Christi; nullo modo autem sunt res, quae hoc sacramento significantur. Aliud vero est in eucaristia, quod est simul *sacramentum et res*, nempe corpus et sanguis Christi Domini. Dicuntur sacramentum, quatenus, ut substant speciebus, significant spiritualem animae refectionem; atque ideo cum secundum hanc considerationem habeant rationem signi, sunt altera pars hujus sacramenti: quatenus vero significantur per species, sunt *res* sacramenti. Demum in eucharistia aliquid est, quod est *res*, *et non sacramentum*, nempe ipsa gratia, sive spiritualis refectio, quam habet anima ratione hujus sacramenti. Addendum quod dum asseritur eucharistiae sacramentum constare etiam ex corpore et sanguine Christi, statim intelligitur adorandum esse latria, ut definit Tridentinum *sess.* 13. *can.* 6.

Q. III. An sacramentum eucharistiae sit unum sacramentum.

R. Si loquamur de unitate non materiali, sed formali hujus sacramenti, dicendum est etiam ut consideratum, quatenus constat ex utraque specie, panis scilicet et vini, esse unum sacramentum. Ratio est, quia unitas formalis et specifica hujus sacramenti desumi debet ex unitate significationis, quae formaliter est una; tum quia unicam spiritualem refectionem animae significat; tum quia denotat unicum spirituale convivium, de cujus ratione non est solus cibus, sed etiam potus: d. Th. *p.* 3. *q.* 73. *a.* 1. Hac ratione plures hostiae, si simul sumantur, sunt unum sacramentum, siquidem omnes habent rationem unius spiritualis convivii. Si vero divisim sumantur, bene dici potest esse diversa sacramenta; quia verificatur fieri diversa spiritualia convivia.

Q. IV. An Christus Dominus sit in eucharistia; qua ratione, et quousque in ea perseveret.

R. I. Ex perpetuo ecclesiae consensu definivit Tridentinum *sess.* 13. *can.* 1. in eucaristia non contineri tantummodo Christum ut in signo, vel figura aut virtute, sed in ea contineri vere, realiter et substantialiter corpus et san-

nem una cum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum. Idem Concilium *can.* 3. damnat eos, qui asserebant totum Christum non contineri sub unaquaque specie, et singulis cujusque speciei partibus *separatione facta*. Addita sunt ea verba, *separatione facta*, quia variabant opiniones theologorum circa hanc quaestionem, an Christus esset sub qualibet specie hostiae integrae. Fatendum tamen est fere omnes theologos docere Christum in eucharistia esse sub qualibet parte hostiae etiam non divisae, ut docet s. Th. *p.* 3. *q.* 76. *a.* 3. Id autem explicat catechismus ex doctrina s. Thomae dicendo; Christum non esse in eucharistia neque ut parvum, neque ut magnum, seu per modum quantitatis dimensivae sed per modum substantiae; quia subtantia panis in Christi substantiam vertitur. Sicut ergo substantia aeque in parvo ac magno spatio reperitur; ita Christus in sacramento bene concipi potest sub qualibet hostiae parte: *pag.* 2. *de euch. sacr. n.* 42.

R. II. Actio, qua corpus Christi est in eucharistia, dicitur *transubstantiatio*, quae significat *per consecrationem panis et vini, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus*, ut habet Tridentinum *sess.* 13. *c.* 4. Eadem proinde virtute, qua substantiae panis et vini desinunt esse, substituuntur substantiae corporis et sanguinis Domini, adeoque idem Tridentinum *can.* anathema dicit asserentibus in eucharistia una cum corpore et sanguine Christi Domini substantiam panis et vini remanere. Quamvis autem de fide certum sit non amplius perseverare in eucharistia substantiam panis et vini, non est negandum remanere panis et vini species, seu accidentia, figuram nempe, colorem, odorem, saporem etc. atque ut ait s. Thom. *opusc.* 75. *Accidentia sine subjecto in sacramento existunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, et sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis*. Ex his igitur accidentibus fides nostra excitatur, qua docemur Christi corpus vere sub his accidentibus contineri.

R. III. Communiter omnes docent tamdiu Christum in eucharistia perseverare, quamdiu non sit in ipsis speciebus tanta mutatio, ut fieret corruptio, si substantia panis et vini ibi adesset: d. Th. *p.* 3. *q.* 77. *a.* 4. Hinc magis et minus Christus perseverat in iis, qui recipiunt eucharistiam

nam juxta majorem, vel minorem stomachi calorem acceleratur vel retardatur praedicta mutatio. Dignoscitur pariter non amplius esse sub speciebus corpus Christi, si ex illis vermes generentur: nam dignoscitur intervenisse corruptionem. Idem dicas, si vinum consecratum in acetum transierit. Quod si cum illo aliud vinum non consecratum, sed ejusdem quantitatis admisceatur, tunc non desinit sanguis Christi sub speciebus consecratis; quia in eo non intervenit substantialis mutatio. Non tamen sanguis Christi cum vino non consecrato admisceretur, quia licet in sacramento retineat quantitatem; non tamen est in illo per modum quantitatis, seu dimensionis, sed per modum substantiae. Si vero admisceatur vinum alterius qualitatis, ut vinum rubrum vino albo, quia tunc non intelligeretur perseverare idem numero vinum, quod fuit consecratum, fieret enim veluti unius tertii productio, ideo non amplius sanguis Christi sub vini speciebus perseveraret. Si vero in tam modica esset quantitate, ita ut non omnes species vini consecrati corrumperentur, sed solum aliquae, tunc desineret esse sanguis Christi sub illis speciebus, quae modicae quantitati vini alterius qualitatis admiscerentur, non vero sub aliis: s. Th. *p.* 3. *q.* 77. *a.* 8. * Videatur Auctor noster *in quaesit. dogmat. de sacramen. tr.* 4. *cap.* 1. Bell. Suar. ap Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 1. Continuat. Tournel. *de euch. p.* 1. qui *c.* 1. supradictas quaestiones fuse tractant. *

Regula in praxi observanda

Cum eucaristiae sacramentum sit omnium excellentissimum, utpote quod ipsum Christum gratiae auctorem continet, videat primo parochus, qua decentia ornare debeat tabernaculum, ubi SS. Christi corpus asservatur, et quam vigilare debeat, ne umquam lampas extinguatur, quae debet coram illo semper ardere. Nec desunt asserentes peccare graviter parochum, dum ex ipsius negligentia per integrum diem, aut noctem lumen ante venerabile sacramentum non ardeat. Item quia frequentia causare solet minorem reverentiam, attendant quam maxime parochus aliique ecclesiastici, ne ita se gerant in ecclesia, ut vel nimis loquendo, vel etiam ad risum verba incitantia proferendo, videantur non considerare esse in loco, ubi Christus vere et realiter praesens est in eucharistia: et si semper ab his debent abstinere, multo magis coram laicis, ne pravo suo exemplo ipsis scandalum praebeant. Videant etiam, ne omit-

tant religiosam genuflexionem, dum ante tabernaculum, in quo eucharistia asservatur, pertranseunt; nec contenti sint aliquantisper genuflectere, sed usque ad terram, ut ita etiam externe demonstrent eam; quam in corde retinent, erga tantum sacramentum reverentiam.

CAPUT II.

De materia eucharistiae

Q. I. Quae sit materia eucharistiae, et qua ratione dicatur materia hujus sacramenti.

R. I. Materia necessaria pro conficienda eucharistia est panis triticeus, et vinum ex vite. Constat id ex s. Scriptura, et satis est legere s. Matthaeum c. 26. ubi agens de eucharistiae institutione haec habet: *Caenantibus autem eis accepit Jesus panem etc.* Porro nomine panis absolute sumpti intelligitur communiter panis triticeus, unde ex perpetua traditione talem panem necessarium esse pro conficienda eucharistia semper docuit ecclesia, ut videre est ex concilio Lateranensi *cap. Firmiter*, et ex Florentino in decreto Eugenii §. *Tertium est sacramentum*. Et quia non datur panis usualis, nisi farinae triticeae aqua elementaris misceatur, et deinde calore ignis coctus evadat, hinc est omnia haec requiri ad materiam necessariam pro eucharistia conficienda. Demum Christus demonstravit alteram materiam pro eucharistia conficienda esse vinum ex vite; nam, ut dicitur *loco citato*, postquam accepit calicem, illumque dixit esse suum sanguinem, subdit: *Dico autem vobis*: *non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum etc.* Id propterea semper docuit ecclesia, ut constat ex conciliis Lateranensi et Florentino supra citatis.

R. II. Panis et vinum sunt materia, ex qua conficitur eucharistia, at non sunt pars componens hoc sacramentum. Cum igitur caetera sacramenta in usu consistant, materia et forma ipsorum sunt partes essentiales ipsorum; adeoque ordinantur ad conferendam gratiam sanctificantem. Cum vero eucharistia sit sacramentum permanens, non potest constare ex pane et vino et forma consecrationis; quia haec omnia definunt postquam factum est hoc sacramentum, adeoque nec possunt esse causae effectrices gratiae sanctificantis. Remanet proinde panem et vinum dici materiam eucharistiae non quia ex iis constet, sed quia ex eis conficitur. * Contra hanc catholicam veritatem varii fuerunt neque iidem

apud Novatores errores; qui eos scire vult consulat Continuat. Tournel. *l. c. cap.* 7. *art.* 1. Bellarm. *de sacram. euch. lib.* 4. *cap.* 1. *et seq.* *

Multas autem congruentias afferunt ss. PP. hujus institutionis panis et vini pro materia eucharistiae. Primo ita melius adimplebantur ipsius figurae; cum adumbratum fuerit hoc sacramentum in oblatione panis et vini facta a Melchisedech, ut dicitur Gen. 14. Secundo sicut pane et vino aluntur homines, ita bene ex eis designatur spiritualis alimonia, quam anima percipit ab hoc sacramento. Tertio cum hoc sacramentum sit commemorativum passionis Christi, ea designatur dum vinum seorsim a pane consecratur per hoc enim innuitur sanguinem Christi in ejus passione fuisse a corpore separatum. Quarto sicut panis eucharistiae constat ex multis granis, et vinum ex multis racemis, ita significatur ecclesiam ex multis hominibus constare. Alias omitto congruentias videndas apud auctores: * s. Thom. *p.* 3. *q.* 73. *art.* 5. Graff. *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 1. Bonacc. *de sacram. euch. disp.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 12. Salmant. *scholast. tr.* 23. *disp. proem. cap.* 3. *

Q. II. Quis sit panis et vinum, ex quibus valide, quamvis illicite, fiat eucharistia.

R. I. Valide conficitur eucharistia sive in pane azimo, sive fermentato, ut constat ex literis unionis ecclesiae Latinae et Graecae in ultima sessione concilii Florentini. Et ratio est, quia uterque proprie dicitur panis: d. Thom. *p.* 3. *q.* 74. *art.* 4. Nihilominus peccaret graviter sacerdos Latinus conficiens eucharistiam in pane fermentato, et Graecus in pane azimo; quia non solum in concilio Florentino dicitur unumquemque conficere debere corpus Domini *juxta suae ecclesiae, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem*, sed expresse etiam id praecepit s. Pius V. in sua constit. incip. *Providentia etc. bul. Rom. t.* 2. *p.* 192. revocans omnes licentias concessas Graecis celebrandi more Latino, et Latinis more Graeco. * Quod et praestitit Benedictus XIV. sua consit. 57. *Etsi pastoralis etc. bullar. tom.* 1. *pag.* 167. §. 6. qua districte prohibet, ne Latinus sacerdos Graeco, vel Grecus Latino ritu utatur in conficienda eucharistia sub poena perpetuae suspensionis a divinis, neque sub praetextu facultatis ab apostolica sede, vel ejus legatis, vel majori poenitentiario obtentae *. Tam grave autem reputatur hoc praeceptum, ut neque in necessitate administrandi viaticum liceat sacerdoti Latino in fermentato

consecrare; cum etenim ad ecclesiae majestatem et majorem sacrificii reverentiam valde conducat uniformiter observare ritus ecclesiae, id praevalere debet obligationi subministrandi, vel recipiendi viaticum, cum alias hoc sacramentum non sit absolutae necessitatis. Laym. *de euch. c.* 2. *n.* 4. et communiter. Non desunt tamen qui putant sacerdotem Latinum peregrinantem apud Graecos (idem e contra dicatur de sacerdote Graeco) posse in fermentato consecrare, si ibi non adsit ecclesia Latinorum, ea ducti ratione, quod licet peregrinis uti privilegiis locorum, in quibus versantur alii vero negant, tum quia id videtur prohibitum in constitutione citata s. Pii V. tum quia privilegium consecrandi in fermentato videtur personale Graecorum, unde eo uti non potest sacerdos Latinus, qui apud ipsos peregrinatur. Bene tamen illo uti posset, si apud eos figeret domicilium, et non haberet propriam ecclesiam; cum tunc non videatur praesumendum illi ab ecclesia prohibitum. Avers. *de euch. q.* 2. *sect.* 4.

* Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 99. Suar. Salmant. apud Giribald. *tr.* 4. *de euch. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 12. Barbos. *in cap. Literas de celebr. miss.* olim docuerunt sacerdoti Latino apud Graecos peregrinanti, nec Latinam ecclesiam invenienti in fermentato, et e contra Graeco in azimo consecrare licere, auctoritate communis proloquii ducti: *Cum fueris Romae, Romano vivito more*; et s. Augustini, qui epist. 54. alias 118. scribit ad Bonifacium servandam esse ecclesiarum consuetudinem, ad quas proficiscimur. Verum probabilius dicendum est oppositum: quod aperte eruitur ex d. *cap. Literas*. ibique Gonzal. et vetus illud proloquium intelligendum esse de aliis consuetudinibus, puta observatione dierum festorum, jejunii in die sabbati, de quo loquitur s. Augustinus *cit. epist. can. Illa consuetudo dist.* 12. Suar. *de relig. lib.* 2. *cap.* 13. Covarr. *lib.* 4. *var. cap.* 20. *n.* 8. Vasque *dist.* 172. *cap.* 3. *

Item valide conficitur eucharistia, si farinae triticeae misceatur in parva quantitate farina alterius speciei; semper cum etenim non tanta esset, ut proprie dici posset illum non esse panem triticeum, adhuc verificaretur adesse materiam eucharistiae: d. Th. *p.* 3. *q.* 74. *art.* 3. *ad* 3. d. Anton. *p.* 3. *tit.* 13. *c.* 6. Semper tamen haec mixtio illicite fit; et si non sit tam exigua, ut fere nulla dici possit, excusari non poterit ex communi DD. a gravi culpa. * Ita cum divo Th. tradunt Pal. *tr.* 21. *disp. unic. p.* 4. *n.* 3.

Coninch. *q.* 74. *art.* 3. *n.* 52. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. Anton. a Spir. S. *tr.* 6. *disp.* 2. *sect.* 1. *n.* 31. *

R. II. Valide sed illicite conficitur eucharistia vino impuro, seu foeculento, si adhuc perseveret in esse vini; qualiter se habet mustum, seu vinum in fundo dolii. Caeterum si id fiat extra gravem necessitatem, concipiunt in hoc DD. gravem irreverentiam, adeoque non excusant a peccato gravi ita consecrantem. Dian. *tom.* 2. *tr.* 1. *resol.* 200. * et colligitur ex *cap. Cum omne crimen de consecrat. dist.* 2. quod tenent Suar. Laym. Bonacc. ap. Palaum *l. c. n.* 7. * Idem dicas de vino valde acescente; nam si modice tantum acescat, non erit nisi peccatum veniale. Gabr. a s. Vinc. *de euch. d.* 5. *q.* 3. * et fortasse nullum, si adsit necessitas. Vid. Palaus *l. c. n.* 9. * Ubi notat quod si vinum foeculentum consecraretur, foeces non remanerent consecratae, cum non verificaretur esse vinum.

Q. III. Qua materia omnino invalide conficiatur eucharistia, vel quando saltem dubitari possit de ipsius validitate.

R. Si excipiatur siligo, vulgo *segala*, omnia alia, ex quibus ob defectum frumenti panis conficitur absolute dici potest non esse materiam idoneam pro conficienda eucharistia. Ita se habent avena, milium, hordeum, panicum, et similia. His addi potest spelta, far, alica etc. quamvis enim quidam opinentur speltam, far et alicam posse esse materiam sufficientem pro conficienda eucharistia, nihilominus id magis communis negant theologi. Ratio est, quia ut communiter docent theologi cum s. Thoma *p.* 3. *q.* 74. *art.* 3. Christus pro materia hujus sacramenti non determinavit frumentum ut genus est comprehendens omne granum, quod habet aristas et spicas, sed solum triticum, quod est species nobilissima generis frumenti; cum proinde de nullo ex supradictis verificetur esse triticum, debet omnino dici non esse materiam sufficientem pro conficienda eucharistia: * ita sentiunt Suar. *disp.* 44. *sect.* 1. Laym. *l. c. n.* 3. Palaus *loc. cit. n.* 2. ex perpetua ecclesiae traditione. Hoc quoque apertissime definitum fuit in concilio Florentino in decreto Eugenii §. 3. *

Dubium esse potest de siligine, quia videtur quampluribus pertinere ad speciem tritici; et huic sententiae videtur adhaerere s. Thom. *loc. cit. ad* 2. eamque sequitur Layman. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 2. Passer. *de euch. q.* 74. *art.* 3. *comm.* 6. *cap.* 1. *n.* 8. * S. Thom. accipit hic siliginem pro lectissimo ac perfectissimo tritici genere, de quo intel-

ligit Plinius *lib.* 28. *nat. hist. cap.* 8. prout tradere videtur Suarez. *l. c.* §. *Tertium exemplum*, et affirmat Sylvius et suspicatur Card. Gotti *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 5. sed non de frumento imperfectissimo, quod in terris saxosis e tritico nasci tradit ipse Plinius *eod. lib. cap.* 8. Nihilominus negari non potest merito dubitari, an siligo sit materia sufficiens pro eucharistia conficienda, cum a pluribus species frumenti a tritico diversa judicetur, quapropter illicite ex siligine conficeretur eucharistia; quia nullitatis periculo exponeretur. Tambur. *de euchar. c.* 1. *n.* 13. * Bonacc. *de sacram. disp.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 2. Suar. *l. c.* et ex proposit. damnata Innocentii XI. aperte constat non posse in sacramentis conficiendis adhiberi materia tantum probabilis *. Caeterum omnes conveniunt consecrantem panem siligineum etiam graviter peccaturum quia adhiberet materiam indignorem, quae dedeceret dignitatem hujus sacramenti. Laym. *de euch. c.* 2. *n.* 2.

Non est materia sufficiens pro conficienda eucharistia massa triticea, cruda, frixa, vel elisa, quia non verificatur esse panem usualem, adeoque saltem moraliter ab eo differt. Avers. *de sac. euch. q.* 2. *sect.* 3. §. *Quanto*, et communiter. Idem dicendum propter eamdem rationem de pane ex amydo: d. Th. *p.* 3. *q.* 74. *a.* 3. *ad* 4. Lugo *de euchar. d.* 4. *n.* 6. licet aliqui in contrarium opinentur. * Palud. *in* 4. *sent. disp.* 11. *q.* 1. *a.* 4. quod probare videtur Cajet. *in s. Thom. q.* 74. *a.* 7. Bonacc. et alii ab eo relati de sacram. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 7. *. Idem esto judicium de pane subacto aqua artificiali, vel lacte, oleo, ovis, alioque liquore: d. Th. *loc. cit. art.* 7. Lugo *n.* 4. Eodem modo sentiendum crederem, si aqua artificialis misceatur ad aequalem quantitatem cum aqua naturali; nam adhuc juxta communem acceptionem dici non posset panis usualis. Caeterum non refragarer dicentibus panem subactum aquae maris esse materiam sufficientem eucharistiae, utpote quia est aqua naturalis. Dian *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 197. §. 2. (1)

Q. IV. Quae materia pertinens ad vinum sit insufficiens pro conficienda eucharistia.

R. Agresta nullatenus valide consecraretur; quia non verificatur esse vinum. Idem dicas cum s. Th. *p.* 3. *q.* 74.

(1) Panis consecrandus apud Latinos debet esse figura orbiculari et integra; et hoc ex praecepto, et usu ecclesiae, quidquid in contrarium blaterent nonnulli apud La Croix *l.* 6. *p.* 1, *n.* 419.

a. 5. *ad* 2. *et* 3. de aceto, quia est vinum corruptum et putrefactum; unde communiter theologi rejiciunt Glossam *in c.* 2. *d.* 2. *de consec.* aliter sentientem. * Quod et fieri jussit Gregorius XIII. Imo Pius V. in rubric. de defectibus in miss. occurrentibus sacerdoti sumptionis tempore invenienti in aceto consecrasse, praecepit, ut vinum apponat et denuo consecret. Neque obstat Innoc. III. *lib.* 4. *de sacrific. miss. cap.* 30. aliosque doctores tradidisse acetum esse consecrationis materiam; nam intelligendi sunt non de aceto proprie tali, sed de vino acido, ad acetum vergenti, quo tamen uti ad consecrationem sine necessitate peccatum esse tradunt communiter Doctores, et quidem grave, si tam acidum sit, ut debitetur, an vinum sit, vel acetum. Vivald. *de euchar. cap.* 3. *n.* 4. Bonacc. Laym. Suar. apud Palaum *l. c. n.* 9. Continuat. Tournel. *tr. de euchar. p.* 1. *c.* 3. *art.* 3. *sect.* 2. *. Neque pariter judicandam materiam sufficientem pro eucharistia conficienda quod exprimitur ex uvis multum passis; nam neque proprie est vinum, neque mustum, sed potius quid tertium, quod ad sapam accedit. Tambur. *de euchar. l.* 4. *c.* 1. *n.* 8. Rejicitur etiam a materia apta pro eucharistia conficienda vinum pane imbibitum; quia tunc potius habet rationem cibi, non vero potus. Lugo *de euch. d.* 4. *n.* 12. Anton. a Sp. S. *de euch. d.* 5. *sect.* 3. *n.* 54. Denique si vino tantum aquae misceatur, ut non amplius absolute dici possit vinum, ex eo confici non potest eucharistia, ut communiter docent DD. (1)

Quae hucusque dicta sunt, magis communiter docent theologi; at non exigua est inter eos discrepantia, an vinum congelatum sit materia sufficiens. Magis communiter affirmant theologi; tum quia videtur vinum congelatum proprie dici esse vinum; tum quia cum sacramentum eucharistiae consistat in esse permanente, non vero in sumptione, aut potatione, non videtur obstare ipsius essentiae vinum esse congelatum. Lugo *de euch. d.* 4. *n.* 13. Aver. *de euch. q.* 2. *sect.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 6. et plures alii. Ego nihilominus reputarem vinum congelatum saltem esse materiam dubiam pro eucharistia conficienda; etenim Christus Dominus consecravit vinum ad sumptionem ordinatum: unde Matth. 26. dicitur de Christo calicem consecraturo:

(1) Secus vero dicendum si in modica quantitate aqua vino misceatur, cum semper sit (ut ait Eminentiss. Lamb. *notif.* 77. *n.* 7.) *verum vinum, et usuale vinum.*

Accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Cum ergo vinum congelatum aptum non sit ad sumptionem, saltem dubitari potest an sit materia sufficiens. Nugn. *p.* 3. *q.* 74. *a.* 5. Jn. a s. Th. *p.* 3. *q.* 73. *d.* 26. *a.* 2. Eo ipso autem quod dubitari possit, an sit materia sufficiens pro eucharistia conficienda, non sine gravi culpa adhiberetur. * Palaus *l. c. n.* 8. Passerin. *l. c. comment.* 8. *n.* 12. Contin. Tourn. *l. c.* *

Q. V. An vino aqua sit miscenda; et in qua quantitate.

R. I. Non ex necessitate sacramenti, sed ex praecepto ecclesiae miscenda est aqua vino consecrando. Vetustissima est haec caeremonia, adeoque concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Tertium autem sacramentum*, haec habet: *Ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia ss. Patrum creditur Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Id nihilominus ex ecclesiae praecepto derivari innuit Tridentinum: *sess.* 22. *c.* 7. ubi ait: *Monet s. synodus ab ecclesia praeceptum esse sacerdotibus etc.* quamvis bene judicari possit ab ipsis apostolis, ut ecclesiae pastoribus, originem habuisse: * vid. Passerin. *l. c. comment.* 9. *n.* 7. Tourn. *de sacram euch. art.* 6. Laym. *l. c. n.* 7. *. Quia tamen hoc praeceptum grave ab omnibus reputatur saltem quoad significationem, adeoque transgredi non possit sine gravi culpa, ut monet etiam catechismus *part.* 2. *de euch. cap.* 17. hinc est quod si sacerdos non apposuerit aquam ante offertorium, et id advertat ante consecrationem, debet eam apponere, non vero si post consecrationem; ut praescribunt rubricae missalis: *cap. de defect. vin. n.* 7. Ideo autem post consecrationem aqua non est admiscenda, quia id, ut dixi, non est de necessitate sacramenti. Hoc autem probatur a s. Thom. *p.* 3. *q.* 74. *a.* 7. quia quod significatur per hanc admixtionem, est quid extrinsecum et posterius sacramento; significatur etenim per eam plena ablutio nostrorum peccatorum per merita Christi, quod significavit sanguis et aqua, quae ex Christi latere manarunt. Item aqua vino admixta significat unionem populi cum Christo; nam aquarum nomine populi significantur: Apoc. 17. et vino virtus et divinitas Christi denotatur. Cum igitur hae significationes sint quid extrinsecum sacramento, et eo posteriores, cum sint effectus illius, consequens est mixtionem aquae hujusmodi significantem non esse de necessitate hujus sacra-

menti. Caeterum advertendum hanc mixtionem faciendam esse, dum sacerdos est ad altare, alias careret praefatis significationibus: d. Th. *p.* 3. *q.* 74. *a.* 8. *ad* 3.

R. II. Aqua valde modica est vino miscenda, ut innuit Florentinum supra citatum. Verum tamen est quod si non tanta infundatur, ut non amplius dici possit vinum semper valida est consacratio, ut supra adnotavi. Hic autem abstineo ab illa scholasticorum quaestione, an aqua prius transmutetur in vinum, ac deinde per consecrationem in sanguinem; multis opinantibus in sanguinem non transmutari nisi prius in vinum transmutetur. Caeterum pro certo puto tenendum in sanguinem transmutari; tum quia cum plures ss. PP. asserant Christum consecrasse vinum aqua mixtum, si haec in sanguinem non converteretur, dicendum esset una cum semetipso obtulisse Patri in sacrificium aliquam creaturam. Tum quia communiter ss. PP. et concilia in calice post consecrationem nonnisi sanguinem Christi agnoscunt. Hinc cardinalis Baronius ad ann. 1188. prope finem asserit Romanam ecclesiam semper credidisse aquam simul et vinum in sanguinem transubstantiari. Et ad ann. 1192. in fine, quodam narrato miraculo, subjungit eo voluisse Deum confutare *haeresim negantium aquam vino mixtam mutari in sanguinem*. Denique s. Th. *q.* 74. *a.* 8. dicit opinionem negantium aquam in sanguinem mutari non posse stare. Quod si pro certo credendum est aquam in sanguinem converti, non tam facile verificari potest opinio affirmans necesse esse ad hanc conversionem aquam prius in vinum converti; nam et ipsum Christum paulo ante consecrationem dicendum est aquam miscuisse, quod et potest facere sacerdos, si in offertorio hujus admixtionis oblitus sit: quis autem credere potest tam exiguo tempore vinum in se aquam transmutare? * Legi possunt Laurent. Berti *de theol. discipl. lib.* 33. *cap.* 6. *prop.* 6. Gonzal. *in cap. Cum Marthae de celebrat. missar.* et quamplures alii apud ipsum, qui etsi non reprobent eorum sententiam, qui docent prius aquam in vinum converti, probabiliorem tamen asserunt eam quae immediate aquam in sanguinem transmutari tradit.*

Q. VI. In qua quantitate debeat esse materia consecranda.

R. I. Certum est sacerdotem quamlibet magnam quantitatem materiae valide consecrare; cum etenim Dei virtute operetur, nulla tam magna quantitas dari potest, quae non sit consecrabilis. d. Th. *p.* 3. *q.* 74. *ar.* 2. * Non desunt theologi asserentes quamcumque magnam quantitatem panis, seu

vini invalide consecrari, quia non est credendum a Christo factam sacerdotibus potestatem consecrandi tantam copiam panis ac vini, quanta ex. gr. contineretur in apotheca ad vendendum, vel in cella vinaria, utpote datam ad usum fidelium, non ad abusum, ex quo inferunt non posse consecrari nisi in ea quantitate, quae sufficiat fidelium communioni. Pro hac sententia affertur s. Bonaventura *in* 4. *sent. dist.* 10. *p.* 2. *art.* 1. *quaest.* 4. s. Thom. *in opusc.* 59. *cap.* 5. Angelus *v. Eucharistia* 1. *n.* 25. Paludanus *in* 4. *dist.* 11. *p.* 1. *art.* 3. *conclus.* 1. et quidam alii ex vetustioribus scholasticis. Verum contraria sententia probabilior videtur, eamque sequuntur fere omnes theologi: Habert *de euchar. cap.* 4. *q.* 6. Tournely *q.* 4. *art.* 4. *conclus.* 1. et alii quod Berti *l. cit. cap.* 6. *thes.* 3. et s. Thom. *l. c.* utramque tantum sententiam refert. Sed *p.* 3. *q.* 74. *art.* 2. secundam tenet.* Caeterum graviter peccaret, si tam magnam quantitatem consecraret, ut tempore opportuno sumi non posset; vel quia ipsam exponeret periculo putrefactionis; vel quia cum hostiae consecrentur ad usum fidelium, si excedentem quantitatem consecraret, faceret contra ritum ab ecclesia praescriptum.* Et in hoc conveniunt omnes theologi. Natal. Alex. *theol. dogm. mor. lib.* 2. *de euch. cap.* 1. *art.* 3. *prop.* 4. *reg.* 4. *

R. II. Materia consecranda tanta saltem esse debet, ut aliquo sensu visus, vel tactus etc. percipi valeat; si etenim non ita se habeat, non est designabilis per particulas *hoc*, vel *hic*, quae sunt in forma consecrationis, adeoque non valida esset ipsius consecratio. Lugo *de euch. d.* 4. *n.* 115. Avers. *de euchar. q.* 2. *sect.* 1. Bene nihilominus verificari potest sub particula ab hostia separata nullo sensu perceptibili esse corpus Christi; nam facta consecratione non est necesse demonstrari per particulam *hoc*, sicut necesse est per eam determinari, dum consecratur. Quod si materia non sit senbilis consecranti, sed alteri habenti e. g. sensum visus valde acutum, tunc materia est dubia; nam quamvis non pauci affirment esse consecrabilem, alii negant, cum non valeat demonstrari ab ipso consecrante per particulam *hoc*. Lean. *de euch. d.* 8. *quaest.* 82.

R. III. Sacerdos debet consecrare hostiam majorem particulis, quae distribuuntur laicis, eaque debet esse figurae rotundae. Ratio desumitur ex ritu et consuetudine ecclesiae, quam aliqui putant obligare sub gravi.* Videatur Martene *de antiq. eccl. ritib. lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 7. *n.* 26.* At secluso scandalo non videtur dari praeceptum tam stricte obligans,

ut docet Quarti *in rubr. miss. q. fundam. sect.* 5. *p.* 4. *d.* 3. Hinc si sacerdos deberet infirmo viaticum praebere, consecrare teneretur in hostia minori, si consuetas non haberet; et ad removendam populi admirationem posset illum commonefacere in ea circumstantia licitum omnino esse minorem hostiam consecrare: * ita DD. relati a Quarti *loc. sup. cit.* *

Q. VII. An materia consecranda debeat esse praesens.

R. Omnes consentiunt materiam consecrandam debere esse praesentem; nam ly *hoc* et *hic*, quibus incipit forma consecrationis, designat rem praesentem. Hac ratione omnes conveniunt non consecrari valide hostiam positam a tergo, si illam sacerdos manibus non teneat; vel positam post parietem, vel in aliquo cubiculo; quia verificari non potest pronomen demonstrativum *hoc*. Eadem ratione, quamvis aliqui refragentur, non dicerem consecratam hostiam existentem sub mappa, vel alio modo latentem, quia quod latet, non videtur demonstrari posse pronomine *hoc*. Palaus *tr.* 21. *p.* 6. *n.* 6. Laym. *de euch. tr.* 4. *c.* 2. *num.* 10. * Qui teneant consecratam hostiam velo coopertam. Continuat. Tournel. *de euchar. cap.* 3. *art.* 2. *sect.* 1. *q.* 2. vide apud Berti *loc. cit.* qui inter alios affert Benedictum XIV. *lib.* 4. *de sacrif. miss. sect.* 2. *n.* 153. multorum DD. testimoniis adductis. De hostia autem latente sub mappa videatur Contin. Tourn. *l. c.* * Difficultas autem est inter DD. an valide consecrarentur hostiae in tabernaculo clauso. Et multi quidem affirmative respondent, dicendo quod sicut verificatur pronomen *hoc*, consecrando particulas in pixide clausas, adeoque valide consecrantur, quia per praesentiam continentis intelligitur etiam praesens, quod continetur, immo per continentem intelligi solet, quod continetur; eodem modo ipsis discurrendum videtur de particulis contentis in tabernaculo clauso; cum per eos aequiparetur vasi grandiori. Ego nihilominus adhaererem contrariae opinioni; nam demonstrato tabernaculo clauso, non videntur sufficienter demonstrari hostiae in eo clausae per pronomen *hoc*: Avers. *q.* 2. *sect.* 2. Anton. a Sp. S. *de euchar. d.* 2. *sect.* 5. *num.* 73. * Hanc sententiam docet quoque Contin. Tournel. *l. c.* Palaus *tr.* 21. *p.* 6. *n.* 5. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 2. *n.* 10. Auctores autem contrariae sententiae vide apud. Dian. *coord de euch. tr.* 1. *resol.* 199. * Saltem ergo dubia esset talis consecratio, adeoque semper illicita; sicut et graviter illicita esset, quia non servaretur ecclesiae ritus, quo hostia consecranda debet esse in manibus

sacerdotis, aliaeque particulae super aram lapideam. Hac ratione peccaret etiam sacerdos, si consecraret particulas existentes in tabernaculo aperto. Tambur. *de euch. l.* 4. *c.* 2. *n.* 6. *et* 7.

Differunt etiam DD. in assignanda distantia, in qua judicio prudentis verificari possit pronomen *hoc*. Non pauci asserunt verificari, etiamsi proferatur super hostiam distantem viginti passibus, ut videre est apud Gabriel. a s. Vinc. *disp.* 6. Ego vero aegre adhaererem illis DD. qui dicunt, valide consecrari hostiam distantem decem passibus; nam si velim demonstrare meum pallium a me decem passibus distans, non dico: hoc est meum pallium, sed illud est meum pallium. * DD. incerti sunt in assignanda distantia; dicendum tamen cum Lug. *de sacram. euch. disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 124. distantiam hanc accipiendam esse stricte et in omni rigore *.

Q. VIII. An materia consecranda debeat esse in individuo determinata in mente sacerdotis.

R. Omnes ita affirmant; nam pronomen *hoc*, vel *hic* designat materiam determinatam. Praeterea actio practica, seu aliquid conficiens debet habere objectum determinatum atque ita se habet actio consecrationis, qua transubstantiatur materia in corpus et sanguinem Christi. Si igitur ex pluribus hostiis sacerdos vel ittantum aliquas, quas ipse determinavit, consecrare, hae tantum erunt consecratae. Dixi, quas ipse determinavit; nam si ex gr. ex decem hostiis, quas habet praesentes, intendat tantum novem consecrare, et non excludat determinate illam unam, quam non vult consecrare, nulla erit consecrata; quia de nulla determinate dixisset. *Hoc est corpus etc. rubr. mis. c. de defect. intent. n.* 3. Neque huic veritati obstat, quod communiter dicitur, nempe sacerdotem putantem hostias esse octo, valide omnes consecrare, etiamsi sint decem. Id dicitur, quia intentio sacerdotis debet esse de consecranda tota materia sibi praesente, ut habetur *loc. cit. n.* 4. *et* 5. unde per hanc intentionem satis determinatur ad consecrandas decem hostias, etsi erret in numero.

Ad judicandum vero, an consecratae remaneant hostiae positae super altare, si illarum sacerdos non recordetur, dum consecrat, sed solum illius, quam manu tenet, sequentia sunt observanda. Si ponantur aliquae hostiae super altare sejunctae a cumulo consecrando, inscio sacerdote, tunc non remanent consecratae; intentio etenim sacerdotis cum non feratur in incognitum, non potuit ad illas

se extendere. Laym. *de euch. c.* 2. *n.* 14. Si vero detulit ipse ad altare, seu alteri commisit deferre, tunc etsi earum obliviscatur, remanent consecratae; quia virtualiter remanet ea intentio, qua intendit eas consecrare. At bene limitatur haec doctrina, si dicatur non remanere consecratas, dum ponantur extra aram et corporale; nam cum illicitum sit aliquid extra ea consecrare, non potest praesumi sacerdotem habere intentionem consecrandi, quod extra aram et corporale continetur; Tamb. *de sacrific. miss. l.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 15. Nec obstat dicere remanere consecratam hostiam factam cum fermento, quamvis, si sacerdos advertisset, noluisset consecrare. Lata igitur est disparitas, quia principaliter intendit sacerdos velle integre sacrificare, adeoque nolle omittere hostiae, vel vini consecrationem ob aliquem defectum ignoratum. Dum vero intelligitur nolle consecrare particulas, nisi modo licito, non destruitur haec intentio ab alia validiore intentione de ponenda essentia sacrificii; quia datur integrum sacrificium sine illarum consecratione. * Videamur Lug. *l. c. a n.* 129. Continuat. Tour. *l. c. q.* 3. Reiff. *theol. moral. tr.* 14. *dist.* 4. *addit.* 3. *post numer.* 36. *

Quia tamen dantur theologi sustinentes eas esse valide consecratas, inter quos est Bordonius *contr.* 29. *n.* 30. ideo illae particulae vel essent in alia missa sub conditione consecrandae, vel a sacerdote consumandae post assumptum calicem.

Quoad guttas adhaerentes calici, vel extra, vel intra illum, variant pariter theologi in judicando an sint consecratae. Magis communiter asserunt guttas externe adhaerentes non esse consecratas: sicut enim illicite consecrarentur ita dicendum est sacerdotem non intendere illas consecrare. Quamplures etiam dicunt non remanere consecratas guttas interne adhaerentes, a vino in fundo calicis discontinuatas; unde ad removendos scrupulos bene facit sacerdos, si solum intendat consecrare quod per modum continui in calice continetur.

Q. IX. Quid agendum, si particulis consecratis non consecratae misceantur.

R. Melius, meo videri, dicitur omnes iterum consecrandas esse sub conditione, si nempe non sint consecratae. Ratio est, quia cum sacerdos non valeat discernere non consecratas, non videtur satis posse eas determinare, et demonstrare per ly *hoc*, adeoque tutius erit proferre verba consecrationis super totum cumulum hostiarum, apposita praefata conditione. Lug. *disp.* 4. *n.* 236. Avers. *p.* 2. *sect.* 2. et DD. cc.

Regulae in praxi observandae

I. Advertant parochi hostias consecrandas conveniens esse fieri ex tritico perfectissimo a seminibus alterius speciei omnino segregato; candidissimas item esse debere, ut ita etiam in ipsarum praeparationem erga tantum sacramentum reverentia ostendatur. Apud aliquos etiam fuit in usu ut a personis non laicis fierent; adeoque concilium Mediolanense IV. noluit hostias consecrandas confici ab homine laico, aut foemina. Item omnino observandum, ne vinum consecrandum aliquas faeces admixtas habeat, nec incipiat acescere, vel corrumpi, qua in re posset leviter, vel graviter sacerdos peccare, juxta dicta capite superiori.

II. Dantur aliqui scrupulosiores sacerdotes, qui si aliquid parum ultra duas, aut tres guttas aquae in calicem fortuito infundant, statim novum vinum infundunt, quasi quod prius infunderunt, non amplius aptum sit pro consecratione. Ita se gerunt ex ignorantia; si etenim tantum aequae non admisceatur, ut vinum non amplius absolute dici possit vinum, sicut certe dici potest, quamvis non solum tres, sed etiam sex, seu octo guttae eidem misceantur, utique est aptum pro consecratione. Improbanda ergo est illa sollicitudo duas, vel tres tantum guttulas infundendi; quamvis etenim aliquae de plus infundantur, non ideo non verificatur modicam aquam infundi, ut praescribit ecclesia. Immo ex illa sollicitudine unas, aut duas tantum guttulas infundendi, ita perturbari potest phantasia, ut aliquando nihil infundatur.

III. Cum certum sit validam esse consecrationem, etsi per aliquos passus sacerdos distet a materia consecranda, hinc dignoscendum quam improprie se gerant illi sacerdotes, qui dum consecrant, ita ore hostiae approximantur, quasi in aure alicujus vellent secretissime loqui. Idem faciunt in consecratione calicis, quasi pertimescant aliquod verbum ex illo egredi. In hoc agendi modo ego aliquam etiam indecentiam agnosco; nam halitu hostia ipsa et calix quodammodo madefiunt.

IV. Ne Sacerdos scrupulis agitetur, habeat semper intentionem consecrandi quidquid super corporale est licite consecrabile. Si nihilominus inveniat post consecrationem aliquam hostiam, vel partem ipsius in altari, de qua dubitet, an fuerit consecrata, illam consumet post receptionem san-

guinis. Idem faciat sacerdos, si dum pergit ad altare ut missam celebret, adinveniat super eo hostiam, quam scire non possit, an fuerit consecrata necne.

* Cum ex pluribus synodalibus constitutionibus teneantur parochi post octavum diem, vel saltem hiberno tempore post quindecim dies particulas consecratas renovare, improbanda est eorum praxis, qui vel ut supradictis pareant, vel ut deficientibus novas subrogent, eas consecrantes in pixide reponunt, absque eo quod antea eam purificent. * (1)

CAPUT III.

De forma sacramenti eucharistiae

Q. I. Quenam sit forma consecrationis.

R. I. Forma consecrationis panis in his solis verbis consistit: *Hoc est corpus meum*. Ita clare ex evangelistis colligitur. Id etiam probat concilii catechismus *p.* 2. *de sacram. euchar.* §. 19. dicendo: *Forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc sacramento efficitur: cum autem haec verba id, quod fit, significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur formam in illis ipsis verbis constituendam esse*. Ut melius autem intelligatur significatio illius particulae *hoc*, advertendum eam non posse significare panem; quia de ipso non verificatur esse corpus Christi, quamvis in illud sit transubstantiandus. Item nec species, quia de illis dici non potest esse corpus Christi. Neque pariter solum Christi corpus; nam tunc forma redderet hunc sensum: corpus Christi est corpus Christi. Remanet ergo quod designet species, et corpus Christi, ita ut reddat hunc sensum, contentum sub his speciebus est corpus meum: S. Th. *p.* 3. *q.* 78. *a.* 5. * Scotus *in* 4. *sent. dist.* 8. *q.* 2. *n.* 8. contendit verba *hoc est etc.* a sacerdote prolata sine praecedentibus verbis *qui pridie* etc. non significare corpus Christi, ex quo infert eadem verba spectare ad formam essentialem. Ad mentem Scoti declarandam vide, quae affert Laur. Berti *lib.* 33. *cap.* 7. *proposit.* 4. et Contin. Tournel. *l. c. cap.* 4. *conclus.* 3. *

Ex his habes semper validam esse consecrationem, quoties non ita mutentur verba, ut non possint designare, contentum

(1) Insuper nostrae hujus dioecesis reservationi foret obnoxius qui non attendens ad debitam custodiam in particulis renovandis, eas corrumpi permitteret. Vid. Bernardinius noster, *in sua expos. cas. reserv. p.* 21.

sub speciebus panis esse corpus Christi. Hinc communiter valida reputatur consecratio, si sacerdos diceret, vel: *Istud est corpus meum*, vel: *Hic est corpus meum*, dum ly *hic* non sumatur adverbialiter, sed loco pronominis; nam conservaretur sensûs, et solum intercederet error grammaticalis. Idem dicendum, si diceret: *Hoc est corpus meu*, vel *meun*, vel *Est hoc meum corpus*. Ratio horum omnium est, quia omnibus praefatis modis satis explicatur conversio panis in corpus Christi, quam conversionem debet forma consecrationis explicare.

Q. II. Quando forma consecrationis nulla sit, vel dubia.

R. I. Cum ex dictis forma consecrationis explicare debeat conversionem panis in corpus Christi, consequens est nullam judicandam illam formam, in qua constat talem conversionem non explicari. Invalida proinde erit consecratio, si dicatur: *Hic panis est corpus meum;* nam videtur dici panem perseverare, et non transubstantiari; unde dixi supra ly *hoc* in forma consecrationis non designare panem. Item invalida est, si dicatur: *Hoc fit corpus meum*, seu, *hoc sit corpus meum:* nam transubstantiatio explicatur in fieri, adeoque variatur sensus formae. Invalida pariter est, si dicatur: *Illud est corpus meum;* nam non designatur materia praesens, sicut designatur per ly *hoc*. Invalida etiam reputanda consecratio, qua diceretur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis non tradetur;* nam verba formae essentialiter determinantur ad designandum corpus, quod fuit traditum; unde essentialiter variantur, si usurpentur ad designandum corpus pro nobis non traditum. Demum idem dicendum, si sacerdos dicat: *Hoc est corpus Christi;* nam ita proferret formam in persona propria, non vero in persona Christi: et aliunde sacerdos non solum debeat eam pronunciare ut minister Christi, sed etiam in persona Christi, quasi ipse Christus diceret: *Hoc est etc.* S. Th. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *a.* 1. *et p.* 3. *q.* 78. *a.* 1.* et cum eo sentiunt Suar. Henriq. Bonac. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 3. et alii ap. Giribald. *de sacram. euch. tr.* 4. *cap.* 3. *n.* 8.*

R. II. Dubia est consecratio, si dicatur: *Ecce corpus meum;* nam aliquibus videtur non explicite significari ly *hoc est;* aliis tamen affirmantibus, ut videre est apud Leandrum *disp.* 9. *q.* 9. Dubia est, si sacerdos dicat: *Hoc corpus meum,* non paucis affirmantibus des'rui significationem formae, omittendo ly *est;* aliis negantibus, quia videtur subintelligi; eo magis quia familiare est non solum Latinis, sed etiam Hebraeis et Syriis illud subticere, adeoque non constat Christum hebraice, aut syriace loquentem illud addidisse. Observant

pariter in graeco non esse expressum Luc. 22. in consecratione calicis. Silv. *in p.* 3. *q.* 78. *a.* 2. *q.* 3. Dubia est consecratio, si dicatur: *Haec est caro mea;* nam caro videtur significare partem, non vero totum corpus. Aliis vero apud Dianam *t.* 2. *tr.* 1. *res.* 227. videtur valida, quia aliquando pars accipitur pro toto. Si vero dicatur: *Hoc corpus meum est*, seu, *meum est hoc corpus*, ex supradictis dicenda esset hujusmodi consecratio non dubia, sed invalida, nam ly *hoc* in praefata forma explicat solum corpus, nos vero diximus ly *hoc* non significare solum corpus, sed etiam species, sub quibus continetur.

Q. III. Quale peccatum sit aliquid in forma mutare, seu omittere.

R. Omnes concedunt, quod si talis sit mutatio, seu omissio, ut consecratio nulla sit, vel dubia, gravissimum committitur sacrilegium; quia vel nullum est sacramentum, vel periculo exponitur nullitatis. Si vero mutatio sit solummodo accidentalis, itaut consecratio certo valida foret, non desunt qui affirment id ex natura sua esse tantum peccatum veniale; cum non videatur ipsis intercedere gravis irreverentia. Faustus *l.* 1. *q.* 108. Avers. *q.* 6. *secl.* 7. At pace istorum dixerim, ego concipio ingentem temeritatem in re tam gravi et sacrosancta aliquam, vel minimam mutationem in ea facere; unde difficillime ita facientem a gravi culpa excusarem. Idem dico de omittente particulam *enim*, quamvis certum sit non pertinere ad essentiam formae; ut ex pluribus docet Gavantus *p.* 3. *tit.* 11. *n.* 12. Neque hic tamen desunt asserentes, praeciso contemptu, in tali omissione nonnisi levem culpam intervenire. Tambur. *de euchar. c.* 2. *n.* 15. et alii. (1) • Videatur Continuat. Tourn. *l. c. q.* 1. ubi ait: *quoniam vero non satis assequor, qui fieri possit, ut in re tam gravi omittat quis deliberate vel jota unum sine aliquo contemptu, et aliunde peccati mortalis dubii periculum, mortale est, ab ulteriori examine temperabo.* •

Q. IV. Quae sit forma consecrationis vini, et an omnia verba ad ipsius essentiam pertineant.

R. I. Forma consecrationis vini sunt haec verba: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Dicitur *calix* ad significandum continentem pro re contenta: ideo autem, ait s. Th. *in* 4. *d.* 8. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. talis modus locutionis congruus est huic formae; quia sanguis de sua ratione non dicit aliquid potabile, imo

(1) Ut videre est apud Reiff. *tract.* 14. *dis.* 4. *q.* 5. *n.* 39. quorum sententia pro nihilo est reputanda.

magis aliquid quod natura abhorret in potu. Et quia in hoc sacramento sanguis Christi consecratur ut potus, ideo oportuit aliquid addi, quod ad potum pertineret, scilicet calicem. Addi potest illam vocem *calix* adhiberi ad commemorandam Christi passionem, eam nempe appellavit calicem, dum Matth. 26. ait: *transeat a me calix iste*. Illa verba *novi testamenti* significant sanguinem Christi vere nobis tradi, et non tantum in figura, ut in veteri testamento. Dicas etiam illis verbis *novi et aeterni testamenti* significari in novo testamento promitti aeterna, non temporalia, ut in veteri. Ly *novi* significare etiam potest novissimum et ultimum testamentum, quod dicitur aeternum; quia nunquam est variandum. Demum *testamentum* significat etiam promissionem, unde ea verba *novi et aeterni testamenti* idem significare possunt ac *novae et aeternae promissionis*, aeternae nempe haereditatis, quae jure ad nos pervenit ex morte Christi testatoris, et virtute eucharistiae. Haec omnia tradit Innocentius III. *cap. Cum Marthae de celebr. miss.* Illa verba *mysterium fidei* denotant sola fide credi, quidquid difficultatis humana ratio experiatur, sub speciebus vini sanguinem Christi latere, et Christum Deum simul et hominem mortuum esse, quae quidem mors expressius denotatur in consecratione vini, quam in panis consecratione. Demum ea apponuntur verba: *qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Dum dicitur *pro multis effundetur*, significatur Christum quoad efficaciam solummodo pro multis, hoc est pro electis sanguinem fudisse, ut docent communiter DD. Caeterum quoad sufficentiam pro omnibus sanguinem fudit; nam Deus vult omnes homines salvos fieri, et ex Christi meritis omnibus dat gratias sufficientes pro salute assequenda; quamvis non pauci ex defectu propriae cooperationis impediant fructum passionis Christi.

R. II. Jam etiam ex dictis constat ly *enim* non pertinere ad formam consecrationis panis et vini; nam ut observat s. Th. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 1. apponitur solummodo *propter continuationem ad verba praecedentia*. Item pro certo tenendum est non pertinere ad essentiam consecrationis ea verba: *Et aeterni . . . . mysterium fidei;* nam haec non reperiuntur in liturgiis Graecorum et Mozarabum, et tamen constat valide consecrasse. E contra omnes fatentur ea verba: *hic est calix sanguinis mei*, esse de essentia formae. Non pauci addunt ea sola esse de essentia formae, cum quod pertinet ad formam, efficiat quod significat, aliunde ea solum verba: *hic*

est calix sanguinis mei, significant conversionem vini in sanguinem. * Bellarmin. *de euch. lib.* 4. *cap.* 14. Suar. *disp.* 60. *sect.* 1. Juvenin. *de sacram. euch. dissert.* 4. *cap.* 3. Laur. Berti *l. c. cap.* 7. Auctor *de re sacrament. lib.* 4. *q.* 3. *cap.* 3. Contin. Tourn. *l. c. art.* 3. qui omnes hanc sententiam fusius tradunt, et sequentis oppositae fundamenta evertere conantur. * Sed haec sententia non est certa, cum multi asserant omnia verba, quae proferuntur in forma (excipe quae notavi initio hujus responsionis) esse de esssentia formae. Ratio hujus sententiae est, tum quia a Christo Domino omnia prolata fuere; tum quia ea habentur in omnibus liturgiis, si excipiatur liturgia s. Petro falso adscripta; tum quia sicut non dabatur vetus sacrificium sine sanguinis effusione per victimae materialis occasionem, ita videtur pertinere ad essentiam sacrificii incruenti, ut verbis exprimatur mystica sanguinis effusio. Ex his constat merito dubitari posse de validitate consecrationis, si verba, de quibus controversia est, omittantur, adeoque sine gravi sacrilegio omitti non posse. Hinc non debet sacerdos limitare suam intentionem consecrandi per ea solum verba: *hic est calix sanguinis mei*. Quod si accidat sacerdotem subito morbo post pronunciata praefata verba correptum, caetera prosequi non posse, hostia, super quam prolata essent, religiosa veneratione esset a sacerdote sumenda; nam majus periculum est in parvipendentia speciei consecratae, quam in veneratione non consecratae, dum bona fide consecrata posset ex plurium opinione judicari, ut notat s. Bonaventura *in* 4. *dist.* 8. *q.* 3. * et tenent Scotus, Bonac. et alii apud Ant. a Spir. S. *de euch. tr.* 6. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 100. *

Non hic immorabor in examinando, quando ex aliqua mutatione, vel omissione consecratio nulla esset, aut dubia; quia id facile dignosci potest ex dictis supra de consecratione panis

Q. V. An sacerdos proferat verba consecrationis solum recitative, vel etiam formaliter et significative, et in cujus nomine ea debeat proferre.

R. I. Non videtur negandum sacerdotem proferre verba consecrationis etiam recitative; cum narret, quae Christus fecit dicendo *accipite et manducate*, et ad continuandam hanc narrationem ponatur particula *enim* in forma consecrationis. Dicendum pariter est ea proferre formaliter et significative, intendendo scilicet exercere id, quod significant; cum practice intendat efficere corpus et sanguinem Christi Domini sub specibus panis et vini: d. Th. *p.* 3 *q.* 78. *a.* 5.

R. II. Sacerdos profert verba consecrationis in nomine, seu persona Christi Domini. In aliis igitur sacramentis sacerdos profert verba formae ex persona ministri; nam designat actum, quem exercet, sicut cum dicit: *Ego te baptizo*. At cum verba eucharistiae solam consecrationem materiae significent, qua in Christi corpus transubstantiatur, oportet sacerdotem in Christi persona ea proferre, ut intelligatur nil aliud praestare, quam verba Christi proferre, quae sola habent vim faciendi hanc conversionem: s. Th. *p.* 3. *q.* 78. *a.* 4. Unde Eugenius IV. in decreto pro Armenis ait: *forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum*. Praeterea si sacerdos in propria persona loqueretur, non verificaretur forma dum dicit: *hoc est Corpus meum*. * Contra hanc assertionem Durandus *in* 4. *sent. dist.* 8. *q.* 2. *ad* 1. vult omnia verba consecrationis, etiam essentialia materialiter tantum et histrice a sacerdote proferri, ex eo quia eadem verba non possint tam recitative, quam significative ab eodem usurpari, ob quam rationem putavit Vasq. *disp.* 200. *cap.* 2. verba consecrationis a sacerdote significative tantum proferri, cujus rationis refutationem vide apud Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 3. *in fin.* *

Q. VI. Quomodo verificentur verba formae consecrationis; nam dum proferuntur, nondum est corpus et sanguis Christi sub speciebus panis, et vini

R. Propositiones speculativae, quae nihil efficiunt, sed solum affirmant aliquid esse, vel non esse, supponunt jam existere rem, quam enunciant, ut dum dico: *sol lucet*. Propositiones vero practicae et efficientes rem, quam enunciant, satis est, si verificentur in instanti ultimo suae prolationis; nam cum causa sint veritatis, quam enunciant, necesse est prioritate naturae antecedere suum significatum, seu effectum. Ita autem se habent verba consecrationis efficientia transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi: d. Th. *p.* 3. *q.* 78. *a.* 5. * Continuat. Tournel. *l. c. q.* 3. * Sunt etiam qui sustinent verba consecrationis vera etiam esse veritate speculativa; cum satis videatur esse ad veritatem propositionis speculativae, si verificetur statim post prolationem ipsius propositionis. Gabr. a s. Vinc. *de euch. d.* 12. *q. ult.*

Q. VII. Quid sit vi verborum in eucharistia; et quid per concomitantiam.

R. I. Illud dicitur esse ex vi verborum in eucharistia, quod expresse per verba consecrationis significatur; nam dumtaxat efficiunt, quod significant. Cum igitur verba consecrationis panis solum corpus significent, ac solum sanguinem verba consecrationis vini, consequens est, ex vi verborum solum corpus humanum physice organizatum, et solum sanguinem esse in eucharistia: d. Th. *p.* 3. *q.* 78. *a.* 1.

R. II. Illud dicitur esse per concomitantiam in eucharistia, quod non ibi est ex vi verborum, sed ratione connexionis, aut concomitantiae. Cum igitur corpori Christi immediate annexa sit quantitas caeteraque accidentia, haec erunt in eucharistia per immediatam concomitantiam: d. Th. *p.* 3. *q.* 76. *a.* 4. Hac eadem concomitantia sunt in eucharistia anima Christi, unio hypostatica, et Verbum Divinum, quatenus terminat humanitatem Christi Domini; omnia enim haec immediate connectuntur cum corpore, et sanguine Domini. Per concomitantiam vero mediatam sunt in eucharistia etiam personae Patris, et Spiritus S., quatenus nempe cum habeant eamdem naturam divinam cum Verbo, sunt in eucharistia mediante Verbo.

Regulae in praxi observandae

I. Non bene se gerunt illi sacerdotes, qui futiliter timentes non rite consecrare, tali vi proferunt verba, ut etiam capitis motu quodcumque verbum velint associare: quod certe non reverentiam in adstantibus, sed admirationem, et quandoque etiam risum potest excitare. Alii tanta expressione proferunt verba, ut pro ly *hoc*, clare dicunt *hocche*, pro ly *meum* dicunt *meumme*, pro ly *calix*, dicunt *calixe etc.* Alii incepto aliquo verbo, iterum ab initio resumunt, dicendo e. g. *me meum* isti excusari quidem possunt ratione scrupulorum, quibus agitantur; caeterum non ut convenit, sed modo utique increpando proferunt verba consecrationis. Cogitent isti, quaeso, an credendum sit Christum Dominum proferentem in ultima coena verba consecrationis tam caput agitasse, et an verba praeter naturalem loquendi modum pronuntiaverit. At exemplum Christi Domini considerent etiam, qui nullam animi pietatem ac reverentiam in sacrosanctis verbis pronunciandis exprimunt; et dum nomine Christi loquuntur, non majorem ostendunt reverentiam, ac si de profano aliquo negocio loquerentur. Ex alio etiam capite non pauci sacerdotes deficiunt, dum consecrationis verba elata fere voce exprimunt contra ritum ecclesiae.

II. Si forte accidat sacerdotem non meminisse, se pronuntiasse verba consecrationis, ordinarie loquendo crederem non repetenda; nam difficillime aderit dubium prudens omissa fuisse, cum bene possit accidere nos non recordari eorum, quae diximus, dum super ea non reflectimus. Dixi, ordinarie loquendo, nam si detur sacerdos qui sciat aliquando ita distrahi aliis cogitationibus, ut vel in officio recitando, vel in missa celebranda facile erret, et aliqua omittat, iste si non recordetur prolatae consecrationis, non imprudenter timebit illam omisisse. Ego scio aliquem fuisse sacerdotem vitae alias satis probatae, qui a precibus primae non difficiliter transibat ad preces completorii, et in missa a memento vivorum ad memento mortuorum. Dum ergo detur dubium prudens vel omissam fuisse formam consecrationis, vel aliquod verborum formae essentialium, vel de quibus dubium est an sint essentialia, consecratio est repetenda, ac deinde prosequenda reliqua, ne immutetur ordo sacrificii; s. Th. *p.* 3. *q.* 83. *a.* 6. *ad* 5. Quid vero dicendum de iis, qui sine dubio rationabili repetunt formam vide in tractatu de sacramentis in genere *cap.* 4. *quaes.* 6. *resp.* 3.

CAPUT IV.

De ministro tum conficiendae, tum administrandae eucharistiae; et quae ab eo servanda sint.

Q. I. Quis sit minister conficiendae, seu consecrandae eucharistiae.

R. Catholica ecclesia ita semper intellexit ea verba a Christo Domino: Luc. 22. Apostolis dicta: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut solum ipsis eorumque in sacerdotio successoribus facta sit potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi: adeoque haec veritas patet ex pluribus conciliis, et specialiter ex Lateranensi: *cap. Firmiter de Sum. Trin. et fid. cathol.* §. *Una vero*, et ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. *et can.* 2. Id autem probat s. Thomas *p.* 3. *q.* 82. *a.* 1. Quia cum eucharistia in Christi persona conficiatur, non satis est ipsius ministrum Christo unitum esse unione spirituali per fidem et charitatem, nam haec communis esse potest laicis; sed ulterius ipsi uniri debebat per sacramentalem potestatem, quae ratione sacrae ordinationis obtinetur; cum per ipsam habeatur sacerdotium proprie dictum, et hierarchicum. Et quia quantumvis sacerdos sit impro-

bus, adhuc ejus actio sancta est, in quantum fit in persona Domini, hinc etiam improbus sacerdos consecrandi retinet potestatem, ut observat idem s. Doctor *art.* 5. *ad* 3.

* Multi fuerunt in hac quaestione errores haereticorum tum vetustorum tum recentiorum qui videri possunt apud Auctorem nostrum *in quaesit. dogmat. de sacram. tr.* 4. *cap.* 6. et fusius apud Continuat. Tour. *loc. cit. cap.* 5. Ut autem vitentur aequivocationes, notandum quod si apud antiquos PP. aliqua reperiantur, e quibus erui posse videatur potestas consecrandi in laicis et diaconis, intelligi debent vel latiori sensu, vel solum de distributione. Videantur Berti *l. c. cap.* 13. et Continuat. Tourn. *loc. parit. cit.* *

Q. II. Quis sit minister eucharistiae dispensandae; et qui jurisdictionem habeant ad eam dispensandam.

R. I. Minister ordinarius eucharistiae dispensandae est solus sacerdos, nam ipsius consecratio etiam ad dispensationem ordinatur, unde cum sacerdoti competat consecrare, et ad ipsum pertinebit eam dispensare: d. Th. *p.* 3. *q.* 82. *a.* 3. Et quidem solos sacerdotes alloquutus est Apostolus, dum 1. ad Cor. 4. ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Nemo autem diffitetur tam in ecclesia Graeca, quam Latina olim etiam diaconos fuisse ministros eucharistiae dispensandae; maxime jubente sacerdote, ut constat ex *can.* 38. concilii IV. Carthaginen. quamvis, ut observat s. Thom. *cit. ad* 1. magis ipsis fuerit concessum sanguinem dispensare, quando in usu erat apud fideles communio sub utraque specie. Idem s. Doctor, cui communiter subscribunt theologi, vult etiam modo in urgente necessitate, puta in articulo mortis, posse diaconum hoc sacramentum administrare. * S. Doctorem sequuntur Sotus, Ledesma, Vasquez et alii quos affert Aversa *de euch. q.* 10. *sect.* 3. §. 4. Immo Quart. *in rubric. miss. p.* 2. *tit.* 6. *dub.* 2. vult diaconum posse administrare etiam inique invito sacerdote, quia in eo casu praesumitur licentia superiorum, et ipsius summi Pontificis *. Non desunt theologi, qui in tali casu id etiam concedant inferioribus clericis, vel etiam laicis, ut scilicet possint communicare seipsos, seu aliis eucharistiam administrare, tum quia id olim factum esse compertum est: tum quia urgeret praeceptum viaticum sumendi. Laym. *de euch. c.* 7. *n.* 5. * Quart. Avers. Suar. et alii plures apud Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 47. *p.* 5. *tr.* 3. *resolut.* 47. *et p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 48. et eruunt ex Gloss. *in cap. Pervenit de consecrat. dist.* 2.

quae ad illa verba: *Praesbyter per se ipsum infirmum communicet*, subdit: *vel per diaconum, si necesse est, vel per laicum catholicum.** Verum, cum id concedant, si fieri possit sine scandalo, dicendum est in praxi non licere: semper enim scandalum adesset et admiratio, atque omnes dicerent non sine gravi indecentia factum esse. Porro non urget praeceptum sumendi viaticum, dum communiter judicaretur indecenter administrari *. Videatur s. Th. *in* 4. *dist.* 13. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 3. ubi postquam laico permisit in casu necessitatis corpus Christi tangere, puta si in loco immundo jaceret, postea subdit: *Sed non est simile de dispensatione sacramenti, quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis, unde ei, qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est, crede, et manducasti.* Hoc limitant Henric. a s. Ignatio *cap.* 60. *n.* 776. Henno *pag.* 507. apud Continuat. Tournel. *l. c.* Paulus a Lugdun. *theol. moral. tract. de euchar. dissert.* 3. *quaest.* 5. *q.* 2. in casu quo viaticum non solum utile, sed etiam necessarium foret ad salutem, ut cum peccatori de sua contritione satis dubio confessarii copia deesset: *Sed quia eucharistiae per laicum*, subdit idem Continuat. Tournel. *quocumque in casu deportatio eo usque jam insolita est, ut vix cogitationem ejus ferat christiana mens, praxim illam nec suadere, nec tolerare ausim praesertim cum aegro ad Dominum pro viribus reverti conanti, et facienti quod in se est, Deus non neget gratiam uberiorem**.

R. II. Ut minister licite eucharistiam administret, debet esse pastor ordinarius, ut sunt episcopi et parochi vel eam dispensare ex istorum commissione. Ratio est, quia dispensatio sacramentorum et praecipue eucharistiae, qua fideles spiritualiter aluntur, est proprium munus pastoris. Laym. *cap.* 7. *n.* 3. Passerin. *t.* 2. *q.* 187. *art.* 1. *n.* 933. *et* 934. * Suarez *disp.* 72. *sect.* 2. Lug. *de euch. disp.* 18. *sect.* 2. *n.* 36. *. Verum tamen est intelligi concessam licentiam eucharistiae administrandae per hoc solum, quod alicui sacerdoti detur facultas celebrandi in aliena ecclesia; ita enim fert consuetudo, ut communiter DD. docent. * Habert. *de euch. p.* 1. *cap.* 16. *q.* 4. Continuat Tourn. *cap.* 5. *q.* 2. Palaus *punct.* 18. *n.* 4. idque eruunt ex concilio Tridentino *sess.* 22. *c.* 6. ubi optat, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicent *.

Regulares ex variis privilegiis videndis apud Passerinum *t.* 2. *q.* 187. *a.* 1. *a n.* 937. *ad* 945. habent facultatem administrandi eucharistiam fidelibus in propria ecclesia, vel

etiam in aliena, dum ibi celebrant: et ita etiam fert consuetudo, quae dat jurisdictionem. * Neque adversus hanc assertionem aliquam vim habet Clement. *Religiosi de privil.* ubi decernitur, quod nisi de paroecialis presbyteri licentia regulares eucharistiam ministrare praesumant; nam Clementina illa per posteriora privilegia Julii II. Pauli III. et Pauli IV. derogatum fuit. * Non possunt tamen administrare eucharistiae sacramentum pro satisfaciendo praecepto paschali; et quamvis adesset aliquod privilegium non continens hanc exceptionem (* quale esset privilegium Pauli IV. * (1)) nihilominus esset subintelligenda, nam in generali concessione non veniunt ea, quae communi usu sunt excepta, uti se habet communio pro satisfaciendo praecepto paschali; sicut neque ea, quae in specie quis concessurus non esset: *arg. et reg.* 81. *juris in* 6. Ita proinde sensit s. Congregatio apud Passerinum *n.* 965. * Duo etiam decreta ejusdem s. Congregationis affert Benedictus XIV. in suo opere *lib.* 9. *de syn. dioeces. cap.* 16. alterum in *Burdigalens.* 9. Jul. 1644. alterum in causa *Mechliniens.* 31. Jan. 1682. * Non tamen adhaereo eidem Passerino affirmanti *n.* 97. et Fagnano in *cap. Omnis* 43. (* quibus adstipulari videntur Contin. Tournel. *tom.* 3. *de quint. eccl. praec. q.* 8. Habert *de euch. cap.* 16. *q.* 4. Barbos. *de offic. paroch. p.* 2. *cap.* 20. *n.* 10. et alii apud eumdem *) qui asserunt non licere regularibus administrare eucharistiam in die paschae ex devotione communicantibus; nam quaecumque afferatur declaratio in favorem talis sententiae, consuetudo nunquam interrupta est in contrarium, et consuetndo dat jurisdictionem. Satis proinde erit, si saeculares accedant ad propriam ecclesiam communicaturi intra tempus praescriptum pro satisfaciendo praecepto communionis paschalis. Lugo *disp.* 18. *n.* 50. Fagund. *in* 3. *praecep. eccl. c.* 5. *n.* 8. * Palaus *tr.* 21. *p.* 19. *n.* 10. Laym. Bonac. Anton. a Spir. S. *direct. regul. tr.* 2. *disp.* 3. *n.* 98. * Caeterum laici familiares regularium habitantes in monasteriis possunt in ipsorum ecclesia communioni paschali satisfacere, ut ex Clement. 1. *Religiosi* §. *Sane de privil.* docet cum pluribus Passerin. *t.* 2. *q.* 187. *a.* 2. *n.* 976. * Ut autem hoc praestare possint, requiritur, ut sint familiares proprie dicti, hoc est vivant intra septa monasterii, sint eorum commensales, et obedientiam praelato praestent non quidem ra-

(1) In sua Bulla expressum quae incipit *Cum sicut*, quo conceditur confessariis Ordinis Min. *confessiones etiam infirmorum ubilibet audire, ac omni tempore sacramentum Eucharistiae tam illis, quam aliis quibusvis personis licite ministrare.*

tione voti, sed ratione ministerii, cui incumbunt, ut animadvertit Montalvus *in gloss fundament. tom.* 1. *cap.* 7. *art.* 2. *n.* 9. ap. Reiff. *theol. moral. tr.* 10. *dist.* 3. *addit.* 5. *post n.* 36. quae omnia eruuntur tum ex concilio Tridentino *sess.* 24. *de reform. cap.* 11. tum ex multis decisionibus s. congregationis concilii allatis a Benedicto XIV. *instit. eccles.* 55. §. 7. *et* 8. qui superius enumeratas conditiones copulative requiri tradit. * An vero regulares possint administrare advenis, et peregrinis communionem paschalem in propriis ecclesiis, lis est apud DD. et affirmative cum pluribus aliis respondent Lugo *d.* 18. *n.* 50. Dian. *t.* 2. *tr.* 2. *resol.* 21. Ego tamen adhaererem contrariae opinioni; nam dum advenae et peregrini praecepto communionis adstringuntur, verificari debet quantum fieri potest illam a proprio pastore recipere, nec tunc melius alter dici potest ipsorum pastor, quam parochus, in cujus paroecia habitant. Passerin. *l. c. n.* 979. Barbos. *de offic. paroch. p.* 2. *cap.* 20. *num.* 23. * Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 12. *lib.* 9. *cap.* 3. Continuat. Tournel. *tom.* 3. *de quinto ecclesiae praecepto cap.* 5. *q.* 10. Habert *l. c. q.* 5. Bonac. *de sacrament. euch. d.* 4. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 8. ubi docet in aliena paroecia tempore paschali commorantem non teneri propriam adire, ut praeceptum adimpleat, sed posse in ea satisfacere, in qua invenitur, et ita ex usu et praxi testatur. Hoc idem sentit Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 30. *n.* 8. ubi et ipse cum Soto *in* 4. *sent. disp.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Cajet. *in sum. v. Absolutio*. Navar. *in cap. Placuit de poenit. d.* 6. *n.* 27. peregrinos, et viatores ab obligatione propriam adeundi paroeciam eximit, si in ea, in qua tempore paschalis reperiri contigerit, communicaverint. *

Hic etiam advertendum religiosos scienter administrantes eucharistiam laicis, vel etiam clericis in casibus sibi non permissis, non solum graviter peccare ex violatione alterius juris in materia gravi, sed etiam incurrere excommunicationem summo Pontifici reservatam: ex Clem. 1. *Religiosi de privil.* unde nec possunt saecularibus administrare eucharistiam; etiam in articulo mortis constitutis. Quamvis autem non desint qui dicant id etiam ipsis non licere in absentia parochi, etsi periculum sit in mora, * ita Navarr. in *manual. cap.* 21. *n.* 52. Sylvest. *v. Excommunicatio* 7. *excommunicat.* 14. *n.* 32 *dub.* 3. Cardinal. *in d. Clement.* *; ego nihilominus nunquam in praxi hujusmodi opinioni adhaererem. Ratio est, quia cum ad administrandam eucharistiam sufficiat licentia rationabiliter praesumpta ipsius parochi, oporteret ju-

dicare parochum esse impiissimum, si quis vellet credere licentiam non concessurum instante necessitate administrandi viaticum: Lugo *d.* 18. *n.* 53. et plures alii.

Q. III. Quae servare debeat minister pro licita eucharistiae dispensatione.

R. Minister dum eucharistiam administrat, debet esse in gratia; et quia major pars theologorum censet ita administrantem eucharistiam, non praemissa saltem contritione, reum esse gravis irreverentiae, ideo illum damnant peccati mortalis, ut videre est apud Passerinum *t.* 2. *q.* 187. *a.* 2. *n.* 962. et Bonac. *de euch. q.* 5. *p.* 2. Hic addit toties graviter peccare, quot personas communicat. Bene tamen dici potest unicum tantum committere peccatum; nam pluribus continuate dare eucharistiam, est una indigna administratio. Dian. *t.* 1. *tr.* 8. *resol.* 44. aliique apud ipsum. Caeterum non desunt theologi, qui secluso contemptu, credant sacerdotem in peccato mortali eucharistiam administrantem, non graviter peccare; quia non conficit sacramentum, sed solum veluti illud movet de loco ad locum: Lugo *d.* 18. *n.* 17. et in hanc opinionem inclinat Barbosa *de offic. parochi c.* 20. *n.* 17. * Graviter peccare sacerdotem, paccati mortalis conscium, non praemissa saltem contritione communionem ministrantem docent Laym. *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 8. Cont. Tourn. *tom.* 4. *de sacram. in gen. cap.* 2. *p.* 1. §. *et t.* 5. *l. c. q.* 9. Sylvius *in* 3. *p. d. Thom. q.* 64. *a.* 6. et alii quamplures. Hoc autem erui videtur *ex cap. Sciscitantibus* 15. *q.* 8. ubi Nicolaus I. de sacerdote adultero eucharistiam ministrante sic habet, *mali bona administrando se tantummodo laedunt;* nec non ex catechismo Romano *p.* 2. *c.* 1. *n.* 26. ex rit. Rom. §. 1. Quidquid ergo sentiant alii, tenendum est paccato mortali se obstringere sacerdotem non praemissa saltem contritione eucharistiam ministrantem cum peccati mortalis conscentia *.

R. II. Ut minister licite administret eucharistiam debet id reverenter facere, et servare ritus et caeremonias ecclesiae. Hinc *cap. Sane de celebrat. miss.* dicitur, sacerdotem ferre debere cum habitu decenti sacramentum ad infirmos: *et can. ecclesiastica d.* 23. debere cum orario, seu stola offerre et suscipere eucharistiam. Communiter autem reputatur grave peccatum administrare eucharistiam sine stola et superpelliceo; quia tunc ex defectu habitus decentis pro hac administratione, et grave scandalum et gravis irreverentia erga sacramentum conciperetur. Praeterea communiter re-

putant DD. consuetudinem ecclesiae administrandi eucharistiam cum superpelliceo et stola obligare sub gravi; quia est de re gravi. * Suar. *disp.* 72. *sect.* 4. *v* *Tertio* *. Verum si administraret sine stola, pluribus non videtur gravis culpa, quia ratione superpellicei salvatur sacerdotem habere habitum decentem: Gabriel a s. Vinc. *d.* 15. *q.* 2. §. *Quaeres* 7. Dicunt pariter solum peccare venialiter sacerdotem suscipientem eucharistiam sine stola: quia consuetudo illam cum stola suscipiendi non videtur introducta nisi ad servandam rubricam, quam non reputant esse de re gravi. Tambur. *de sacr. commun. c.* 2. §. 4. *n.* 10. et alii apud Dianam *tom.* 2. *tr.* 2. *resol.* 42. Eodem modo discurrit Bordonius de sacerdote deferente sine stola eucharistiam de uno loco ad alium; quia de hoc nullum extat praeceptum, et consuetudo ea utendi non videtur esse de re gravi.

Inter ritus autem administrandi eucharistiam ille etiam accensendus est, ut nulli tradantur plures eucharistiae particulae, vel hostiae grandiores, ut ex decreto s. Congregationis sub die 12. Februar. 1679. Et quidem ut ait s. Th. *p.* 3. *q.* 79. *a.* 7. *Ex hoc, quod sacerdos plures hostias consecrat in una missa, non multiplicatur effectus hujus sacramenti, quia non est nisi unum sacrificium: nihil enim plus est virtutis in multis hostiis, quam in una; cum sub omnibus et sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una missa multas hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum sacramenti.*

Alter ritus pro reverenti eucharistiae administratione est, ut non solum administretur lumine, cujus tamen defectus, secluso scandalo, reputatur culpa venialis. Gobat. *tract.* 13. *cap.* 10. *n.* 294. Quart. *p.* 2. *tit.* 10. *dub.* 3. *diff.* 3. contra Leandrum *tit.* 7. *d.* 4. *quaest.* 30. qui censet in hoc intercedere gravem irreverentiam. Pertinet pariter ad ritum praescriptum ab ecclesia praemittere administrationi eucharistiae generalem confessionem et absolutionem; et quia *cap. Sane cit.* id praecipitur dum eucharistia ad infirmos defertur, non censetur gravis culpa haec omittere, si in ecclesia administretur. Dian. *t.* 2. *tr.* 2. *res.* 3. Item eucharistia indice et pollice est administranda; ita enim fert totius ecclesiae consuetudo. Ego nihilominus non contradicerem illis DD. qui dicunt in casu necessitatis posse aliis digitis administrari, puta si sacerdos ob chiragram indice et pollice impediatur. Et ratio est, quia ex una parte tota manus sacerdotis est consecrata; et ex alia consuetudo administrandi eucharistiam

indice et pollice non videtur tanti momenti, ut omittendum sit praeceptum viaticum administrandi. Multo magis non crederem peccaturum, qui, stante tali necessitate, administraret viaticum manu sinistra, nec reputatur nisi leve peccatum id sine justa causa facere; quia esset violatio rubricae in re levi. Tancr. *in qq. moral. tr.* 3. *q.* 67. * Continuat. Tournel. *l. c. v. Disputant*, La Croix *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 490. *

Controversia etiam est inter theologos; an tempore pestis, ad praeservandum parochum, licitum sit administrare eucharistiam aliquo decenti instrumento, e. g. cochleari. Ego autem responderem affirmative, quia ritus eam administrandi indice et pollice bene videtur tunc dispensandus, ob praeservandos pastores in tanta ovium necessitate. Avers. *de euch. q.* 10. *sect.* 2. Leander. *tr.* 7. *d.* 4. *q.* 20. ex Suarez et aliis. Dixi tempore pestis; nam alio tempore omnino est prohibitum. Vide Barbos. *de offic. paroch. p.* 2. *cap.* 20. *n.* 46.

* Non posse neque tempore pestis ab usitato eucharistiae ministrandae ritu minimum deflecti, ac debere propterea sacerdotem propriis manibus aegris tribuere acerrime sustinuerunt Bonacc. *de sacram. euch. disp.* 4. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 9. Tambur. *in meth. ss. Commun. cap.* 5. §. 10. *n.* 21. Quart. *in rubric. miss. p.* 2. *tit.* 10. *sect.* 3. *dub.* 3. La Croix. *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 486. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 114. ob hanc rationem, quia ecclesiae consuetudo omnino servari, et quia omne periculum inconvenientium vitari oporteat, ob quas rationes severa prohibitione hoc ipsum sanctum ajunt a s. Carolo in V. synodo provinciali tit. *Cautio in sacerdote ministrante*. Verum alii bene plures diversimode opinati sunt; et ut ex una parte morientium saluti, ex altera sacerdotum incolumitati consultum foret, medio aliquo instrumento decenti, et ab omni periculo tuto posse distribui concesserunt; licet inter se circa modum paulisper dissentiant. Videatur Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 13. *cap.* 19. *a num.* 20. *ad* 29. qui prohibitioni synodi Mediolanensis respondet, eam extra provinciae Mediolanensis fines non extendi. Id quod Quart. et Dian. praestandum negant, dum agitur de sacerdotum incolumitate procuranda, illud concedunt quoties id expostulet infirmi commoditas. Hinc Pasqualig. in *theoria et praxi jurium et obligatione eorum, qui in peric. et artic. mortis constituuntur una cum* Praeposit. *par.* 3. *q.* 80. *art.* 8. *dub.* 2. *num.* 42. et ipse Dian. *resol.* 104. docent, quod si infirmus ob faucium ariditatem difficile deglutire possit par-

ticulam, liceat ei ministrari liquore aliquo madefacta in cochleari argenteo. Quod et confirmari potest ex piorum et peritorum parochorum praxi. *

Q. IV. An sacerdos licite extra sacrificium possit communicare seipsum.

R. Id negat Lugo *d.* 18. *num.* 30. et alii, quia cum sacerdos extra missam, ut persona privata communicet, videtur desumere debere eucharistiam a proprio parocho, vel alio sacerdote. Nihilominus, si absit scandalum, et nullus alius sit sacerdos, non esset damnandus, etsi ex sola devotione vellet eucharistiam recipere; quia quod potest facere erga alios, et videtur facere posse erga seipsum; cum nullibi id prohibeatur, et nulla intercedat irreverentia. Bonac. *de euch.* *q.* 5. *p.* 1. *n.* 12. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 40. et alii apud ipsum. * Videatur Suar. *p.* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. *in fin.* Quart. *in rubric. l. c. dub.* 2. qui licet sententiam negativam tueantur, tamen in casu necessitatis deficiente alio sacerdote et scandalo secluso posse fieri concedunt. Denique Benedictus XIV. *de sacrif. miss. lib.* 3. *cap.* 17. §. 10. inter causas, quibus licite hoc fieri potest, accenset solemnes aliquas festivitates. Immo Quart. *l. c.* Lug. *l. c. n.* 35. Continuat. Tournel. *tom.* 5. *de euch. p.* 1. *cap.* 5. *ar.* 2. *q.* 1. ex concilio Nicaeno I. *can.* 14. et Vasq. *disp.* 219. *cap.* 1. ad diaconum hoc extendunt in casibus in quibus aliis potest ministrare. *

Q. V. An sacerdos possit alium communicare, dando illi partem suae hostiae.

R. Consuetudo ecclesiae est, ut dum sacerdos administrat eucharistiam, non det partem suae hostiae, sed formulam distinctam, adeoque, si diversimode faciat, ob non servatum talem ritum, peccaret venialiter. Secus si id faciat ex aliqua justa causa, puta ob communicandum infirmum vel etiam personam gravem et nobilem, quae aegrae posset diutius expectare. Avers. *quaest* 10. *sect.* 5. * Ita sentiunt Pass. *tom.* 2. *q.* 187. *art.* 1. *n.* 959. Concin. *de sacram. euch. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 12. Paul. a Lugdun. *tr.* 5. *dissert.* 3. *q.* 5. *quaer.* 6. Continuat Tournel. *l. c. q.* 8. qui licet testetur audisse non ita pridem a s. Congregatione reprobatam scissionem majoris hostiae in gratiam laicorum, hoc tamen verisimiliter non extendi ad infirmos autumat, quod probatur etiam a p. Caval. *comment. in s. Congreg. decret. tom.* 4. *cap.* 4. *decret* 2. *n.* 9. *

Caeterum hic observandum congruentius eucharistiam administrari post communionem sacerdotis; unde rituale Romanum sub titulo *de sacramento eucharistiae* haec habet: *Communio autem populi intra missam statim post communionem sacerdotis fieri debet (nisi quando ex rationabili causa post missam sit facienda) cum orationes, quae in missa post communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem sed etiam ad alios communicantes spectent.*

Q. VI. Quando sacerdos possit, seu teneatur eucharistiam administrare; et quibus negare teneatur.

R. I. Quamvis adsit tempus determinatum pro missa celebranda, hoc non fuit determinatum pro administranda eucharistia, unde quamvis transierit tempus celebrationis missarum, adhuc potest eucharistia administrari. Salmant. *de euch. c.* 8. *p.* 3. *n.* 38. Bonac. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 14. Servandae tamen sunt ecclesiae consuetudines, quibus non solet administrari in missa nativitatis Domini, quae media nocte celebratur, nec in die parasceves et sabbati sancti; nec unquam sub vesperam. * Videatur p. Caval. *l. c.* ubi duo affert decreta, alterum s. Congreg. concilii sub die 12. Febr. 1679. quo cavetur ne ministretur eucharistia in die parasceves (1) nisi infirmis, alterum s. R. C. die 23. Martii 1686. quo prohibetur eadem ministratio in nocte nativitatis Domini etiam regularibus cujusque ordinis. *

R. II. Certum est parochum teneri sub gravi administrare eucharistiam morituris. Quid vero facere debeat tempore pestis; seu si adsit periculum vitae, jam dixi in quartum decalogi praeceptum, ubi de parochi obligationibus actum est. Ibidem pariter explicavi, quando aliis temporibus teneatur eucharistiam administrare.

R. III. Jam in tractatu de sacramentis in genere *cap.* 4. *quaest.* 7. explicavi quibus parochus debeat sacramenta denegare; unde ad ibidem dicta lectorem remitto.

Regulae in praxi observandae.

I. Quamvis ex theologorum opinione possint sine gravi culpa omitti quidam ritus pro eucharistia administranda praescripti, nihilominus diligentissimus sit sacerdos in iis observandis; difficillime etenim quemcumque ritum sine scandalo omittet. Hic etiam advertere debeo, non sine scandalo

(1) Nec non sabbatho sancto ante missae celebrationem, ita Eminentiss. Lambertinius *de miss. t.* 2. *p.* 423.

administrari eucharistiam ab illis sacerdotibus, qui tam festinanter et oculis huc illucque vagantibus administrant, ut possent interrogari, an vere credant in hostiis, quas dispensant, esse Christum Dominum. Tanta etenim est illorum irreligio, ut hoc non credere videantur.

* Aliud inconveniens non minus grave accidere potest ex tam festinata eucharistiae administratione, quod nempe decidat in terram, vel alio particula consecrata. Hoc si eveniat, aut ob negligentiam, aut per accidens, servandae omnino rubricae missalis *de defectibus in celebr. missar.* §. 10. *n.* 15. Quid vero si particula vel fragmentum aliquod in pectus mulieris deciderit? tunc praestat, ut mulier ipsa suis manibus accipiens in os immittat, ut eruitur ex d. Th. *p.* 3. *q.* 83. *art.* 6. Ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod minus habet de periculo; et docet Benedictus XIV. *de sacrif. miss. lib.* 3. *cap.* 20. §. 7. Abluendi tamen sunt mulieris digiti, et ablutio in sacrarium ponatur: Continuat. Tournel. *l. c. q.* 6. *

II. Si necessitas cogat, ut parochus valde festinanter procedat ad infirmum communicandum, puto id posse facere, quia cessabit omne scandalum; unusquisque etenim opinabitur id fieri, quia ita exposcit periculum, in quo est infirmus. Quoad parochos rurales, qui debent deferre eucharistiam in loca longinqua et per vias difficiles; observat Bar. *de offic. paroc. c.* 20. *n.* 33. omittere posse umbellam, si de facili non possit deferri, et portare debere pyxidem unam tantum hostiam continentem, eamque reponere in bursa serica decenter ornata, et collo appensam gestare, ne si contingat cadere in via, oriri possit irreverentia et scandalum. Ita etiam praescripsit s. Carolus in *act. eccles. Mediol. p.* 4. *f.* 684. Concedit etiam sub numero 51. ut eat equo mansueto, si locus valde distans sit, et ita ferat consuetudo. Semper tamen habere debet habitum decentem, scilicet superpelliceum et stolam, et curare debet habere socios aliqua lumina deferentes.

* Dubium erat olim apud AA. an licitum foret in missis defunctorum sacram communionem ministrare. Negativam sententiam sequutus est Gavant. cui adhaesit La-Croix *l.* 6. *p.* 1. *n.* 492. affirmativam tuetur Castald. *lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 8. cum Merati *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 28. *et seq.* Abbas Benvenuti in opusculo cui titulus: *sacerdos ad altare celebrans in missa privata*, distinguens, concedit posse fieri cum particulis in eadem missa consecratis, negat, si extrahi oporteat e cibo-

rio pyxis. Requisiti itaque sacerdotes missam celebrantes de requiem sine metu particulas consecrandas et in eadem distribuendas recipiant, sed et tuto communionem fidelibus eam poscentibus possunt distribuere etiam ex particulis praeconsecratis, cum non desint docti rituum scriptores hoc admittentes, quorum opinionem approbavit Benedictus XIV. *de sacrif. miss. lib.* 3. *cap.* 18. §. 12. dummodo hoc non fiat neque ante, neque post missam, sed in ipsa statim ac sacerdos corpus et sanguinem sumpserit. Verum reprehendendus non est, si quis neget ex particulis praeconsecratis communionem fidelibus exhibere in missis defunctorum; ita enim agens magis se conformat decreto S. R. C. 2. Sept. 1741. relato a Caval. *tom.* 4. *cap.* 4. *decret. in ord.* 59. Nec sub judicium pariter vocandi sunt sacerdotes illi, qui intra quamcumque missam particulas consecrandas ac fidelibus ministrandas recusant, cum hodierna ecclesiae disciplina et praxi facillima reddatur eucharistiae participatio; ita statuit Benedictus XIV. in encyclica *Certiores effecti die* 13. *Novemb.* 1742. *bullar. tom.* 1. *pag.* 212. adversus controversiam in aliquibus Italiae dioecesibus tunc temporis ortam de obligatione, qua obstringi dicebantur sacerdotes celebrantes ministrandi intra missam fidelibus eam poscentibus. *

CAPUT V.

De subjecto eucharistiae; et de dispositionibus in eo requisitis.

Q. I. Qui sint capaces eucharistiae suscipiendae; et quotuplex sit communio.

R. I. Certum est solos baptizatos esse capaces eucharistiae; nam baptismus janua est caeterorum sacramentorum. Hinc quandoque etiam pueris battizatis eucharistia administrabatur, maxime dum nondum ecclesia usum calicis ex convenientibus rationibus prohibuerat. * Hoc plurimis monumentis apertissime demostrat Marten. *de antiq. eccl. rit. lib.* 1. *cap.* 1. *a.* 15. §. 11. *et seq.* *. Hi autem percipiebant effectum sacramenti ex opere operato: sicut enim pueri sunt capaces generationis spiritualis, ita et nutritionis. Avers. *de euch. q.* 8. *sect.* 1. Lugo. *disp.* 13. *n.* 10. Nihilominus bene invaluit usus in ecclesia, ut eucharistia non administretur nisi iis, qui talem usum habent rationis, ut eam, qua par est reverentia et devotione, possint suscipere; ita enim exposcit reverentia tanto sacramento debita. * Quando autem

praxis obsolere caeperit, adhuc incerta res est. Quod certum est, reperiuntur hujus moris vestigia saeculo XII. apud Hugonem a s. Victore *lib.* 1. *de sacrament. cap.* 20. et apud Guibertum abbatem *lib.* 1. *de pignorib. sanctorum cap.* 2. §. 1. Immo licet paucis in locis, in aliqibus tamen adhuc perseverasse ritum dandi infantibus statim post baptismum sacram communionem sub specie vini ineunte saeculo XVI. testatur idem Marten. *loc. cit.* §. 14. ex variis ritualibus mss. *. Hinc s. Th. *in* 4. *d.* 9. *a.* 5. ait pueris carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem et corporalem, non dandam esse eucharistiam; quia ad eucharistiae sumptionem exigitur actualis devotio, quam tales pueri habere non possunt. Idem quod de pueris, dicit de amentibus *p.* 3. *q.* 80. *a.* 9. Sot. *in* 4. *sent. d.* 12. *q.* 1. *a.* 9. Quod si nihilominus lucida habeant intervalla, itaut valeant dignoscere excellentiam hujus sacramenti, et sese ad illlud suscipiendum convenienter disponere, tunc posset illis administrari. Eodem modo loquitur de energumenis baptizatis unde, si aliud non obstet, poterit illis administrari eucharistia, dum a daemone non vexantur. * Videatur Contin. Tournel. *l. c. cap.* 6. *art.* 1. *conclus.* 2. Suar. *p.* 3. *disp.* 69. *sect.* 2. Natal. Alex. *lib.* 2. *de euch. cap* 5. *propos.* 5. Exceptiones autem hujus videri possunt apud eumdem Continuat. *l. c.* et apud Laym. *lib* 5. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 6. *

Difficultas est de surdis et mutis a nativitate, quos non pauci theologi judicant capaces hujus sacramenti, quia solent esse perspicacioris ingenii, et facillime plura addiscere per nutus et signa. Dian. *p.* 5. *tract.* 6. *resul.* 6. *et* 7. et alii apud ipsum. Apud me tamen non tanti ponderis sunt ipsorum rationes, ut in contrariam non inclinem opinionem. Considero igitur ex una parte tam excellens esse eucharistiae mysterium, ut non solum nutibus non possit edoceri, sed neque ullatenus humana ratiocinatione comprehendi; ex alia vero parte cum cognoscere et recipere eucharistiae sacramentum non sit necessarium necessitate medii ad salutem, non cogimur dicere Deum interiori illustratione surdos et mutuos a nativitate instructurum, ut docet s. Th. *q.* 14. *de ver. a.* 11. *ad* 1. de eo, qui in sylvis esset nutritus, et secundum naturae legem viveret. Cum autem aliunde ecclesiae consuetudo sit, ut saltem extra articulum mortis non administrent hoc sacramentum ignoranti illud a simplici pane discernere, nescio videre, quare administrandum sit surdo et muto a nativitate, in quo talem esse no-

titiam non sufficienter probatur. *. Affirmativam sententiam acriter tuentur Laym. *l. c. n.* 5. Reiff. *theol. moral. tr.* 10. *dist.* 111. *q.* 4. *n.* 45. Continuat. Tournel *l. c. concl.* 5. Ferrari *biblioth. moral. v. eucharist. n.* 31. et alii. *

R II. Triplex est genus communionis. Sacramentalis tantum, et haec est peccatorum, qui corpus quidem Christi in hoc sacramento recipiunt, non vero illius effectus. Spiritualis tantum, illorum nempe qui sunt in gratia, at non actu sed desiderio et fide viva coelestem hunc panem edunt. Sacramentalis et spiritualis simul, et est illorum, ut ait Tridentinum *sess.* 13. *c.* 8. qui ita se prius probant et instruunt, ut veste nuptiali induti ad divinam hanc mensam accedant. Illi igitur sacramentaliter et spiritualiter eucharistiam recipiunt, qui ad ipsam in statu gratiae accedunt; unde recipiunt corpus Christi et effectus etiam sacramenti.

Q. II. An ad suscipiendam eucharistiam status gratiae requiratur; et an necesse sit existenti in peccato mortali praemittere confessionem.

R. I. Cum eucharistia instituta sit per modum cibi, quapropter ait Christus Jo. 6. *Caro mea vere est cibus*, consequens est; quod sicut cibus corporalis supponit vitam naturalem in suscipiente, ita et cibus spiritualis supponat vitam spiritualem in anima, mediante gratia. Non sunt tamen arcendi a sacra communione ii, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers, ut dicebat propositio 23. ex damnatis ab Alexandro VIII. nam semper docuit ecclesia statum gratiae sufficere; alias dicendum esset Christum Dominum pro sanctissimis, adeoque rarissimis, personis tantum hoc sacramentum instituisse: * videatur Viv. *in d. proposit. a. n.* 9. *

R. II. Habens conscientiam peccati mortalis, si vult recipere eucharistiam, non satis est, si eliciat actum contritionis, sed praemittere debet confessionem, ut habet Tridentinum *sess.* 13. *c.* 7. Ita etiam semper docuit ecclesia propter ea verba Apostoli 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* At quia antea dixerat Apostolus: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis*, hinc magis communiter docent theologi praeceptum praemittendi confessionem, communioni, respectu illius, qui est in peccato mortali, esse divinum. Lugo *de euch. disp.* 14. *a n.* 69. Palaus *tr.* 21. p. 12. *n.* 3. Avers. *q.* 8. *sect.* 3. * contra Medinam *de confess. q.* 17. Navarr. *sum. cap.* 21. *n.* 49. et alios. *

Q. III. Quando conscius peccati mortalis possit recipere eucharistiam non praemissa confessione, sed sola contritione.

R. Tridentinum loco citato id dicit posse fieri, si desit confessarius, et urgeat necessitas. Primo ergo necesse est non habere copiam confessarii; et tunc deesse judicatur, quando valde grave est sacerdoti illum accersere. Sed quia quod valde grave est sacerdoti e. g. seni, seu valetudinario, leve judicari potest respectu alterius sacerdotis, ideo communiter docent theologi circa hoc standum esse judicio viri prudentis. • Non habere copiam confessarii pariter dicendum, si solum adsit confessarius excommunicatus denuntiatus, vel carens jurisdictione, vel simplici, utpote non approbatus, vel necessaria, quia nihil possit in casus reservatos, quibus forte innodatus existeret. Continuat. Tournel. *de euch. p.* 1. *cap.* 6. *art.* 3. *post. conclus.* 4. ubi alias etiam causas annectit ex aliorum sententia, quarum tamen aliquas quia futiles omnino rejiciendas tradit •. Secundo debet intervenire necessitas communicandi, cujus varii casus adducuntur a theologis. Primo si moriatur sacerdos post consecrationem, tunc alter sacerdos, qui esset in peccato mortali, et non haberet confessarium, elicita contritione, posset perficere sacrificium et se communicare, ne istud imperfectum remaneat. Suar. *p.* 3. *d.* 66. *sect.* 6. et alii, quos sequitur Diana *t.* 1. *tr.* 3. *res.* 156. Secundo, si non possit omitti sacrificium sine scandalo proximi: Candid. *art.* 22. *dub.* 17. et passim theologi: idemque dicendum de eo, qui non potest omittere sacrificium: seu communionem sine infamia: d. Antonin. *tit.* 14. *c.* 19. § 6. Tertio si adsit necessitas communicandi moribundum. Candid. *art.* 22. *dub.* 26. • Laym. *l.* 5. *cap.* 6. *n.* 2. Bonac. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 21. Suar. *l. c. sect.* 4. • Quarto si parochus celebrare debeat die festo, ut parochiani missam audiant: Cand. *cit. dub.* 31. Salmant. *de euch. c.* 7. *p.* 3. *n.* 52. Avers. *q.* 8. *sect.* 6. Id tamen non extendendum ad sacerdotem non parochum, quia non tenetur ex officio celebrare; adeoque respectu illius non reputatur necessitas gravis, si aliunde non esset periculum infamiae. Lugo *disp.* 14. *n.* 11. Salmant. *n.* 53. Neque referret, quod si ipse non celebraret, non posset populus die festo missam audire; nam praeceptum praemittendi confessionem ante communionem fortius reputatur, utpote divinum, praecepto ecclesiastico audiendi missam, sicut et praecepto satisfaciendi annuae communioni. Salmant. *cit. num.* 54. *et.* 55. • Neque extendendum pariter videtur ad sacerdotem, qui teneatur

celebrare ratione cappellaniae, licet determinati sint dies; quia ipsius obligatio non ita stricte affixa sumitur, ut non liceat ex juxta et rationabili causa una aut altera vice ad alium diem transferri. Bonacc. *l. c. n.* 23. Castropal. *tr.* 21. *disp. unic. p.* 12. *n.* 7. *v. Quarta*. Cont. Tournel. *l. c.* Passerin. *de euch. comment.* 52. *cap.* 3. *n.* 56. *

Quinto non pauci asserunt sacerdotem posse cum sola contritione communicare, si incepta missa incidat in mortale, vel peccati mortalis recordetur, et hanc opinionem in praxi puto esse sequendam. Ideo autem in praxi puto sequendam, non solum quia videtur non posse sacrificium sine irreverentia interrumpi, dum fieret confessio; sed multo magis quia non esset sine populi scandalo. Et quidem si tunc intervenit scandalum, ut docet Lugo *disp.* 14. *n.* 118. quando datur occasio graviter peccandi, ut temere judicandi, obmurmurandi etc. quis non videat quam graviter judicaret populus, simulque de sacerdote detraheret, si videret celebrantem advocare confessarium ad altare? Praeterea non levis infamia ipsi immineret: si aliunde notum non esset etiam lippis et tonsoribus valde esse scrupulosum. Hanc sententiam docet Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 7. Laym. *de euch. c.* 6. *n.* 5. et alii. Difficiliter nihilominus excusari posset sacerdos celebrans solemniter, si facile posset sine scandalo et admiratione absolutionem ab eo, qui faceret officium diaconi, recipere. * Hoc quoque fieri posse docent Henriquez, Sa, Toletus, Sotus, Victoria, Layman et alii, quos affert Quart. *in rubric. missal. p.* 2. *tit.* 3. *sect.* 2. *dub.* 3. apud eumdem Contin. *loc. cit.* si sacerdos in cappella privata, vel in ecclesia coram uno aut altero celebret; tum quia id postulare videtur reverentia sacrificio inchoato debita, tum ob tollendas animi angustias, quae facile occurrere in his casibus solent, tum quia etiamsi unus adstet minister, potest is cum sacerdotis infamia gestum aliis narrare. *

Item difficiliter excusari posset ratione scandali et admirationis ille, qui recordatur peccati mortalis, dum est in scamno communicantium, et recipit communionem non praemissa confessione. Compertum est non paucos recedere a loco, ubi administratur eucharistia, etiam ratione peccati venialis, vel etiam meri scrupuli. Item non raro ibi adsunt etiam ii, qui nolunt recipere eucharistiam. Demum non solent adstantes considerare, an aliquis recedat a scamno communicantium, ut iterum peccata confiteatur; et si forte videant ad confessarium redire, illum judicant scrupulosum.

Hanc ergo communiorem opinionem puto omnino in praxi esse sequendam. * Ita docent communius Lugo *disp.* 14. *n.* 126. Bonac. *disp.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 17. *et* 18. Suar. *disput.* 66. *sect.* 4. Palaus *tr.* 21. *p.* 12. *n.* 7. Continuat. Tournel. *l. c. n.* 539. et alii non pauci. *

Q. IV. Quando eliciendus sit actus contritionis, dum juxta supradicta recipienda est eucharistia sine confessione.

R. Omnes conveniunt laicum, qui in tali circumstantia sit, ut non possit sine scandalo, aut infamia omittere communionem, satis esse, si eliciat contritionem ante communionem. Difficultas ergo est respectu sacerdotis, qui incidit in mortale, vel recordatur mortalis incoepta missa. Et quidem, si antea confessus fuerat, et postea recordetur peccati mortalis obliti in confessione, non improbabiliter dicitur non teneri ad eliciendum actum contritionis; cum jam per confessionem indirectam etiam illius absolutionem obtinuerit, et sit in statu gratiae. Avers. *q.* 8. *sect.* 7. Tambur. *de expedit. comm. c.* 1. §. 8. *n.* 63.

Quod si antea non fuerat confessus, non desunt qui velint teneri statim conteri ac committit peccatum grave, vel illius recordatur. Ego autem observo non semper peccare mortaliter exercentem in peccato mortali actus, ad quos est consecratus, ut patet de sacerdote benedicente aquam, vel de episcopo consecrante in peccato mortali ecclesiam, seu calices. Hinc non puto peccare mortaliter sacerdotem, qui recordatur peccati mortalis incoepta missa, et non elicita contritione recitat ex. g. evangelium etc. Status ergo gratiae videtur sub gravi requiri in ordine ad consecrationem, aut sumptionem; unde, si sacerdos committat, vel recordetur peccati mortalis incoepta missa, satis erit si eliciat actum contritionis ante consecrationem, et commodius id facere poterit in *Memento*. Si vero recordetur post consecrationem, satis est si conteratur ante sumptionem. Addendum quod si elicere deberet contritionem ante offertorium, dum ante illum recordetur peccati mortalis, deberet cum admiratione missam interrumpere. Lugo *de euch. d.* 14. *n.* 134. Quarti *p.* 3. *tit.* 8. *sect.* 3. *d.* 5. Hic autem Auctor cum aliis ab eo citatis *ibid. sect.* 2. *d.* 5. addit, quod si sacerdos praedictus faciat quantum potest ad eliciendum actum contritionis, et nihilominus non ipsi videatur suus dolor ad contritionem pertingere, potest prosequi sacrificium cum eo dolore, quem tunc elicere potest; quia ipsi videtur praeceptum de perficiendo sacrificio, praevalere praecepto de communicando in

gratia. Idem asserit de laico jam communicaturo, ita ut discedere non possit sine gravi admiratione, dummodo doleat quantum patitur temporis angustia. Vult tamen conteri debere, antequam particulam deglutiat; nam sacramentum non habet causare gratiam, dum est in ore, sed dum transmittitur in stomachum. Ipsi consentit Aversa *quaest.* 8. *sect.* 5. §. *Secundo*. Existimat demum cum aliis ab eo citatis praeceptum impediendi formalem irreverentiam sacramenti praevalere praecepto de communicando in statu gratiae; unde excusat qui in statu peccati sumeret particulas consecratas, ne ab infidelibus seu haereticis conculcarentur. * Videri potest Continuat. Tourn. *l. c. q.* 2. ubi fuse hanc quaestionem tractat, et acriter sententiam hanc propugnat, et ut valde probabilem traducit cum Praeposito, Ferrantino, Garcia, Arriaga. Hanc etiam admittit Passerin. *de eucharist. comment.* 52. *cap.* 5. *a n.* 91. *

Q. V. Quos sacerdotes comprehendat Tridentinum, dum praecipit sacerdoti celebranti non praemissa confessione, ut *quamprimum* confiteatur; et quando adimplendum sit hoc praeceptum.

R. I. Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. ubi imponit praefatum praeceptum, loquitur de sacerdote non habente copiam confessarii, adeoque celebrante praemissa contritione. Bene autem dicitur hoc praeceptum comprehendere etiam sacerdotem celebrantem in die parasceves. Lugo *disp.* 14. *n.* 139. Filliuc. *de euch. c.* 8. *n.* 223. sicut et sacerdotem, qui perficit sacrificium, quod alter non potuit absolvere. Candid. *a.* 22. *d.* 61. Et ratio est, quia in his casibus sacerdos dicitur communicare more sacerdotali, et vestibus sacerdotalibus indutus celebrare.

R. II. Cum Tridentinum loquatur de sacerdote in necessitate cum contritione celebrante, quia deest confessarius, videtur non ligari praecepto Tridentini sacerdos, qui dum est ad altare recordatur peccati mortalis, et quamvis habeat copiam confessarii, nihilominus ratione scandali confessionem omittit. Lugo *de euch. d.* 14. *n.* 146. Leander *d.* 7. *q.* 50. Dian. *tom.* 1. *tr.* 3. *resol.* 179. Item praeceptum Tridentini non videtur comprehendere sacerdotem celebrantem ex malitia in peccato mortali; nam Tridentinum loquitur de sacerdotibus celebrantibus ex necessitate, praemissa sola contritione ob defectum confessarii, et aliunde in lege poenali non valet argumentum a minori ad majus. Lugo *cit. num.* 170. Anton. a Spir. S. *de euch. d.* 4. *sect.* 2. *n.* 120. Bonacc.

de euch. q. 6. *p.* 1. *n.* 38. Dicendum pariter non teneri confiteri ex vi Tridentini, qui recordatur peccati mortalis post missam; nam concilium loquitur de sacerdote, qui tenebatur ante missam confiteri, si adfuisset confessarius. Dian. *t.* 1. *tr.* 3. *resol.* 180. Demum bene dici potest non obligari praecepto Tridentini sacerdotem communicantem more laicorum; siculi optime substinetur illud praeceptum non respicere laicos; cum loquatur expresse de sacerdotibus: Candid. *art.* 22. *d.* 57. Avers. *q.* 8. *sect.* 7. Dian. *tom.* 1. *tr.* 3. *resol.* 185. * Videatur Cuntinuat. Tourn. *loc. c. q.* 5. ubi ex Azor. Sa Henriq. et Sylvio contrariam opinionem, ut magis Tridentino conformem, tuetur *.

R. III. Postquam Alexander VII. sub num. 38. damnavit propositionem asserentem Tridentinum non imposuisse praeceptum, sed consilium dedisse, sub num. 39. hanc aliam propositionem damnavit: *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur*. Optime autem statim dignoscitur damnatam fuisse praefatam propositionem, cum per eam omnino eludi potuisset praeceptum Tridentini; si etenim satisfieri potuisset praecepto de confitendo *quamprimum* per confessionem suo tempore faciendam, verificaretur illum satisfecisse huic praecepto, qui post tres menses confiteretur. Quia tamen ly *quamprimum* moraliter sumendum est; ideo nimis rigida mihi apparet illorum opinio, qui volunt sacerdotem statim post missam teneri ad confessionem. Ego igitur credo non solum ad diem sequentem posse confessionem differre, sed solum ex praecepto Tridentini teneri intra triduum confiteri; quod enim fit intra triduum, ni aliud exposcat natura rei quae praestanda est, dicitur fieri quamprimum et continuo: *leg. fin. C. de judic. et l. fin. C. de error advocat.* atque ita sentiunt Candid. *art.* 22. *dub.* 56. Dian. *tom.* 1. *tr.* 3. *resol* 171. aliique apud ipsum.

* Non videtur nimiae laxitatis nota supradicta opinioni inurenda, quam tenent docti aeque ac religiosi viri. Lug. *de euchar. disp.* 14. *sect.* 7. *num.* 161. Viva *in proposit.* 39. *damnat. ab Alex. VII. n.* 5. Milant. *exercit.* 33. *in eamdem proposit.* 39. §. *Collige quarto*, la Croix *de euchar. p.* 1. *lib.* 6. *n.* 545. qui affert declarationem sacrae Congregationis, Merati *in rubric. missal. p.* 3. *tit.* 8. *n.* 3. et alii non pauci neque spernendi apud Giribald. *de euchar. tr.* 4. *cap.* 9. *dub.* 5. *num.* 36. Hanc etiam admittunt Passerin. *de euch. l. c. n.* 112 Gonzal. *ad reg.* 8. *cancellar. gloss.* 43. *n.* 51. Barbosa *de dict. usufrequent. dict.* 105. *n.*

16. Continuat. Tournel. *l. c. q.* 6. et novissime Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 12. qui versus finem monet in moralibus eorum theologorum sententiam amplectendam, qui media via inter rigorem et laxitatem incedunt. Neque damnandi videntur aliqui eorum, quia Tridentini praeceptum accipiendum volunt juxta interpretationem aliarum legum humanarum; nam cum praeceptum hoc sit tantum ecclesiasticum, ut fuse probat Suar. *disp.* 66. *sect.* 6. nil vetat explicari eodem modo, quo aliae leges. Et revera quoties theologi et canonistae ecclesiae leges interpretantur juxta regulas, quibus utuntur jurisperiti in legibus civilibus interpretandis? Hujus rei exemplum eruitur ex *cap. Eos qui de sent. excomm. in* 6. ubi eos, qui absoluti fuere ab excommunicatione Pontifici reservata ob impedimentum ipsum adeundi, in eamdem reincidere decernitur, si hoc quamprimum praestare negligant eo cessato; quod non evenit, si se sistant intra triduum ab impedimento sublato; nec non in *cap. De illis* et *cap. A nobis de desponsat. impub.* ubi statuitur non posse impuberes ante pubertatem a sponsalibus resilire, bene quidem posse statim ea adepta, quod intelligunt fieri, si triduo post pubertatem resiliant. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. d.* 51. *n.* 14. Hostiens. Jo Andr. Anchar. *in dd. cc.* Barbos. *in c. De illis n.* 3. Negandum tamen non est posse dari casus, in quibus sacerdos teneatur statim post missam, vel saltem eadem die confiteri, si nimirum urgeatur obligatione postera die celebrandi, et praevideat non habiturum copiam confessarii. Videantur AA. cc. *

Q. VI. An jejunium naturale necessarium sit ad eucharistiam suscipiendam, et quando violari intelligatur.

R. I. Antiquissima est ecclesiae consuetudo praemittendi jejunium naturale sumptioni eucharistiae, ita ut ante ipsius sumptionem nihil transmissum sit in stomachum per actionem manducandi et bibendi; unde praeceptum de hoc jejunio servando confirmavit concilium Constantiense *session.* 13. * Tam perantiqua est haec jejunii naturalis consuetudo, ut ab Apostolis emanasse doceant multi ap. cardinalem Bona *de reb. liturgic. lib.* 1. *cap.* 21. *. Hujus autem jejunii congruentias affert s. Th. 3. *p. q.* 80. *a.* 8. tum scilicet ob reverentiam tanti sacramenti, quod minus decet recipi in ore cibo, vel potu infecto: tum ut dignosceremus ante omnia in cordibus nostris locum dandum esse Christo ejusque charitati: tum ad removendum periculum vomitus ex inordinato cibo et potu.

Porro ego adhaerendum semper putavi illis theologis, qui asseruerunt communicaturum debere certum esse de observantia jejunii naturalis; atque a communione abstinere, si illud violasse dubitet. * Videantur Contin. *l. c. a.* 2. *sect.* 1. *q.* 3. Salm. *de euch. c.* 7. *n.* 69. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 9. et 40. Vide etiam dicta superius *tract. de leg. q.* 2. *cap.* 5. *q.* 2. * Ratio mihi est, quia licet legi certae, ut alias dixi, satisfactum intelligatur satisfactione vere probabili, excepta tamen materia justitiae, id tamen non puto locum habere in praesenti casu. Tunc igitur satisfactione vere probabili satisfit obligationi legis, quando cum incommodo subditi iterum ponendum esset opus injunctum; quia tunc bene praesumitur talem esse mentem legislatoris. Ita qui habet rationem vere probabilem recitasse horas canonicas, non tenetur iterum eas recitare; quia non praesumitur ecclesiam velle ipsum iterum subire tale incommodum, dum prudenter judicari potest obligationi ab ea injunctae satisfactum fuisse. At cum nullum opus iterum ponendum sit, sed solum abstinendum ab aliqua re facienda, si ipsius lex non fuit observata; tunc non puto praesumi posse velle dubitantem de tali observantia non abstinere a re, quae licite fieri non potest, nisi praesupposita observantia legis; cum nullum sit incommodum ab ea re, scilicet in casu nostro, a communione abstinere. Hic proinde bene subintrat illa regula, quod legi certae non satisfit per incertam satisfactionem.

R. II. Non frangitur jejunium naturale, eo quod deglutiantur saliva, et alii humores ex capite defluentes; quia non sumuntur ab extrinseco per modum cibi et potus. Lug. *disp.* 15. *n.* 24. *et* 36. Ita nec si deglutiantur reliquiae ex praeterita coena dentibus adhaerentes: d. Th. *p.* 3. *q.* 80. *a.* 8. *ad* 4. Secus ex eo aliisque dicendum * cum Laym. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 18. Bonacc. *l. c. q.* 6. *p.* 2. *n.* 6. Sylv. *q.* 80. *art.* 8. Suar. *disp.* 68. *sect.* 4. *v. Dico ergo* *, si ex proposito deglutiantur; quamvis neque per hoc frangi jejunium naturale doceat Quarti *p.* 3. *tit.* 9. *d.* 2. *diff.* 1. aliique apud ipsum. Nullatenus tamen adhaererem opinantibus non frangi jejunium naturale ab eo, qui imponeret aliquid in ore ante mediam noctem, si paulatim liquefiat, et post mediam noctem in stomachum descendat; nam vere per modum cibi sumptum est, et perseverat illius manducatio usque ad tempus, quo jejunium naturale frangitur. Lugo *de euch. d.* 15. *n.* 37. Candid. *art.* 25. *dub.* 13. et magis communiter:

Si musca vel culix voluntarie attrahantur, et deglutiantur certum est frangere jejunium naturale; quia possunt habere rationem cibi. Secus dicendum, si involuntarie attrahantur per respirationem; cum jejunium naturale solvatur per actionem comestivam, vel potativam. Candid. *art.* 25. *d.* 8. Pasqual. *decis.* 423. et AA. cc.

Q. VII. An tabaccum frangat jejunium naturale.

R. Quoad tabaccum per nares attractum certum est non frangere jejunium naturale; idemque dicunt, si per nares aliqua pars trajiciatur per accidens in stomachum; quia non sumitur per modum cibi. Pasqual. *dec.* 436. Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *resol.* 120. Idem dicunt de eo, qui praegustando tabaccum in folio, aliquid illius salivae admixtum praeter intentionem trajiceret in stomachum; quia tunc sumeretur per modum salivae. Pasqual. *decis.* 429. aliique ab eo citati. Item ex communi DD. non frangit jejunium naturale, qui visum abluendo, sive per os, sive per nares aliquam aquae guttam salivae admixtam praeter intentionem deglutiret. Quod dictum est de degustante tabaccum, extendit Pasqualigus *dec.* 439. ad eum, qui aliquid fumi tabacci in stomachum trajiceret, eo magis quia fumus cibus non est, quamvis non desint apud eum in contrarium opinantes. * Consulendus est hac de re Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 11. *c.* 13. *et de sacrif. miss. lib.* 3. *c.* 17. qui ob universalem consuetudinem, qua undique permittitur tabacci usus ante communionem, probabilissimam esse docet sententiam; qua dicitur non frangi jejunium *. Quidquid tamen sit de hoc, certum est apud me non posse sine aliqua indecentia ante eucharistiae sumptionem tabaccum degustari, vel illius fumum.

Q. VIII. An frangatur jejunium naturale, si ante eucharistiam aliquid non nutriens deglutiatur.

R. Si deglutiatur lapis etc. ante eucharistiae sumptionem, violari jejunium naturale affirmat s. Th. *p.* 3. *q.* 80. *a.* 8. *ad* 4. et cum eo plures theologi; ipsis etenim videtur frangi jejunium naturale per id omne, quod sumitur per modum cibi, sive nutriat, sive non. Ego etiam alias huic opinioni adhaesi, observando jejunium naturale non imponi eucharistiam suscipientibus solummodo ex motivo temperantiae, sed etiam ob reverentiam tanti sacramenti; cui motivo opponitur etiam, quod non habet rationem cibi. Multi tamen negativae adhaerent opinioni, ut videre est apud Pasqualigum *decis.* 149. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 119. * Pro affirmativa senten-

tia sunt Bonacc. *l. c. n.* 10. Laym. *l. c.* Salmant. *n.* 70. Palaus *tr.* 21. *p.* 13. *n.* 7. negativam vero tenent Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resp.* 28. Contin. Tournel. *l. c. v. Alii* Viva *tom.* 4. *de euchar. q.* 4. *art.* 8. *n.* 5. Spor. et alii, qui omnes nonnulla putant non frangere jejunium; quia omnino indigestibilia, ut lapides, aurum, ossicula quaedam etc. nonnulla vero impedire communionem, ut chartam, terram, ceram, carbones, et iis similia. *

Q. IX. In quibus casibus liceat non jejunis recipere eucharistiam.

R. I. Semper cum sumendum est viaticum, administrari potest etiam non jejunis, ut constat ex concilio Constantiensi *sess.* 13. Quamvis autem magis communiter doceant DD. servandum esse jejunium ab infirmo, qui commode potest jejunare, non desunt tamen qui asserant, quod semper cum sumitur eucharistia per modum viatici, sumi possit etiam a non jejunis, quamvis commode possint jejunare; nam dum Constantiense dicit praeceptum jejunii naturalis non obligare in ordine ad viaticum, non distinguit inter eos, qui commode, vel cum gravi incommodo jejunarent. Leand. *disp.* 5. *q.* 38. Pasqual. *in oper. posth. q.* 249. * Qui jejunium in infirmo etiam per modum viatici communionem sumpturo requirunt expectare sine incommodo valente, sunt Viv. *l. c. art.* 8. *n.* 9. Salmant. *cap.* 7. *n.* 74. et alii apud ipsos qui tamen omnes non nimis scrupulose agendum tradunt, ne dum expectatur, ut jejunus sumat, sine viatico decedere contingat. *

R. II. Licite a non jejuno recipitur eucharistia, dum id necessarium est ad integritatem, vel id exposcit reverentia sacrificii, seu sacramenti. Si igitur necessarium sit recipere eucharistiam sine jejunio, ut perficiatur sacrificium, id omnino fieri debet; cum strictius obliget praeceptum de perficiendo sacrificio, quam praeceptum jejune sumendi eucharistiam. Si proinde sacerdos recordetur post consecrationem non esse jejunum, tenetur missam prosequi: d. Thom. *p.* 3. *q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. Idem dicendum, si celebrans non possit post consecrationem missam prosequi, et non adsit nisi sacerdos non jejunus, qui perficere possit sacrificium. Eadem ratione, qui sumendo calicem advertit aquam loco vini, vel vinum non aptum consecrationi appositum fuisse, debet eam deglutire ratione fragmenti hostiae consecratae, et iterum consecrare, ut suo loco dicetur, et ita sine jejunio calicem consecratum sumere. Lugo *disp.* 15. *n.* 75. Demum quia pertinet ad complementum sacrificii quidquid sacerdos pro sa-

crificio consecravit, hinc sacerdotem etiam sumpta ablutione, posse sumere reliquias, seu fragmenta, quae cognoscit omisisse, habetur etiam in rubricis *de defect. intent. n.* 2. Id etiam extendunt quamplures ad totum tempus, quo sacerdos est ad altare, quia usque dum ibi est, non intelligitur absolute completum sacrificium. Eo vero peracto in sacristia, quamvis sacris vestibus indutus, non potest fragmenta sumere; ni forte sine irreverentia non possent asservari. Laym. *de euch. c.* 6. *n.* 22. et plures alii. Videndus etiam Leander *disp.* 4. *q.* 31.

Dixi sacerdotem sumpta ablutione, seu nondum peracto sacrificio, sumere posse *quidquid pro sacrificio consecravit*; nam quaestio est, an sacerdos post ablutionem sumere etiam possit integras particulas pro communione fidelium consecratas, et sententiam affimativam tenet Lugo *disp* 15. *n.* 81. ea ductus ratione; quia et ipsae spectant ad idem sacrificium, quod perficere debet sacerdos. Verum contrarium habetur ex rubricis *loc. cit. n.* 7. et idem docet cum aliis Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *sect.* 2. *dub.* 3. Cum igitur illae particulae consecratae fuerint pro usu fidelium, non pertinere videntur ad integritatem sacrificii. Solum ergo id liceret, dum non possent sine debita reverentia asservari, ut si non esset tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum.

Dixi etiam in responsione posse sumi eucharistiam a non jejunis, dum id exposcit reverentia sacramenti. Et quidem constat praeceptum naturale vel reverenter tractandi hoc sacramentum, vel impediendi ipsius profanationem praevalere praecepto positivo de observando jejunio. Ob reverentiam igitur debitam sacramento, si particula hostiae calici adhaereat, vel etiam palato, sumi debet cum nova ablutione; et si ista non sufficit, ut hostia deglutiri possit, nova ablutio adhibenda est; ita enim major reverentia demonstratur sacramento, quam si digito removeatur. Vide rubr. *de defec. ministr. n.* 8. Idem dicendum, dum sacerdos purificat pixidem; nam potest reiteratis ablutionibus sumere fragmenta, quae in ea sunt: Quart. *p.* 3. *tit.* 10. *sect.* 2. *d.* 2. Ubi advertendum, quod quamvis magis communiter dicatur non posse sacerdotem sumere post ablutionem reliquias, seu fragmenta alterius sacrificii, siquidem non pertinent ad integritatem sui sacrificii. Lugo *disp.* 15. *n.* 80. Dian. *t.* 1. *tr.* 1. *resol.* 250. nihilominus sumi possunt etiam post ablutionem; dum decenter non possint conservari: unde, ut dixi, iteratis ablutionibus sumi possunt; dum necesse est pixidem purificare.

Ob impediendam etiam profanationem sacramenti, ne male e. g. tractetur ab infidelibus, vel haereticis, sumi potest a non jejuno; ut passim docent theologi. Lugo *disp.* 15. *n.* 87. Idem dicendum esset, si pedibus esset conculcandum propter aliquam imminentem ruinam, vel incendio absumendum. Layman. *de euch. cap.* 6. *num.* 22. * Videantur Suar. *disp.* 68. Laym. *loc. cit. cap.* 6. Continuat. Tour. *loc. cit. a quaest.* 4. Palaus *loc. cit.* qui supradicta ut communia tradunt *.

R. III. Tanquam indubitatum reputat Layman posse aliquem non jejunum eucharistiam recipere, vel celebrare, si ex eo quod non communicet, vel celebret, grave scandalum sit oriturum. Ratio est, quia tunc praeceptum naturale de removendo scandalo praevalet positivo de obligatione jejunii pro eucharistia recipienda: ultraquamquod leges positivae non intelliguntur tam severe obligare. Exemplificant id theologi in sacerdote, qui ante consecrationem recordaretur se non esse jejunum, et si ab altari recederet, praevideret temere de eo esse judicandum, graviter detrahendum etc. Tambur. *in meth. exp. comm. cap.* 2. §. 8. *n.* 33. * cum Laym. sentiunt d. Bonavent. ap. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2. *n.* 12. Sot. Continuat. Tourn. *l. c.* qui docent semper scandalum posse rationabiliter time-i. *

R. IV. Sunt qui asserant licere sacerdoti non jejuno celebrare, si necessitas sit viaticum administrandi, quando non adsint aliae particulae consecratae, putantes ecclesiam non tam rigide imposuisse praeceptum jejunii pro eucharistia recipienda, ut velit ob ipsius observantiam infirmum viatico carere. * ita docent Concin. *l.* 3. *de euch. diss.* 1. §. 5. *n.* 7. Viv. *l. c. n.* 9. Dian. *p.* 8. *tr.* 2. *resol.* 78. Lug. *disp.* 15. *n.* 67. et alii apud ipsum; et hanc sententiam non audet improbare Contin. Tourn. *l. c. ad* 3. *in fin.* * At opinio contraria amplectenda videtur; nam concilium Constantiense concedit quidem infirmo non jejuno recipere posse eucharistiam per modum viatici, at hoc privilegium non favet sacerdoti pro infirmo communicando; et aliunde non tenetur infirmus recipere eucharistiam, quoties ipsi administrari non possit; non servando quae praescribit ecclesia. Videatur Lugo *de euchar. disp.* 15. *n.* 68. * Suar. *disp.* 68. *sect.* 5. Pignatell. *t.* 3. *cons.* 39. *n.* 2. Barbos. *de off. paroch. cap.* 20. *tit.* 40. Salmant. *cap.* 6. *n.* 77. et alii quamplures ap. Lug. et ap. Passer. *de euch. in q.* 80. *comment.* 56. *a.* 8. *cap.* 2. *n.* 6. et demum Benedictus XIV. *de sacr. miss.*

l. 3. *c.* 19. *n.* 6. Verum hic placet adnotare cum Laym. *l. c. cap.* 6. *n.* 21. et Viva *q.* 5. *a.* 6. *n.* 3. hoc fieri tuto posse; in rarissimo tamen casu, quo infirmus sacramentum poenitentiae vel extremae unctionis non posset recipere. *

Q. V. An qui sumpsit eucharistiam, debeat per aliquod tempus a cibo et potu abstinere.

R. Ut notat Layman *de euch. c.* 6. *n.* 23. nullum extat praeceptum de abstinendo a cibo et potu post sumptionem eucharistiae. Observant nihilominus communiter DD. esse aliquam indecentiam statim comedere, vel bibere, et ob reverentiam sacramenti esse abstinendum, quousque species corrumpantur, si commode fieri possit. Eadem ratione monent indecens esse statim post communionem expuere, quamvis particula descenderit omnino in stomachum; et maxime si sputum ex pectore ascendat: nam hoc plus periculi et irreverentiae continet.

Regulae in praxi observandae

I. Non sit nimis facilis confessarius in admittendis quibusdam rationibus, quibus sacerdotes, habentes conscientiam peccati mortalis, putant cum sola contritione potuisse sacrificium celebrare. Dum e. g. adducant absentiam confessarii, si bene interrogentur, constabit etiam longius ituros, quando aliquid lucri percipere potuissent pro aliqua ecclesiastica functione peragenda. Cur ergo et id praestare non debebant pro divino praecepto adimplendo? Si dicant celebrasse, ne populo scandalum praeberent, cum sciat alias solere quotidie celebrare, confessarius interrogando fortasse cognoscet hunc scandali timorem non habuisse, dum omisit missam pro venatione, vel altero saeculari negocio quod illi valde cordi erat. Praeterea omne scandalum removeretur, si alio migrarent ad sua peccata expianda; quis etenim tunc sciret an missam omiserint, nec ne? Addendum tunc intervenire tale scandalum, ut celebrari possit missa, sola praemissa contritione, quando praevideretur grave peccatum sequuturum e. g. gravis detractionis. Hoc autem solummodo intervenire posset, si parochus die festo non celebraret, vel ad summum valde frequenter aliis diebus. Si proinde in aliis casibus habens conscientiam peccati mortalis celebret cum sola contritione, ordinarie loquendo, vera ratio missam non omittendi, erit velle non deperdere consuetam eleemosynam.

II. Quamvis per se, et serio non impediatur a celebrando, seu a communione percipienda, qui pridie, vel eodem die graviter peccavit, si confessione peccatum deleverit, nihilominus consulendum illi est a celebrando, vel a communione abstinere, maxime si peccatum carnis commiserit; tum propter corporalem immunditiam; tum propter mentis evagationem, quae post talia peccata solet remanere. s. Th. *in 4. d. 9. q. 1. a. 4. q. 2. ad 2.* Immo bene est ita peccantibus confessarium aliquando praecipere, ne tam cito ad communionem accedant, ut ita majorem sui peccati horrorem concipiant. Bene etiam est iis suadere, ut antequam accedant ad communionem, curent operibus satisfactoriis delere reatum etiam poenae debitae commissis peccatis; at id non est necessarium, quapropter Alexander VIII. sub n. 22. sequentem damnavit propositionem: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.*

III. Quoad eum, qui passus est involuntariam pollutionem, sequentes regulas dat s. Thomas *p.* 3. *q.* 80. *art.* 7. Videtur igitur debere ex quadam congruitate a communione abstinere propter corporis immunditiam; maxime si evenerit ex turpi cogitatione, unde mentis evagatio perseveret. Id tamen non attendendum, si ratione alicujus diei festivi conveniens sit communionem accipere; vel si non sit alius sacerdos, qui missam celebret. Vult etiam s. Doctor discretum confessarium animadvertere quandoque involuntarias pollutiones ex daemonis nequitia causari, ut impediat hominem a sumptione hujus sacramenti: et in hoc casu neque ex quadam congruentia abstinendum esse a communione.

IV. Quoad exercentes actum conjugalem dicit ibidem s. Th. in responsione ad primum, quod si illum exerceant causa voluptatis, videntur a communione arcendi, sed quia non peccarunt nisi venialiter, certe non tenentur abstinere sub gravi culpa. Si vero exercuerunt actum conjugalem ex solo fine habendi sobolem, vel reddendi debitum, quamvis videatur ipsi ex quadam congruentia, propter foeditatem scilicet corporis, maxime si mentis evagatio perseveret, abstinendum esse a communione, nihilominus concludit relinquendos esse suo judicio. *Quia a nobis non debet prohiberi accipere, qui in igne positus nescit ardere* ait s. Gregorius *can. Vir cum propria* 33. *q.* 4. * Superiores regulae desumptae adamussim videntur ex epistola s. Gregorii ad Augustinum e Lucensi codice eruta, et per reverendiss.

Joannem Dominicum Mansi Lucensem archiepiscopum evulgatam in novissima conciliorum collectione *t.* 10. *pag.* 415. ubi s. Pontifex variis s. Augustini interrogationibus respondet *. Audiatur etiam s. Franciscus Salesius in introduct. ad vit. devot. p. 2. cap. 20. *Per render questo debito non deve alcuno esser privato della communione, se per altro la sua divozione lo spinge a desiderarla. Certo nella primitiva chiesa i cristiani si comunicavano ogni giorno, ancorchè fossero maritati, e avessero la benedizione della generazione de' figli. Per questo ho detto, che la frequente comunione non recava scomodità alcuna nè a padri, nè a mogli, nè a mariti, purchè l'anima, che si comunica, sia prudente e discreta.* Caeterum semper consulendum est iis, qui volunt recipere eucharistiam, ut per aliquod tempus, vel saltem pridie abstineant ab actu conjugali, ut habetur *can. Omnis homo dist.* 2. *de consecr.* et monet catechismus *p.* 2. *n.* 57. * Si vero requiratur a poenitente conjugata confessarius, an possit reddere debitum eo die, vel pridie diei qua communicatura est, observet confessarius, an ista poenitens frequenter eucharistiam recipere soleat, v. g. omnibus dominicis et festis diebus, et tunc reddendum suadeat, ne periculum subeat peccandi contra justitiam, si marito serio petenti neget, et etiam contra charitatem; quia exinde rixae et scandala inter se oriantur, nisi tamen ob mentis evagationem intermittendam satius duxerit consulere: *arg. cap. Vir et c.* 3. *de cleric. conjug.* Laym. *l. c. c.* 6. *n.* 16. *

V. Abstineant omnino ministri ecclesiae a reprehendenda frequenti communione; et meminisse debent, quae respondit s. Catharina Senensis illi, qui ipsam ob frequentem communionem objurgabat, ea ratione qund s. Augustinus non reprehendit quidem frequentem communionem, sed nec laudat. *Quaeso ergo*, ait illa s. Virgo, *nec tu vituperes, si non vis laudare.* Sciant igitur isti non laudabiles criminatores frequentiae communionis communiter ss. PP. frequentiam communionis commendare, propter magnam quam affert hoc sacramentum utilitatem, *et ideo utile est quotidie illud sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat*, ait s. Th. *p.* 3. *q.* 80. *a.* 10. Et sacrosancta Tridentina synodus *sess.* 22. *c.* 6. haec habet: *Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos hujus sacramenti fructus uberior proveniret.*

Satagant potius confessarii, ut frequenter communicantes ad eucharistiam ea, qua par est, devotione et fructu accedant, ut monet s. Congregatio in suo decreto edito circa frequentem communionem an. 1679. 15. Febr. Debitae autem dispositiones ad frequenter communicandum ad sequentes reducuntur. Prima est, ut frequenter ad eucharistiam accedens immunis sit ab affectu etiam peccatorum venialium; quamvis enim non sit, qui ab iis peccatis omnino immunis esse possit, bene tamen carere potest affectu erga eadem peccata. Videatur s. Franciscus Salesius loco supra citato. Secunda est, ut frequenter communicans habeat vehemens desiderium recipiendi eucharistiam, quod tamen oriri non debet ex quadam vitiosa habitudine, ut notat s. Franciscus Salesius, sed ex ardore charitatis: illius autem originem dignoscet confessarius ex fructu, qui ex frequenti communione percipitur. Nihilominus perpendere debet prudens confessarius, quandoque daemonem ad arcendas pias animas a communione reddere illis valde molestum eucharistiam recipere; unde si videat has ex communione fructum recipere, non debet permittere ab ea abstinere. Tertia est, ut ex frequenti communione reverentia erga tantum sacramentum non minuatur; unde *si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem magis augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare*, ait s. Th. *in* 4. *d.* 12. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 1. Quarta est, ut ex frequenti communione dignoscatur communicantem crescere de virtute in virtutem; qua de re legendus Jo. Avila *p.* 1. *ep.* 65. Optat pariter s. Franciscus Salesius, ut quotidie volens eucharistiam recipere, pravas inclinationes fere omnes superaverit. Ultima dispositio, quam omnes et praecipue Salesius vult in iis, qui frequenter ad eucaristiam accedunt, ea est, ut omnino pendeant a judicio confessarii; adeoque decretum s. Congregationis supra citatum haec habet: *Frequens communio confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquenda etc.* * Si quis ulterius confessarius scire velit quo modo se gerere, et quas regulas in concedenda, vel neganda frequentiori communione sequi debeat, adeat Continuat. Tournel. *l. c. c.* 7. *sect.* 3. *in fin. concl.* 5. *

VI. Videat demum confessarius, ut accedentes ad eucharistiam etiam vestium decentia et humilitate internam animi pietatem ostendant. En quomodo s. Carolus *act. p.* 4. vult ad eucharistiam accedendum: *Pallio*, ait, *quantum fieri potest, adhibito, non biretis pileisve pluma inaniter ornatis,*

armis depositis, toto denique corporis habitu decenti, humili, modesto, non sordido. Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco, aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; sed ita vestitae, ut ne praeter faciem quidquam nudum cernatur, velo denso bene super faciem demisso.

* Quoad surdos et mutos a nativitate mihi meo quidem judicio nimis generaliter loquitur Auctor noster, cum supponere videatur omnes indiscriminatim mutos et surdos incapaces omnino esse a simplici pane discernendi hoc venerabile sacramentum; sed revera quammulti eorum ita perspicaci ingenio et mentis acumine se praeditos ostendunt, et per nutus et signa ita res quaslibet etiam ad Deum pertinentes explicant, aeternaeque vitae, vel felicis in coelo praemia, vel miserrimae in inferno poenas demonstrant, nec non peccata in genere non tantum, sed etiam in specie accusant, ut bene argumentari possit in eis adesse cognitio aliqua de hoc etiam sacramento. Cum iis igitur, si alias pietate et morum probitate praestent, liberaliores esse possunt parochi, et non in articulo mortis solum, vel in paschate, sed et in quibusdam solemnioribus anni diebus eos sacra communione reficere, praesertim si eam cupere significent. *Ut quid ergo iis constanter recusetur quod prodesse queat, minus autem quacumque in hypothesi obesse quam caeteris?* ait Contin. Tournel. *loc. sup. cit. p.* 1. *cap.* 6. *concl.* 5. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 4. *n.* 5. Palaus *t.* 4. *tr.* 21. *disp. unic. p.* 10. *n.* 9. qui fatetur aliquem agnovisse, sicuti et ego adhuc agnoscere testari possum, supradictis qualitatibus perquam optime praeditum. Holzman *de euchar. n.* 48. la Croix *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 663. Reiff. *theol. moral. tr.* 10. *dist.* 3. *q.* 4. *num.* 45. Videantur demum decis. Luc. an. 1747. pro mens. Mart. *cas.* 3. *

* Cum communis theologorum opinio ferat, exceptis paucissimis, non dari in hoc eucharistico jejunio materiae parvitatem neque ex parte rei quae degustaretur, neque ex parte temporis, ut si aliquot tantum minutis post mediam noctem, vel modicum quid edatur aut bibatur, bene advertat qui vel celebrare vel eucharistiam sumere vult, ne a primo horologii ictu mediam noctem signante vel minimum quid degustet; ita Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *n.* 40 Lug. *disp.* 15. *n.* 37. la Croix *l.* 4. *n.* 486. *et l.* 6. *p.* 1. *n.* 580. Contin. Tourn. *de euch. p.* 1. *cap.* 6. *art.* 2. *sect.* 1. *q.* 3. Passer. *de euch. in q.* 80. *a.* 8. *comment.* 56.

c. 1. *n.* 37. *et* 42. Si vero plura sint horologia non bene inter se convenientia, quod ordinario evenit, tunc standum erit ei, quod prudenti quidem judicio melius directum putatur: Contin. Touruel. *l. c.* Bene autem, ait idem Doctor, ab iis anxietatibus se tuentur viri timorati. Lug. *de euchar. disp.* 15. *a n.* 49. *

* Ex doctrina superius tradita, quod nempe non sit necesse expectare, ut infirmus viaticum accipiat jejunus, etiamsi hoc possit praestare sine periculo, vel incommodo, tuta conscientia poterit parochus ei communionem per modum viatici in vespere tradere, etiamsi mane, vel statim post mediam noctem sumere posset jejunus. Poterit pluries eodem modo communicare in eadem infirmitate, et ex multis aliis se liberabit perplexitatibus, quae ei accidere possunt. Revera enim aliquid semper incommodi reperiri facile potest, vel ex parte infirmi, vel ex parte ipsius parochi. Quae incommoda recensent Lug. *l. c. disp.* 15. *n.* 79. Barbos. *de off. paroch. cap.* 20. *n.* 41. Reiff. *theolog. moral. tr.* 10. *dist.* 3. *q.* 3. *addit.* 1. *post n.* 36. *

* Non pauci nec spernendi theologi sentiunt non oportere communicaturum certum esse de jejunii naturalis observantia, ac propterea posse eucharistiam recipere, etiamsi illud violasse dubitet, ut cum Gobat, Jo. Sanch. Dicastillo docent Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 36. Spor. *p.* 2. *theol. sacram. cap.* 6. *sect.* 7. *n.* 474. Bosco *de sacram. disput.* 4. *sect.* 2. *conclus.* 6. Ligor. *theol. moral. lib.* 1. *tr.* 1. *n.* 80. *et l.* 6. *tr.* 3. *n.* 282. Reiff. *l. c. addit.* 3. *post n.* 33. *

CAPUT VI.

De obligatione sumendi eucharistiam.

Q. I. An extet praeceptum de eucharistia percipienda.

R. I. Suppono eucharistiam, non esse ad salutem necessariam necessitate medii; nam dogma fidei est, hominem statim post baptismum e vita exeuntem, vel ad Deum sincere conversum, aeternam vitam consequi, dicente Christo Domino. Marc. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Eo quod eucharistia non sit necessaria necessitate medii ad salutem, ecclesia convenientius judicavit mutare disciplinam, qua parvulis statim post baptismum eucharistia administrabatur, ut habetur etiam ex Tridentino *sess.* 21. *c.* 4. et *can.* 4. anathema dicit dicentibus eucharistiam necessariam esse parvulis, antequam ad annos discretionis

pervenerint. Respectu vero adultorum, qui non possent eucharistiam recipere, dicendum est necessarium esse ad salutem necessitate medii votum saltem implicitum illam recipiendi, ut statim ex s. Thoma constabit.

* Quomodo vero intelligi debeat, quod dicit s. Thomas, quod eucharistia sit necessaria in voto saltem implicito, quodque varie accipitur a doctoribus. Alii enim includunt sub hac necessitate saltem in voto etiam infantes; alii vero necessariam negant necessitate medii tam pro adultis, quam pro infantibus; alii denique solis adultis hanc necessitatem adstruant. En Sylvius, qui s. Doctoris mentem attigisse ratus ita de hac necessitate loquitur in *q.* 73. *a.* 3. ubi idem s. Doctor de ea expresse loquitur. *Quod dicit s. Thomas in baptismo includi votum eucharistiae, de voto improprie, et per accomodationem dicto est accipiendum; quatenus cum eucharistia sit finis omnium sacramentorum, omnis autem res inclinatione quadam, seu desiderio propendeat in suum finem, is qui baptizatur, quasi ipso pondere et inclinationem gratiae baptismalis propendet in perfectam unionem cum Christo, quae habetur per eucharistiam. Immo gratia baptismalis disponit quodammodo baptizatum, ut suo tempore velit eam suscipere; haec autem dispositio votum quoddam, seu desiderium est illius suscipiendae; sicut acceptatio medii est quoddam desiderium finis, et incohoatio rei alicujus est tacitus quidam appetitus consummationis* *.

R. II. Extat praeceptum tum divinum, tum ecclesiasticum de eucharistia percipienda. *Duplex est modus*, ait s. Th. *p.* 3. *q.* 80. *art.* 11. *percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis, et sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare; quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc sacramentum. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non solum ex statuto ecclesiae, sed ex mandato Domini dicentis* Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex statuto autem ecclesiae sunt determinata tempora exequendi Christi praeceptum.

Q. II. Quando obliget praeceptum divinum de eucharistia percipienda.

R. I. Cum constet aliquando eucharistiam necessariam quodammodo esse ad salutem, unde Christus Dominus Jo.

6. ait. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, consequens est obligationem praecepti illam sumendi explicandam esse juxta efficaciam et naturam hujus sacramenti. Cum igitur institutum sit per modum cibi et potus ad reficiendas vires spirituales animae, non videtur satisfieri divino praecepto de eucharistia sumenda, si aliquoties in vita recipiatur; nam crebrius videtur sumendum, quod habet rationem cibi spiritualis. Puto tamen praeceptum divinum de eucharistia sumenda non obligare, ut pluries intra annum recipiatur; nam si semel recipiendo divino praecepto non satisfieret, ecclesia non semel recipiendum praeciperet, ut postea dicam. E contra non satis mihi arridet ea opinio, quae dicit satisfieri divino praecepto de comunione recipienda, si semel intra duos, vel etiam tres annos recipiatur; nam ita nimis late explicatur praeceptum de recipiendo sacramento instituto pro spirituali alimonia ad animae vires reparandas. * Videantur Lugo *disp.* 16. *n.* 20. Contin. Tourn. *cap.* 7. *a.* 2. *sect.* 2. §. *An autem*, qui opinionem refellunt Suar. *disput.* 69. *sect.* 3. et aliorum asserentium sufficere ad hujus praecepti observantiam semel tertio vel quarto anno sumere eucharistiam *. Dixi supra, hoc praeceptum *per se* non obligare, nisi semel in anno; nam *per accidens* potest esse obligatio crebro eucharistiam recipiendi, tunc nempe quando quis frequentem eucharistiae sumptionem expertus esset omnino necessariam ad peccatum praecavendum.

R. II Praeceptum divinum de eucharistia recipienda obligat in periculo mortis, ut magis communiter docent theologi. Ratio est, quia semper viguit in ecclesia praxis administrandi eucharistiam in articulo mortis constitutis, ut in decret. *caus.* 26. *q.* 6. Reputatur auter maximum indicium aliquid ex divino jure derivare, si semper adfuit de illa re praeceptum, et illius initii non extet memoria. Addendum quod cum praeceptum de eucharistia percipienda aliquo tempore obliget, nullum tempus magis aptum pro ipsius obligatione potest concipi, quam mortis articulus; cum tunc summa sit necessitas hoc supersubstantiali cibo animae vires reparandi. Salmant. *scholast. de euchar. disp.* 11. *dub.* 4. §. 1. * et eruitur ex *can.* 13. Nicaeni concilii relato in *suprad. cap. De his* 26. *quaest.* 6. *

Q. III. Quinam intelligantur constituti in articulo mortis; et an omnibus in eodem articulo constitutis ministranda sit eucharistia.

R. I. In quolibet mortis periculo urget praeceptum eucharistiam recipiendi, propter necessitatem scilicet reparandi animae vires contra daemonis tentationes. Dixi in quolibet mortis periculo, ad innuendum hanc obligationem adesse, sive periculum oriatur ex infirmitate, sive ex violentia, sive ex bello, sive ex periculosa navigatione etc. Tambur. *in meth. expedit. com. c.* 5. §. 1. *n.* 2. et communiter. Hinc s. Pius V. ut legitur in ipsius vita, improbavit consuetudinem non administrandi eucharistiam damnatis ultimo supplicio; ac proinde dicendum est judicem tempus concedere debere, ut isti eucharistiam percipiant, si aliqua specialis circumstantia contrarium non suadeat. Facun. *in* 3. *praecept. eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. * Hac de re scripsit s. Pontifex efficacissimam epistolam inter collectas a Francisco Goubau *l.* 2. *n.* 2. ad Archiepiscopum Rossanensem suum in Hispaniis nuntium, eique mandat, ut toto conatu apud Hispaniarum Regem agat et suadeat, ut legem, qua prohibebatur communio reis capite damnatis, abrogare velit. Verum ubi invaluit consuetudo negandi hujusmodi reis sacram communionem, ut in Hispania et in Gallia, ubi testante Cont. Tourn. *l. c.* etiam nunc viget, neque probandum, neque refellendum ait Benedictus XIV. *de sacrif. miss. lib.* 3. *c.* 20. §. 6. *

R. II. Cum constet omnes adultos constitutos in articulo mortis obstringi praecepto eucharistiae recipiendae, solum dari potest exceptio quoad observantiam hujus praecepti ratione alicujus circumstantiae. Praecipua est rationabilis timor irreverentiae; ut si periculum esset, ne infirmus particulam posset deglutire, seu quod illam evomeret, expueret etc. Hac ratione quamvis ex d. Thoma *in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 5. dicatur eucharistiam administrandam esse ei, qui post usum rationis incidit in amentiam, si non constet amisisse usum rationis in statu peccati mortalis, nihilominus valde cautus debet esse parochus, et bene consideret, an addita amentiae morbi incommoditate, possit esse periculum irreverentiae, idem observet, dum administraret viaticum non habenti ratione morbi usum rationis.

Mihi autem omnino certum est eucharistiam administrandam pueris doli capacibus, constitutis in articulo mortis, adeoque, ordinarie loquendo, statim post septennium. Ratio mihi est, quia cum non constet extra talem articulum, quando obliget praeceptum de eucharistia percipienda, bene hoc relictum est judicio ecclesiae, ut ipsa consideret, quando

expediens sit pueros ad eucharistiam admittere, ut eam debita cum reverentia suscipiant. At habemus praeceptum divinum de eucharistia percipienda in periculo mortis, et necessaria est pueris doli capacibus, adversus ut diaboli tentationes roborentur; quapropter sicut ipsi tali praecepto obligantur, ita tenentur parochi illis administrare. Salmant. *scholast. de euch. disp.* 11. *dub.* 4. §. 1. * et expresse docent Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 4. *n.* 3. Suar. *disp* 70. *sect.* 1. *in fin.* Immo Benedictus XIV. *de syn. dioec. lib.* 7. *c.* 12. docet recte et sine reprehensione posse ab episcopis in synodalibus constitutionibus parochus compelli ad administrandum viaticum pueris mox decessuris *. Immo non desunt, qui dicant administrandam eucharistiam pueris, de quorum usu rationis dubitatur, si sint in periculo mortis, cum ex una parte illis consulatur, ex alia vero nulla fiat injuria sacramento: Lug. *de euch. d.* 13. *n.* 41. Leand. *de euch. d.* 3. *quaest.* 8. * Reiff. *theol. mor. tr.* 10. *dist* 3. *q.* 4. *addit. post. num.* 43.*. Denique qui dicunt surdis et mutis a nativitate ministrari posse etiam in vita hoc sacramentum, multo magis adstruunt obligationem illis administrandi in periculo mortis. Hac tamen in re parochum aliorum judicio relinquo; nam si verum sit praeceptum divinum de eucharistia percipienda non obligare eos, qui nunquam potuerunt inter panem coelestem et terrestrem discernere, mihi non constat respectu surdi et muti a nativitate esse posse talem discretionem, ut dixi etiam capite superiori. * Vid. addita superius in *reg. pract.* *

Q. IV. An intelligatur satisfecisse huic praecepto, qui suscepit eucharistiam aliquo tempore, antequam incideret in periculum mortis; et quando iterum quis debeat, vel possit recipere viaticum.

R. I. Cum finis praecepti viaticum suscipiendi sit reficere animae vires contra daemonis luctam, ego puto hoc praeceptum admittere moralem latitudinem; adeoque non teneri ad suscipiendum viaticum, qui tres, aut quatuor dies ante periculum mortis communicaverit; quia obtinuit finem praecepti et ex tali fine intelligitur praeceptum hoc modo esse intelligendum. Salm. *sch. de euc. d.* 11. *dub.* 4. §. 1. Lug. *de euc. d.* 16. *sect.* 2.* Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 5. *n* 4. Pal. *tr.* 21. *d. un. p.* 14. *num.* 7. et alii pene innumeri apud Pasqualig. *in theor. eor. qui in peric. mort. const. q.* 271. *n.* 1. Licet non desint qui contrariam opinionem acriter sustineant, ut Concina, Contin. Tourn. *l. c. v. Quaeres*, et alii apud Salm. *de euch. cap.* 8. *n.* 7. et Pasqualig. *ubi sup. n.* 3. secus si

ex. gr. fluxerint octo, vel decem dies a communione peracta; nam intra tale tempus, quia multa committuntur peccata saltem venialia, animae vires debilitantur, adeoque indigent nova reparatione. Ex supradictis etiam pro certo habeo, quod qui ea die, qua recepit eucharistiam, incidit in periculum mortis, non teneatur sumere viaticum. Non nego aliquos non solum dicere posse, sed etiam debere illud sumere; quia quando communicavit, nondum urgebat praeceptum sumendi viaticum, adeoque ipsis videtur non satisfecisse. * Haec docent Hurtad. *de euch. disp.* 11. Pellizzar. Dicastil. Quintanadv. et alii apud Dian. *p.* 10. *tr.* 11. *resol.* 40. * At ego ex dictis certe puto satisfecisse. Caeterum non damnarem qui ex praesumpta mente piae matris ecclesiae huic moribundo viaticum administraret; quamvis Salmaticenses *l. c.* absurdum reputent bis eadem die eucharistiam recipere. * Auctoris nostri sententiam probabilem putant, eique adhaerent Reiffenst. *l. c. n.* 36. et multi, quos tacito nomine affert Lug. *l. c. n.* 50. et Benedictus XIV. *l. c. cap.* 11. *n.* 2. *

R. II. Qui post sumptum viaticum incidit in mortale, valde probabile est debere illum iterum recipere, si fieri possit sine admiratione etc. Ratio est, quia hoc praeceptum ideo obligat, ut moribundus acquirat vires ad fortiter resistendum daemoni; unde cum ratione talis finis fuerit impositum, bene credi potest urgere, quoties datur talis necessitas, et haec utique datur, quoties quis post receptum viaticum peccavit mortaliter. Sot. *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *a.* 11. et alii. Scio non paucos huic assertioni refragari, quamvis et ipsi consulant iterum sumere viaticum. Lugo *de euch. disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 46. * et hoc praesertim si aliquot dies supervixerit; quia tunc omnis cessaret admirationis periculum. Contin. Tourn. *l. c. q.* 2. *resp.* 2. *ad* 3. *

R. III. Quam maxime variant DD. in determinando tempus quo moribundus possit iterum viaticum suscipere. Aliqui dixerunt debere triginta dies inter unam et aliam sumptionem intercedere; * Villalob. *in summ. p.* 1. *tr.* 7. *dub.* 38. ita explicans indefinitam Navarri assertionem. Alii vero cum Suar. *disp.* 68. *sect.* 5. decem aut octo dies requirunt; * alii vero dicunt, quod, qui hodie non jejunus per modum viatici communicavit, potest iterum sequenti die non jejunus eodem modo communicari. Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 20. Hurtad. *de sacr. disp.* 9. *diff.* 1. Ego ex una parte considerans Christum instituisse sacramenta ob auxilium

animarum, et ex alia praesumendum esse piam matrem ecclesiam velle moribundis, quantum fieri potest, opitulari, praefatam opinionem absque scrupulo ad praxim redigerem, quoties prudens ratio id mihi suaderet. * Hanc opinionem tuetur Palaus *ubi sup. p.* 13. *n.* 14. Dicast. *de euch. disp.* 9. *n.* 15. *et n.* 334. * Primo ergo non refugerem ita agere, quoties magna esset pietas moribundi, unde non parum solatii et auxilii ex communione reciperet, vel aegre ferret ea carere. Secundo id egi in casu, quo cuidam nobili mulieri subita apoplexia correptae primo administratum fuit viaticum signis non omnino certis contritionis. Dum igitur die sequenti viderim in ea nova aliqualia signa absolutionis, et eucharistiae desiderandae, putavi non esse redarguendum, si iterum non jejunam per modum viatici communicandam duxerim. Non erat omnimoda certitudo vel absolutionem, vel eucharistiam cum supernaturali dolore accepisse, unde, ut quo fieri posset, ipsius saluti consulerem, iterum duxi communicandam; nam si in illo lucido intervallo actum doloris elicere illi a Deo datum esset, ex eucharistiae sumptione remansisset justificata, quando non fuisset in statu gratiae: et quamvis in tali statu fuisse crediderim, quis tamen, nisi Deus, cordis secreta novit? * Quod hic actum a se testatur Auctor cum nobili foemina, actum quoque pridem narrat Pasqualig. *ubi. sup. q.* 255. *n.* 12. *in fin.* Romae cum quodam pio eminentis. cardinali, qui an idem sit, de quo Pax Jord. *lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 29. *lucub. divers.* nescio. *

Caeterum omnes conveniunt, quod si cesset periculum in quo infirmus sumpsit viaticum, ac deinde reincidat in novum periculum, possit et debeat iterum illud sumere. Verum tamen est, non judicandum esse cessasse primum periculum per hoc, quod post sumptum viaticum per duos e. g. vel tres dies melius se habuerit.

Q. V. Quando ex vi praecepti ecclesiastici teneamur recipere eucharistiam; et quomodo sit adimplendum.

R. I. Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap. Omnis utriusque sexus*, obligat omnes fideles, postquam pervenerunt ad usum rationis, ad saltem semel in anno peccata confitenda, et ad suscipiendum *ad minus in pascha euchar. sacramentum*. Ego autem primum considero praeceptum de recipienda eucharistia saltem intra annum, esse etiam divinum, ex dictis supra. Secundo considero praeceptum ecclesiae duo continere, nempe quod non praetereat annus,

absque eo quod fideles eucharistiam recipiant; id enim credere est principaliter voluisse ecclesiam; et quod recipiatur in paschate ad recolendam memoriam institutionis tanti sacramenti.

Hinc certum est omnes non impeditos debere ex vi praecepti ecclesiae sumere eucharistiam intra tempus paschale, nempe intra illos quindecim dies, qui intercedunt a dominica Palmarum, usque ad dominicam in Albis inclusive, ut declaravit Eugenius IV. in sua bulla incipiente *Fide digna etc. bullar. Rom. tom.* 1. *pag.* 359. Deinde apud me certum est, impeditos, seu qui culpabiliter omisere recipere eucharistiam intra tempus paschale, adhuc debere illam recipere; tum quia ex divino praecepto obstringuntur; ne ultra annum differant, et obligationem talis praecepti non potest dici in paschate cessare; tum quia et ipsa ecclesia principaliter intendit, ne communio ultra annum differatur, unde nec intendere potuit post tempus paschale non amplius urgere obligationem praecepti, sed determinasse tempus paschale, non ut postea cessaret obligatio, sed ne ultra differatur satisfactio. Lugo *de euch. disp.* 16. *n.* 66. Avers. *q.* 8. *sect.* 3. Palaus *tr.* 21. *p.* 15. *n.* 7. Demum ego omnino credo, quod qui praevidet impedimentum futurum tempore paschali, debeat communionem anticipare, quamvis non pauci id negent. Ratio constat ex dictis, nam tam praeceptum divinum, quam ecclesiasticum praecipue intendunt, ut ultra annum eucharistia non differatur; unde non considerandum est solum tempus paschale pro tempore, quo haec praecepta sunt adimplenda, sed integer anni cursus, et quod ultra hunc non differatur. Sicut igitur qui integrum annum haberet pro solutione facienda, cum obligatione illam non prorogandi, deberet solvere ante finem anni, si praevideret in fine illius non esse soluturum, ita in casu nostro. * Suar. *disp.* 70. *sect.* 1. Contin. Tourn. *de* 5. *ecclesiae praecep. cap.* 5. Salmant. *de euch. cap.* 8. Reiff. *theol. mor. tr.* 10. *dist.* 3. *q.* 4. et alii communiter *

E contra qui intra annum percepit eucharistiam, non teneretur ante tempus paschale communicare, etsi praevideret eo tempore impediendum, quia quod praecipuum est in praecepto adimplevit. Idem dicendum de eo qui quamvis praevideret impediendum ab eucharistia recipienda tempore paschali, nihilominus videt paulo post sibi commodum futurum communicare; nam stante justo impedimento, bene dici potest tam praeceptum divinum, quam ecclesiasticum aliquam moralem lati-

tudinem admittere: et intra tempus limitatum non urgere. Quod si aliquis communicavit ante tempus paschale, quia credidit eo tempore se fore impediendum, si praeter opinionem cesset impedimentum, ego credo iterum debere communicare; quia praeceptum ecclesiasticum duo continet, nempe de recipienda eucharistia intra annum, et de recipienda in paschate, unde non plene satisfecit praecepto, qui ante tempus paschale communicavit. Laym. *de euch. cap.* 6. *n.* 9. Lugo *disp.* 13. *n.* 78.

R. II. Ut fiat satis praecepto de communione paschali, sumenda est eucharistia in statu gratiae. Et quidem si consideretur etiam ex divino praecepto saltem intra annum esse communicandum, statim patet id faciendum esse in statu gratiae; sed et id faciendum est ex vi praecepti ecclesiae, quia potestatem habet praecipiendi actus internos, quando necessarii sunt ad bene exercendos actus externos, ut dixi *tract.* 3. *quaest.* 1. *cap.* 5. *quaest.* 2. *resp.* 2. Contrariam opinionem damnat Innocent. XI. *sub n.* 55.

Q. VI. An aliqui sint, qui excusentur ab eucharistia recipienda in paschate.

R. In cap. cit. *Omnis utriusque sexus* permittitur de consilio proprii sacerdotis differri comunionem ultra tempus paschale. Interim tamen qui ex hoc capite eam differt, debet facere quantum potest, ut rite disponatur ad eucharistiam suscipiendam: * Contin. Tourn. *l. c. q.* 12. ubi licet doceat non peccare eum qui comunione ultra paschale tempus differt, cum differre debet, peccasse tamen ait, cum ex sua negligentia in eo se statu constituit, ut differre deberet*.

Quamvis autem in eodem capite praecipiatur, ut in paschate suscipiant eucharistiam omnes, *qui ad annos discretionis pervenerint*; nihilominus ex praxi ecclesiae id cum aliqua latitudine intelligendum est quoad pueros, ita ut nempe ipsis non concedenda sit eucharistia, nisi in eis talis usus rationis appareat, ut actuali devotione valeant illam recipere; id enim exposcit, extra casus necessitatis, reverentia tanto sacramento debita. Talem usum rationis putat s. Th. *in* 4. *dist.* 9. *a.* 5. esse in pueris decem, vel undecim annorum; at in praxi dignoscitur, ut alias dixi, quosdam citius, multos etiam tardius, talem rationis discretionem habere, ut cum debita reverentia et devotione recipere possint eucharistiam.

Q. VII. Qua in ecclesia satisfaciendum sit praecepto de communione paschali.

R. Communis opinio est unumquemque debere recipere in paschate eucharistiam a proprio parocho, si ab eo licentiam non habeat illam alibi recipiendi, quam licentiam putant sufficere, si sit tacita vel praesumpta. Tambur. *de sacra com. c.* 4. §. 4. *n.* 43. Bonacc. *de euch. q.* 7. *p.* 2. *n.* 7. * Reiffenst. *loc. cit. numer.* 39. *. An vero sufficiat illam recipere in ecclesia cathedrali, variant DD. Ego puto attendendam consuetudinem locorum; nam si consuetudo vigeat, ut unusquisque pro suo arbitrio etiam in ecclesia cathedrali communicet in paschate utique satisfaciet praecepto; utpote quia episcopus, qui est parochus universalis, censetur consentire. * Pro hac nostra Lucana dioecesi adest permissio concessa in ultima synodo Fabii Colloredo *pag.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. dummodo tamen a parocho cathedralis fidem recipiant de communione peracta proprio parocho exhibendam *. Secus dicendum, ubi non est talis consuetudo; nam tunc de parochiano alterius paroeciae non verificatur eucharistiam suscipere a proprio parocho, uti extat praeceptum. Dian. *t.* 2. *tr.* 2. *resol.* 15. Anton. a Sp. S. *d.* 10. *n.* 270. quamvis aliqui refragentur.

Difficultas est quoad peregrinos, quos aliqui volunt satisfacere praecepto de communione recipienda, si illam pro suo libito in quacumque ecclesia recipiant. At melius dicuntur debere eam recipere a parocho parochiae, in qua versantur; nam quoad communionem recipiendam fiunt incolae parochiae, in qua morantur, ex declaratione Eugenii IV. apud Passerinum *tom.* 2. *quaest.* 187. *a.* 1. *num.* 978. * (1) Vide dicta superius *cap.* 4. *

Demum sacerdotes ubivis celebrent, satisfaciunt praecepto paschali; nam talis videtur esse consuetudo. Bonacc. *de euch. q.* 7. *pag.* 2. *num.* 7. (2)

Regulae in praxi observandae

I. Nunquam satis redargui possent, si aliqui essent parochi, qui ob timorem perterrefaciendi infirmos, vel ob quamdam non laudabilem erga personas nobiles reverentiam, tamdiu differrent illis administrare ss. viaticum, ut ex gravitate morbi vix agnoscere possent quid faciant. Sciant

(1) Idipsum a fortiori dicendum est de vagis, quidquid in contrarium dicant nonnulli apud Lig. *l.* 6. *n.* 289.

(2) Intellige *si celebrent*, alias tenentur communicare in Parochia ut alii Laici, Lambert. *Instit. Ecclesiast.* 55. § 7. et 8.

non solum eos privare illo majori fructu, quem ex virtute sacramenti obtinerent, si possent melius se ad illud disponere, sed ulterius fortasse ex hoc illos in aeternum damnandos. Quis etenim scire potest, an ratione confessionis in gratiam redierint? ratione etenim morbi carere potuerunt necessaria dispositione. Si ergo nondum morbo nimis oppressis eucharistiam administrarent, admonendo illos, ut praemittant dolorem suorum peccatorum, justificari potuissent mediante eucharistia, adeoque et aeternam consequi salutem.

II. Nunquam pariter satis redarguendi, si qui sint ita segnes parochi, ut dum viaticum rudibus personis debent administrare, non prius cum infirmo aliquo tempore agant de pietate, devotione, ac dolore suorum peccatorum, quo tantum sacramentum debet recipere; et post acceptum viaticum, si possibile sit, non redeant ad rudem infirmum, ut illum adjuvent et instruant de gratiis agendis divino hospiti, aliisque virtutum actibus exercendis. Non raro videntur rudes infirmi ita ss. viaticum accipere, ut nec antea, nec postea aliquod pietatis signum demonstrent.

III. Non abstineant parochi ab administranda eucharistia pueris post usum rationis in periculo mortis constitutis. Universaliter etiam ipsis suadeo, ut dum adest opinio vere probabilis pro iterum administranda eucharistia infirmo, non renuant, si possint, eam in praxi amplecti; nam cum Christus Dominus in favorem animarum sacramenta instituerit, videtur dicendum praecipue in periculo mortis nobis opitulari voluisse. Dixi, si possint; nam bene scio non facile esse parochis eucharistiam frequenter a propria ecclesia ad eumdem infirmum deferre; hoc tamen facillimum redditur, si in domo infirmi oratorium sit, in quo possit missa celebrari.

* Hoc demum facillimum erit, si posthabita laborum et expensarum ratione, toti animarum sibi commissarum utilitati incumbant. Saepe autem sub falso et emendicato praetextu latet nimis gravium expensarum metus, et nonnulli, ut modicum quid cerae insumptioni parcant, non verentur infirmos suos sine communionis participatione diu vivere, non sine suorum parochianorum murmuratione. Tanta digna reprehensione res, ut, *si velit, episcopus poenas etiam in parochos decernat, qui post plurimum temporis, eucharistiam ad eumdem infirmum, eam devote efflagitantem falsis quibusdam et emendicatis praetextibus denuo deferre obstinate detrectant*, ait summus pontifex Benedictus XIV. de syn. dioeces. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 5. Prudentia vero opus est et

diligentia cum iis qui diuturna, sed minime periculosa infirmitate detinentur; si enim iis virtutibus utantur parochi, media facillime adinvenient; quibus et eorum devotioni inserviant, et a constanti ecclesiae praxi, nec communiori theologorum opinione discedant, et notam vitent, quasi novam in eucharistia infirmis ministranda disciplinam invehere velint *.

IV. Diligentissimus debet esse parochus in investigando, an sui parochiani satisfecerint praeceptis de annua confessione et communione: si etenim negari non possit munus proprium spiritualis pastoris esse aeternae saluti ovium sibi commissarum invigilare, certe valde deficiet in suo munere, si de observantia talium praeceptorum non certioretur. Sed quia in omnibus praecedere debet prudentia, advertat viros ac mulieres probatae vitae non sine injuria de schedula confessionis peractae exhibenda posse interrogari. Si vero tales sint aliquorum mores, ut merito de confessione peracta dubitet, videat ita schedulam confessionis expostulare, ut sibi injuriam fieri non putent, sed dicat id facere ne proprio officio deficiat; itemque non coram aliis de hoc interroget, nam statim occasio daretur de mala ipsorum vita saltem suspicandi.

* Quot, quantasque turbas, et contentiones acerrimas excitavit in Gallia consuetudo, quae nostris temporibus obtinere cepit, denegandi scilicet sacramenta etiam in mortis articulo iis, qui peractae confessionis schedulam una cum confessarii nomine exhibere renuebant! Quidam nimio aspero zelo perducti, sacrum viaticum omnibus indiscriminatim denegabant, eo praetextu, quod cum nollent fidem scriptam de confessione peracta exhibere, sese refractarios constitutioni *Unigenitus* ostendebant. Ad has igitur tollendas et sedandas turbas, quae ex hujusmodi praxi exortae erant, statuit idem Benedictus XIV. in sua ad cardinales, archiepiscopos et episcopos encyclica epistola data 16. Octob. 1756. *t. 4. bullar. pag.* 480. ut haec praxis locum habeat cum publicis et notoriis refractariis, qui tales, vel per sententiam a judice competente latam, vel per facti notorietatem et scandalum ut tales declarati sunt. Alios vero, adversus quos certum non suppetit fundamentum judicandi oppositos venerationi et obsequio dictae constitutioni debito, a sacro viatico non esse repellendos, ecclesiasticis regulis, et conciliorum in ipsa Gallia habitorum decretis, et gravium ipsius nationis theologorum sententiis innixus *.

Commodius exposcet parochus schedulam communionis ab omnibus indifferenter; cum id respectu omnium sit in usu. Nihilominus et in hoc agnovi quosdam parochos nimis diligentes; quosdam scilicet, qui jure sibi exhiberi volebant schedulam communionis ab iis, qui rure, sed intra dioecesim, per aliquod tempus commorati fuerant, unde satisfecerant praecepto communionis paschalis ubi morabantur. Credidi non posse eam jure exigere; nam ipsorum parochus quoad communionem paschalem erat parochus loci, ubi morabantur, unde si huic praecepto non satisfecissent, ad ipsum pertinebat episcopum monere; adeoque si non monuit, signum erat propriae satisfecisse obligationi. Accedebat eos, a quibus exigebant schedulam communionis, quam frequenter etiam intra annum solitos fuisse eucharistiam percipere; et per consequens oriri non poterat in parocho civitatis dubium rationabile eam in paschate omisisse, adeoque non conveniens fuisse sollicitum esse de schedula sibi exhibenda. Aliter discurrendum de parochianis, qui tempore paschatis extra dioecesim morabantur; nam si hi in paschate non communicaverint, innotescere haud potest proprio parocho; quapropter conveniens est ab eis schedulam communionis exigere, maxime si non sint vitae probatae.

V. Non bene se gerunt illi parochi, qui indiscriminatim non admittunt ad communionem pueros, nisi postquam ad certam aetatem pervenerint, puta nisi attigerint annum duodecimum. Cum teneantur eucharistiam suscipere statim ac tale lumen rationis illucescit, ut possint ad eam debita cum devotione accedere, et si illud in aliquibus etiam ante talem aetatem appareat, isti arceri non possunt ab eucharistia, et munus est parochi illos diligentissime instruere, ut possint tantum sacramentum recipere.

* Ne exponatur eucharistia periculo irreverentiae, dictum est superius, ministrandam non esse infirmo, qui timeretur ne evomeret. Sed parochus ut ex una reverentiae tanto sacramento debitae, et ex altera parte spirituali ejusdem utilitati consulat, juxta sententiam Salmant. *cap.* 8. *n.* 74. poterit ei prius praebere particulam non consecratam, ut experiatur ex ea, utrum tuto ac decenter possit ei postea consecratam ministrare; nam si non consecratam retineat, debet ei viaticum ministrare, secus si rejiciat. Vid. Ferrari *v. moribundus n.* 6. *

* Non negandum doctrinam de dando viatico moribundo eadem die, qua ante mortis periculum, vel missam celebra-

vit, vel communionem ex devotione recepit, acriter ex utraque parte agitari; docent enim Hurtad. *de euch. disp.* 11. *dist.* 2. Pellizzar. Dicastil. Quintanad. et alii apud Dian. *p.* 10. *tr.* 11. *resol.* 40. hunc moribundum teneri denuo se reficere sacra communione, neque per communionem antecedentem satisfacere potuisse praecepto communionis in mortis articulo, quod nondum urgebat. Alii contra tradunt hunc non solum ab hoc praecepto immunem, sed recipere non posse sine piaculo; cum nulli fas sit bis eadem die communionem recipere, solumque id permissum parocho duas administranti parochias in aliquo extraordinario eventu, de quo Benedictus XIV. *de canonizat. SS. lib.* 3. *cap.* 38. Suar. *de euch. disp.* 69. *sect.* 3. Lugo *disp.* 16. *n.* 52. Coninck. *q.* 80. *art.* 11. *dub.* 3. *n.* 100. Alii media incedunt via, et posse, si velit denuo per modum viatici communione refici, nullo tamen praecepto ad hoc teneri docent. In tanta opinionum varietate, doctorumque discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti sibi magis arridentem, neque reprehendendus erit si eam ministret, sed neque suo muneri defecisse dicendus si neget; cum unaquaeque harum sententiarum suos et quidem gravissimos habeat patronos theologos. Videatur Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 2. *

CAPUT VII.

De effectibus eucharistiae

Q. I. Quales sint effectus eucharistiae.

R. Primus eucharistiae effectus est augere gratiam sanctificantem, quam supponit in eo, qui illam recipit, cum sit sacramentum vivorum. Sicut igitur Christus venit in mundum, ut mundo gratiam conferret, idem praestat, dum venit in hominem sacramentaliter: et sicut sacramentum eucharistiae repraesentat Christi passionem, ratione cujus nobis gratia confertur, ita et mediante hoc sacramento: d. Th. 3. *p.* *q.* 79. *a.* 1. Quandoque per accidens habet primam gratiam conferre, ut dixi de sacramentis in genere *cap.* 2. *quaesit.* 3. * S. Antonin. *p.* 3. *tit.* 14. *cap.* 17. Bellarm. *l.* 4. *cap.* 19. Suar. *d.* 63. *sect.* 1. licet contrarium sentiant d. Bonavent. Gerson. Vasq. et alii apud Continuat. Tourn. *cap.* 8. *concl.* 2. * Secundus eucharistiae effectus est dare jus ad auxilia actualia, quibus vita spiritualis augetur et conservatur; ut enim cibus materialis auget et conservat vitam naturalem, ita dicendum est de hoc sacramento respectu vitae spi-

ritualis; cum detur nobis per modum cibi et potus. Ex hoc alter hujus sacramenti effectus quandoque consurgit, quaedam nempe spiritualis dulcedo, ad similitudinem cibi materialis, qui delectat comedentem.

Cum autem de effectibus hujus sacramenti loquendum sit cum quadam proportione ad effectus cibi corporalis, ut etiam dicit Eugenius IV. *in decreto Unionis*, hinc est quod sicut cibus naturalis habet restaurare, quod vi caloris deperditur; ita et eucharistia quod ardore concupiscientiae per leves culpas deperditur. Hoc autem habet praestare, tum quia dicendum est ratione eucharistiae concedi actualia auxilia ad eliciendos actus contritionis et charitatis, quibus deleantur peccata venialia; tum quia, cum ipsa gratia sacramenti debeat esse reparativa ruinae illatae per talia peccata, videtur debere habere ex opere operato specialem vim ad eadem delenda. Expiari tamen non possunt, si perseveret affectus erga eadem, et ni aliquo modo displiceant; Deus etenim nòn remittit culpas, quas aliquo modo non retractamus. Habet demum eucharistia praeservare etiam a peccatis mortalibus; unde Tridentinum *sess.* 13. *c.* 2. ait esse *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur*. Hoc autem praestat, quia addit vires spirituales, quibus fideles se praeservent adversus interiorem concupiscentiam, et adversus externos animae hostes. Dicendum etiam est Deum minus permittere daemoni aggredi devote communicantes, ac ab iisdem externas peccandi occasiones removere.

Quosdam effectus praestat eucharistia respectu corporis, illud nempe quodammodo sanctificando, dum mediantibus speciebus Christi corpori unitur; debilitando ardorem concupiscentiae per hoc, quod augeat fervorem charitatis, et dando illi jus ad futuram resurrectionem; unde etiam ex hoc titulo resurgere deberet, qui digne recipit eucharistiam: quapropter Jo. 6. ait Christus Dominus: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*.

Q. II. An ratione peccati venialis impediantur effectus eucharistiae.

R. Quantum ad peccata veniala praeterita s. Th. *p.* 3. *q.* 79. *a.* 8. haec habet: *Nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum et plenarie hujus sacramenti consequatur effectum*. Puto

tamen tali devotione debere accedere, ut aliquo modo peccata venialia praeterita debeant displicere: nam difficile esset, ut non impedirent uberiores effectus hujus sacramenti, si erga illa affectus conservaretur; cum talis affectus videatur etiam continere quamdam irreverentiam erga ss. eucharistiam. Quantum vero ad peccata venialia, quae actu committuntur, dum quis suscipit eucharistiam, ita subdit s. Doctor: *Non ex toto impediunt hujus sacramenti effectum, sed ex parte. Dictum est enim quod effectus hujus sacramenti, non solum est adeptio habitualis gratiae, vel charitatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum gratiae, vel charitatis*. Illud tamen advertendum, eucharistiam eo uberiores producere effectus, quo major est in suscipiente dispositio; nam sacramenta magis et minus juxta subjecti dispositionem operantur. Cum proinde qui actu peccat venialiter, dum vult recipere eucharistiam, alterum etiam committat, cujusdam nempe irreverentiae erga sacramentum, consequens est et mediocre augmentum gratiae et charitatis acquirere ratione suae indipositionis.

Q. III. Quo tempore eucharistia suos effectus producat.

R. Dicendum videtur eucharistiam producere suos effectus eo instanti, quo ab ore in stomachum trajicitur; etenim sacramenta producunt suos effectus, dum quis illis utitur. Cum proinde usus eucharistiae in comestione consistat, dicente Christo Domino Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, hinc est in supradicto instanti suos effectus producere; tunc etenim proprie datur comestio corporis Christi. Ex hoc autem sequitur non obtenturum effectus hujus sacramenti, qui illud in peccato mortali reciperet, quamvis dum adhuc in stomacho esset, eliceret actum contritionis; sicut neque ille, cui, eo quod non posset eucharistiam deglutire, species in ore corrumperentur. * Videatur Contin. Tourn. *l. c. concl.* 7. *v. Unde colliges*. *

Q. IV. An eucharistia aliis prosit, si pro ipsis sumatur.

R. Eucharistia, ut est sacramentum, non potest aliis prodesse; tum quia proprium est omnium sacramentorum, ut illis tantum prosint qui eadem percipiunt, tum quia, cum eucharistia per modum cibi et potus sumatur, sicut cibus materialis prodest tantum manducanti, ita de eucharistia dicendum est. Ita etiam docet s. Thomas *p.* 3. *q.* 79. *art.*

7. ubi ait: *Sumptio pertinet ad rationem sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem sacrificii; et ideo ex hoc, quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamentum*. Possunt ergo solummodo prodesse aliis bona opera, quae praecedunt, comitantur, et subsequuntur sacramenti sumptionem, et quidem eo magis, quo virtute sacramenti majori charitatis fervore exercentur.

Regulae in praxi observandae

I. Non desinat confessarius demonstrare suis poenitentibus uberes gratias, quas anima recipere potest a sacramento eucharistiae; ita enim fiet, ut non sint negligentes in ea suscipienda, et non omittant se diligenter disponere, ut majores ex ea fructus recipiant. Dum vero videt ex sumptione tanti sacramenti saltem non minui gravia peccata, licet illi suspicari de sufficienti poenitentis dispositione: si etenim ex dispositionis defectu hujus sacramenti effectibus non privaretur, videtur acquisiturus vires saltem ad peccata minuenda.

II. Cum nullo solido fundamento ea innitatur quarumdam mulierum praxis pro aliis communionem recipiendi, moneat illas confessarius ipsis tantum prodesse eucharistiam, ut est sacramentum, et solummodo aliis applicare posse ea bona opera, quae occasione hujus sacramenti suscipiendi exercent. * Haec est satis communis opinio DD. contra opusculum Theophili Raynaudi a sacra Tridentini concilii Congregatione sub Alexandro VIII. proscriptum, in quo communio pro defunctis facta damnabatur tanquam pia fraus, esca falsi fructus, stropha praetextu pietatis tectoria falsitatis. *

QUAESTIO II.

DE SACRIFICIO MISSAE

CAPUT I.

De essentia missae, ejusque effectibus et valore

Q. I. Quid sit sacrificium; et an missa habeat veram rationem sacrificii.

R. I. Sacrificium generaliter sumptum bene potest ita definiri: *Oblatio externa soli Deo facta, qua in recognitionem ipsius supremi dominii, a legitimo ministro aliqua res sensibilis, permanens et peculiariter consecrata immutatur et destruitur*. Primo ergo oportet, ut a legitimo ministro fiat

Deo aliqua oblatio externa; cum etenim sacrificium importet publicum et solemnem honorem Deo exhibitum, utique fieri debet per externam actionem ministri. Secundo sacrificium soli Deo offerendum est; institutum etenim est in recognitionem ipsius supremi dominii, et ut Dei indigere profiteamur: ita etiam lumen naturae dictat, ut quicumque subditus aliqua offerat Domino in ipsius dominii et propriae indigentiae recognitionem. Tertio quia ratione sacrificii profitemur recognoscere Dei dominium maxime in ordine ad nostram vitam et mortem, ideo res quae offerebatur in scrificio, immutabatur et destruebatur, et ita occidebantur victimae ad significandum Dei dominium supra nostram vitam et mortem. Oportet tamen ea, quae offeruntur in sacrificio, esse res permanentes; et ideo non dicuntur proprie sacrificia orationes genuflexiones, adorationes etc. Itemque oportet res, quae offeruntur in sacrificio esse peculiariter consecratas ne quid profanum Deo sacrificetur unde in lege veteri pluribus caeremoniis victima offerenda prius consecrabatur.

R. II. Missa habet veram rationem sacrificii. Adest ergo minister, ipse nempe sacerdos per ordinis sacramentum ad hoc ministerium deputatus. At quia sacerdos agit ut Christi delegatus, ideo principalis minister hujus sacrificii est Christus Dominus. Et quamvis satis sit, si intelligatur Christus offerre moraliter, quatenus per sacerdotem offerentem nomine Christi offert seipsum, ut dicunt Lugo *disp.* 19. *sect.* 7. *n.* 92. Passer. *quaest.* 187. *a n.* 710. Avers. *q.* 11. *sect.* 8. nihilominus non desunt, qui velint in quacumque missa Christum physice offerre seipsum, sicut physice se obtulit in ara crucis. Gabr. a s. Vinc. *d.* 2. *q.* 2. Palaus *tr.* 22. *disp. un. p.* 4. *n.* 4. Dantur alii offerentes, at non per actionem sarcerdotalem, nempe ecclesia, quae per ministrum a se deputatum offert Deo hoc sacrificium; ministri missae inservientes; dantes eleemosynam pro missa celebranda, qui omnes offerunt Deo missam deprecative; ac demum omnes missae assistentes, qui dum assistunt, et consentiunt sacerdoti sacrificanti, censentur moraliter Deo sacrificium offerre: d. Th. *p.* 3. *q.* 79. *art.* 7. Passer. *tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 713.

In hoc autem sacrificio offertur res sensibilis, (1) ipsum nempe corpus et sanguis Christi sub speciebus sensibilibus

(1) Et per hoc distinguitur a sacrificio contriti cordis, et actuum internorum fidei, spei, et charitatis, qui ab hominibus eliciuntur in protestationem excellentiae divinae juxta illud: *Omnis quippe Pontifex*, ait Apostolus Hebr. 8., *ad offerendum munera, et hostias constituitur*.

panis et vini; itemque panis et vinum in offertorio ad hoc sacrificium peculiariter deputantur. Item sacrificium missae soli Deo offertur, ac proinde Tridentinum *sess.* 22. *c.* 3. ait: *Quamvis in honorem et memoriam SS. nonnullas interdum missas ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed soli Deo, qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* Dicuntur igitur celebrari missae sanctorum ad agendas Deo gratias pro illorum glorificatione, et ut semper magis a fidelibus honorentur. Fiunt etiam in missa commemorationes Apostolorum etc. ut pro nobis apud Deum intercedant, ut dicit idem Tridetinum *can.* 5. (1)

Demum, ut appareat intervenire in sacrificio missae sufficientem victimae mutationem, quae est necessaria ad essentiam sacrificii, sequentia sunt observanda. Verum igitur est ad sacrificium cruentum expostulari realem victimae mutationem et immolationem, et ita in sacrificio cruento crucis vere Christus Dominus occisus fuit, at ad veram rationem sacrificii incruenti et commemorativi non requiritur actualis victimae mactatio, immo hoc illi repugnat, sed solum de sua natura exigit mysticam victimae immolationem. Haec autem in missae sacrificio intercedit, dum etenim vi verborum solum corpus ponitur sub panis speciebus, et solus sanguis sub speciebus vini, jam satis commemoratur mors victimae; cum in Christi morte sanguis fuerit a corpore separatus. Hic modus dicendi mihi videtur aptior ad exprimendam victimae mutationem, et inter alios tenet Vasquez *p.* 3. *disput.* 222. *cap.* 7. 8. *et* 9. idemque insinuat s. Thomas *p.* 3. *q.* 83. *a.* 1.* Videatur etiam Estius *dist.* 12. §. 12. Sylv. *in q.* 83. *art.* 1. Bellarmin. *de euch. lib.* 5. *cap.* 1. *. Neque per hoc tamen missae sacrificium est nuda passionis Christi commemoratio; nam realiter sub speciebus adsunt corpus et sanguis Christi, quae divinae majestati offeruntur.

(1) Missa itaque recte sic definitur: *Sacrificium novae legis, quo Christus sub speciebus panis, et vini a sacerdote rite consecrato soli Deo incruente in memoriam sacrificii cruenti crucis offertur tam pro vivis, quam pro defunctis.* Eidemque conveniunt omnes conditiones ad sacrificium vere ac proprie requisitae.

Q. II. Quae sint partes essentiales sacrificii missae.

R. Varia sunt quoad hoc theologorum placita, aliis asserentibus missae essentiam consistere in consecratione, simulque sumptione, aliis in sola sumptione, aliis vero in sola consecratione. Ideo autem non pauci etiam sumptionem ponunt inter partes essentiales missae, quia per eam videtur dari destructio victimae, ut requiritur ad essentiam sacrificii; eamque destructionem in hoc considerant, quod, cum per modum cibi sumatur, sicut cibus dum manducatur, intelligitur destrui, ita dicunt intervenire victimae destructionem, dum a sacerdote accipitur eucharistia per modum cibi. * Videatur Madernus *q.* 8. *art.* 3 qui varios affert auctores inter se discrepantes in assignanda sacrificii essentia. *

Mihi autem arridet ea opinio, quam sequutus sum in quaesitis dogmaticis etc. *de ss. eccles. sacram. tr.* 5. *c.* 2. *n.* 6. scilicet essentiam missae consistere in consecratione utriusque speciei, quatenus simul habet rationem oblationis. Ratio mihi est, quia sacrificium novae legis consistit in actione, quae sit in persona et nomine Christi; ita autem se habet sola utriusque speciei consecratio. Deinde tunc datur completa ratio sacrificii quoad essentiam, quando intervenit oblatio et immutatio victimae: hae autem interveniunt in sola utriusque speciei consecratione. Intervenit oblatio; quia licet sacerdos consecrans nomine Christi non dicat expresse offerre ipsius corpus et sanguinem, nihilominus de facto datur oblatio, ut dici solet in actu signato, quatenus per consecrationem sistuntur super altare aeterno Patri corpus et sanguis Christi. Ad eum modum, quo non solum dicitur offerre cibum qui expresse offert, sed etiam qui ante alium apponit ad manducandum, etsi verbis non offerat. Quomodo autem intercedat mutatio victimae, quae sufficiens sit ad sacrificium incruentum et commemorativum sacrificii crucis, jam explicatum est in quaesito superiore. Addi potest ratione consecrationis valde immutari corpus et sanguinem Christi quoad modum essendi in loco. Videantur Salmant. *tr.* 5. *cap.* 1. *n.* 14. et alii apud ipsos. * Hanc sententiam communius docent Suar. *p.* 3. *d.* 75. *sect.* 5. Continuat. Tourn. *de euch. p.* 2. *cap.* 3. *art.* 2. *sect.* 2. *concl.* 6. Reiff. *tr.* 14. *dist.* 4. *q.* 3. *n.* 34. eique adstipulari videtur s. Thom. *p.* 3. *q.* 83. *art.* 4. *in corp.* ubi tradit, per consecrationem peractum esse hoc sacrificium, deinde sacerdotem petere hujus sacrificii effectum seu fructum. *

Quamvis autem ex dictis sumptio non pertineat ad essentiam sacrificii, nihilominus ex jure divino pertinet ad ipsius integritatem et perfectionem; cum etenim per consecrationem; ponantur corpus et sanguis Christi sub specie cibi et potus, consequens est ad sumptionem ordinari. Hinc *can. Rel.* 2. *de cons.* * ex concilio Toletano vulgo XII. cujus patribus visum est rigidiori poena illam consuetudinem, tunc temporis vigentem, plures missas in una die sine communione, nisi in ultima, celebrandi, utpote divinae et apostolicae traditioni repugnantem, abolere; inquiunt enim: *nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur?* Videatur Berardus *in Gratian. can. p.* 1. *c.* 17. Neque ex hoc adstruitur contraria opinio, qund nempe communio sit de essentia sacrificii; nam ex illo sequitur, sacrificium, cui sacerdos non participaverit, tale non futurum, quale vel ex Christi institutione, vel ecclesiae ordinatione esse debet; ut clare patet ex aliis ejusdem canonis verbis: *quasi non sit toties reus illius veri et singularis sacrificii, quoties participator corporis et sanguinis D. N. J. C. esse destiterit* *; reprehenduntur quidam sacerdotes, qui cum eamdem missam pluries celebraverint, solum in ultima sumpserant corpus et sanguinem Christi. Et in rubricis missalis dicitur, quod si moriatur sacerdos peracta consecratione, alter perficere debet sacrificium, et hostiam et calicem sumere. * Quod et cofirmari potest ex Tridentino *sess.* 13. *c.* 8. Hic autem observandum est, quod sacerdos se communicare debet ex ea hostia, quam consecravit, non ex alia; quare monent rubricae missalis *de defect. in celebr. miss.* §. 10. ut si in hostia mox consecrata appareat vermis, qui sumptionem impediat, alia consecretur; quod non liceret si ex tabernaculo extrahi posset alia hostia antea consecrata, et in pontificali Romano *de ordinat. presbyt.* novis sacerdotibus debet distribui communio ex praesenti sacrificio, non ex pyxide in qua asservantur particulae antea consecratae. *

Q. III. Quot sint effectus sacrificii missae, seu quotuplex fructus.

R. I. Effectus seu fructus sacrificii missae, si considerentur quatenus proveniunt *ex opere operato*, sunt esse propitiatorium satisfactorium et impetratorium. Cum igitur valor, seu efficacia sacrificii missae *ex opere operato* consurgat ratione rei oblatae; et cum in missa ipse Christus, ejusque merita offerantur, jam hoc sacrificium habet esse propitiatorium, qua-

tenus ex oblatione ipsius Christi Deus placatur, et juxta nostras culpas nos non punit. Habet esse satisfactorium, dum illi, mediante hoc sacrificio, offerimus satisfactionem, quam Patri exhibuit ipse Christus. Habet esse impetratorium; nil enim esse potest efficacius ad impetrandum aliquid a divina clementia, quam offerre ipsum Redemptorem, ut ejus intuitu consequamur quod petimus. * Ita definitum est in concilio Tridentino *sess.* 22. *c.* 2. *et c.* 9. *can.* 3. *

Non habet autem sacrificium missae immediate justificare ex opere operato; quia non institutum est, ut immediate conferat gratiam, vel illius augmentum, sed hoc solum praestare potest mediate, quatenus scilicet ratione hujus sacrificii impetramus auxilia ad ita dolendum de peccatis, ut consequamur justificationem; vel etiam ad bona opera praestanda, quibus gratia augeatur: d. Thom. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 4. Eodem modo dicendum per missae sacrificium deleri peccata venialia, quatenus scilicet per illud impetramus auxilia ad ea retractanda, et ita infunditur gratia deletiva ipsorum. Lugo *disp.* 19. *sect.* 9. *n.* 152. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 20. *q.* 6. * De his plura videri adhuc possunt apud Suar. *disp.* 79. *sect.* 6. *

R. II. Cum diversi sint qui operentur in sacrificio missae, varius est fructus ex eo derivans *ex opere operantis*, h. e. si consideretur ex parte offerentium. Respectu igitur Christi, qui est principalis offerens, non habet sacrificium missae esse meritorium; cum non amplius sit viator, sed ipsius actio habet fructum impetrationis. Lugo *d.* 19. *n.* 96. Si vero consideretur sacrificium missae, quatenus a sacerdote offertur; dum iste sit in gratia, habet ex opere operantis esse meritorium, satisfactorium et impetratorium; haec etenim omnia habet opus bonum in gratia exercitum: si vero sacerdos non sit in statu gratiae, quatenus offert sacrificium nomine proprio, et prout consideratur ipsius operatio, nil boni habet, sed potius excitat divinam vindictam. Sed ut melius haec percipiantur.

Observare est missam mali sacerdotis nil deperdere de suo valore, quatenus consideratur *ex opere operato* derivari; hac etenim ratione ipsius valor oritur ex meritis Christi, qui offertur, et ex meritis ecclesiae, quae habent suum effectum independenter a bonitate, vel malitia sacerdotis: s. Th. *p.* 3. *q.* 82. *a.* 6. Quantum vero ad partes accidentales missae; nempe quantum ad orationes et preces, non sine probabilitate asseritur etiam *ex opere operato* minus valere, si

dicantur a malo sacerdote; nam quamvis iste fructus sit certus, nihilominus augeri videtur et minui juxta majorem, vel minorem bonitatem celebrantis aliorumque offerentium. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. ibique s. Bonav. *q.* 4. Fagund. *de praec. eccles. l.* 3. *c.* 6. *n.* 20. Quod si consideretur sacerdos, quatenus offert missam in persona ecclesiae, hoc modo bene sustineri potest ex opere operantis aequalem esse fructum missae etiam quoad preces et orationes, vel dicantur a bono, vel a malo sacerdote; nam ecclesia semper est Deo grata. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 12. Bonac. *disp.* 4. *q. ult. p.* 6. *n.* 4 et innuere videtur s. Th. *loc. cit.* Excipe, nisi sacerdos sit excommunicatus non toleratus; nam ecclesia non intendit per ipsum orare: d. Th. *p.* 3. *q.* 82. *a.* 7. *ad* 3. Remanet ergo missam mali sacerdotis esse omnino infructuosam ex opere operantis, quatenus eam offert nomine proprio, et posse reddere ex propria indispositione minus fructuosas partes accidentales missae quoad fructum, quem et ipsae habent ex opere operato. Redeundo modo ad explicandos effectus, seu fructus missae ratione offerentium.

Post Christum et sacerdotem etiam ecclesia offert missae sacrificium, quatenus designavit sacerdotes, ut nomine suo offerrent. Haec autem ecclesiae oblatio non habet rationem meriti; nam ad opus meritorium videtur debere perseverare saltem voluntas virtualis illud faciendi; at respectu ecclesiae non perseverat nisi habitualis, in eo scilicet quod designaverit sacerdotes, ut suo nomine offerant. Lugo *disp.* 19. *sect.* 9. *n.* 122. Bene vero oblationem ecclesiae dici potest habere rationem impetrationis; quia Deus exaudit eam deprecantem, mediante suo ministro: at quia non intelligitur ecclesia petere nisi bona communia, ad ea se extenditur ipsius impetratio, non vero ad privata et particularia, quae conveniunt singulis, ut singulis. Pass. *de stat. hom. q.* 187. *art.* 4. *n.* 741. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 8. Qui etiam advertit oblationem missae, ut nomine ecclesiae factam, dici posse etiam propitiatoriam; nam propitiatio nil aliud est, quam veniae impetratio. Caeterum eo magis est impetratoria oblatio ecclesiae, quo plures in ea sunt justi, et sanctior est minister; et ita quo magis quis est gratus alicui principi, sicut et ejus legatus, et facilius et majora impetrat. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 10. Demum oblatio ecclesiae potest dici satisfactoria; quamvis enim ab ecclesia universali offerente hoc sacrificium non videatur fieri opus poenale, in quo fundari solet satisfactio, nihilominus ipsius

oblatio dici potest satisfactoria, quatenus per eam applicatur satisfactio Christi. Passer. *loc. cit. num.* 743. et alii multi apud ipsum.

Ultimi offerentes sunt ministri dantes eleemosynam pro missa celebranda: et alii assistentes, qui omnes, si sint in statu gratiae, faciunt opus meritorium, satisfactorium et impetratorium, ut de se patet. * Ita s. Leop. epist 11. novis. edit. Rom. c. 2. alias 81. quae habetur *con.* 51. *de consecrat. dist.* 1. *

Q. IV. Quotuplex sit fructus sacrificii, quatenus correspondet personis offerentibus, vel iis, pro quibus offertur.

R. I. Juxta hanc considerationem valor, seu fructus sacrificii dividitur in medium seu specialem, generalissimum, et specialissimum. Fructus medius seu specialis ille est, qui correspondet Christo ut principali offerenti, qui dedit facultatem sacerdoti illum alteri applicandi; et ita applicat ex. gr. offerenti eleamosynam. Quamvis autem hic fructus medius de se sit satisfactorius, propitiatorius et impetratorius, nihilominus ex incapacitate subjecti non semper habet omnia haec praestare; et ita respectu justi non est propitiatorius, cum respectu illius non habeat impetrare remissionem peccáti; sicut nec respectu peccatoris est satisfactorius, quia non deletur poena peccati, non remissa culpa, adeoque erit solummodo impetratorius.

Multi autem quos sequitur Passerinus *de sacrif. miss. q.* 187. *a.* 4. *n.* 759. dicunt non posse sacerdotem pro sua voluntate uni applicare hunc fructum quoad impetrationem, alteri quoad satisfactionem. Nihilominus bene contrarium potest sustineri: quia cum voluerit Christus Dominus hunc fructum medium sibi correspondentem applicari posse a libera sacerdotis voluntate, nil obstat quin sacerdos possit uni applicare quoad unam partem, alteri quoad aliam: et ita si celebret pro animabus purgatorii non indigentibus propitiatione, seu impetratione, poterit illis applicare quoad satisfactionem, alteri quoad impetrationem, seu propitiationem. Pasqual. *de sacrif. miss. q.* 100. *n.* 4. Aver. *q.* 11. *sect.* 10. Bonac. *disp.* 4. *quaest. ult. p.* 8. *n.* 15.

Fructus generalissimus est ille, qui competit omnibus fidelibus, et hoc non habet missa ex sola institutione ecclesiae, quae vult sacerdotem generaliter offerre pro omnibus fidelibus, sed etiam ex ipsius Christi institutione; nam cum voluerit per hoc sacrificium suam passionem repraesentari, consequens est etiam voluisse ad communem ecclesiae uti-

litatem deservire. Pasqual. *de sacr. miss. quaest.* 89. *num.* 4. Passer. *quaest.* 187. *art.* 4. *num.* 740. * hoc quoqe docent Henriq. *lib.* 9. *cap.* 21. *n.* 3. Isambert. *p.* 3. *quaest.* 83. *disp.* 7. *art.* 12. *. Quamvis autem sacerdos debeat quoad hoc applicare missam juxta intentionem ecclesiae; nihilominus si non applicet, adhuc resultat iste fructus generalissimus; quia ex Christi institutione est oblatio pro tota ecclesia. Passer. *n.* 749. Non desunt tamen qui velint, quod si sacerdos aliquem excluderet ab isto fructu generalissimo, eo privaretur; quia cum ipse sit immediatus offerens, illius intentio videtur praevalere intentioni ecclesiae. Lugo *disp.* 19, *sect.* 9. *n.* 224. * et quoad fructum satisfactionis tenet Suar. *de euchar. disp.* 78. *sect.* 2. *v. Sed quaeres*. *; quamvis omnes concedant graviter peccaturum, quia illius jus violaret in re gravi, sicut et in re gravi, praeceptum ecclesiae.* Ita s. Thom. 2. 2. *q.* 25. *art.* 8. *ad* 9. Suarez. *disp.* 78. *sect.* 2. Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 20. *q.* 9. Laym. *l. c. cap.* 2. *n.* 16. et alii quamplures *. At ego putn per contrariam intentionem sacerdotis illum non privandum isto fructu generalissimo; quia ipsius contraria intentio non potest praevalere institutioni Christi qui voluit ex missae sacrificio derivari fructum pro totius ecclesiae utilitate. Pasqual. *q.* 138. *n.* 7. * Eamdem cum Auctore sententiam docent Scotus *quodlib.* 20. *a.* 2. Laym. *l. c.* Bonac. *l. c. p.* 5. *n.* 3. Avers. *l. c. sect.* 10. *

Fructus specialissimus est ille, qui correspondet ipsi sacerdoti celebranti; nam cum sit minister Christi ex gente peccatrice assumptus, conveniens erat illi ratione sacrificii aliquem fructum correspondere. Alii addunt non solum illi competere aliquem fructum sacrificii, ut est Christi minister et persona publica, sed etiam ut est persona privata: atque ita illi assignant duplicem fructum sacrificii Filluc. *tr.* 5. *cap.* 2. *num* 7. Aliqui pariter putant sacerdotem non recipere hunc fructum, quatenus offerens est, cum sub hac ratione potius aliis conferat; sed solum in quantum etiam pro se offert, ut videre est apud Passerinum *quaest.* 187. *a num.* 735.

Q. V. An sacerdos possit aliis applicare fructum specialissimum sibi provenientem ex opere operato.

R. Omnes conveniunt posse aliis applicare fructum sibi proprium ex opere operantis, excepta solum ea parte, qua est meritorium; nam merito correspondet gloria ex propria, non ex aliorum operatione assequenda: d. Th. *in* 4. *d.* 4.

q. 2. *a.* 1. *q.* 2. Quod vero non possit aliis applicare fructum specialissimum sibi ex opere operato provenientem, non pauci docent; quia videtur quoad hunc fructum assequendum ipse Christus personam sacerdotis determinasse. Passer. *quaest.* 187. *n.* 756. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 18. Verum aliis haec opinio non arridet, quia non constat ita Christum determinasse personam sacerdotis quoad hunc fructum, ut non possit cedere juri suo, aliisque applicare. Filliuc. *tr.* 5. *cap.* 2. *n.* 181. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 20. Avers. *q.* 11. *sect.* 9.

Q. VI. Quae dispositiones requirantur ad assequendum fructum sacrificii.

R. I. Qui omnino sunt in termino, non sunt capaces fructus sacrificii; nam vel jam assequuti sunt gloriam, et opus non habent satisfactione, aut impetratione; vel damnati sunt ad aeterna supplicia, et eorum poena non potest auferri, vel minui. Dixi, qui omnino sunt in termino, nam cum animae purgatorii non adhuc sint in ultimo termino, et indigeant nostris auxiliis, hinc est quod cum aliunde sint membra viva ecclesiae, ac ecclesiae militanti unita ratione charitatis, bene possunt per sacrificia, quae in ea fiunt, suffragari. Talis fuit perpetua praxis ecclesiae, et contrarios errores proscripsit Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrif. miss. can.* 3. *et sess.* 25. *decret. de purgat.*

R. II. Ad recipiendum fructum satisfactionis requiritur status gratiae, et eo major fructus recipitur, quo major est gratia illorum, pro quibus offertur. Quod requiratur status gratiae ex eo probatur, quia deputati ad poenas aeternas non merentur sibi relaxari poenas temporales; ulterius non est intelligibile remitti poenam, culpa perseverante: D. Th. *p.* 3. *q.* 79. *a.* 7. *ad* 2. Passerin. *q.* 187. *n.* 775. et communiter theologi, quibusdam tantummodo affirmantibus posse missam esse satisfactoriam etiam respectu peccatoris, quoad peccata alias dimissa quantum ad culpam. Dum vero aliquis sit in gratia, habet majorem fructum ex opere operato, quo majorem habet gratiam; nam quamvis talis fructus sit veluti quaedam donatio, nihilominus eo magis crescit liberalitas in donante, quo major est dispositio recipientis, ut constat etiam in effectibus sacramentorum: s Thom. *p.* 3. *q.* 79. *a n.* 5. *et* 7. • Lug. *disp.* 19. *n.* 200. Passer. *loc. cit. n.* 787. Isambert. 3. *p. quaest.* 83. *disp.* 7. *a.* 1. *n.* 6. Pasqualig. *q.* 76. et alii quamplures apud ipsos *ll. cc.* •. Major est etiam fructus, quo major est devotio recipientis,

quae importat actum internum voluntatis, quo quis se offert Deo ad omnia, quae sunt cultus divini. Ratio est, quia in ea consistit internum et principale sacrificium exhibitum Deo, ut docet s. Th. 2. 2. *q.* 85. *art.* 3. *ad* 2. unde ei praecipue correspondere debet effectus sacrificii externi; et ita dici potest devotionem formaliter disponere ad effectum sacrificii externi percipiendum, actus vero caeterarum virtutum comparative ad actus devotionis materialiter: d. Th. *p.* 3. *q.* 78. *a.* 5. Passer. *q.* 187. *n.* 796. Unde bene credi potest, quod qui caret devotione, quamvis sit in statu gratiae, exiguum ex hoc sacrificio fructum recipiat, vel sit offerens, vel sit ille, pro quo offertur. Gabr. a s. Vinc. *d.* 2. *q.* 5. An vero ad recipiendum fructum sacrificii requiratur intentio illum recipiendi, puto esse quaestionem de nomine; nam omnes conveniunt sufficere intentionem interpretativam, et quis est, qui non optet a poena liberari? Immo sunt qui dicunt justum etiam nolentem, adhuc fructum satisfactionis recipere; sicut enim non est in manu sua impedire effectum sacramenti, si sit dispositus, ita nec effectum sacrificii. Lugo *disp.* 19. *num.* 196. Passer. *q.* 187. *n.* 782.* Suar. *d.* 79. *sect.* 10. Pasqualig. *q.* 82. *n.* 4. *

Q. VII. An valor, seu fructus sacrificii missae sit infinitus.

R. I. Fructus generalissimus, qui correspondet ecclesiae, sicut specialissimus, qui correspondet celebranti, est inteosive finitus, extensive vero infinitus. Tunc esset intensive infinitus, quando de se esset sufficiens ad producendum effectum infinitum, si dari posset; ita autem se habere non potest praedictus fructus generalissimus, tam si consideretur ex opere operato, quam ex opere operantis; quia cum sit personalis ipsorum offerentium, necesse est esse limitatum. Bene autem dici potest infinitus extensive, quatenus scilicet prodesse potest aliis, et aliis usque in infinitum; nam se extendere potest ad plures, et plures fideles usque in infinitum, et omnes participarent fructum sacrificii juxta ipsorum capacitatem. Pass. *q.* 187. *n.* 830. Item potest dici extensive infinitus quatenus talis fructus non limitatur, quantumvis magnus esset numerus sacerdotum offerentium cum episcopo ordinante, unusquisque enim tantum fructum percipit, quantum si solus offerret; cum multiplicentur juxta numerum offerentium oblationes, quia omnes ut causae totales in solidum eamdem offerunt victimam. Passer. *n.* 827. Pasqual. *de sacrif.* *q.* 120. Eodem modo dicendum de offerentibus mediate, de iis scilicet, qui deserviunt, seu

assistunt missae; unusquisque etenim eorum suo modo offert eamdem victimam, scilicet Christum; unde cum idem agat; ac si solus missae cooperaretur, non diminuitur ejus fructus, quamvis sint plures alii inservientes, seu assistentes. Accedit, quod quo major est numerus offerentium, eo magis Deo placet oblatio sacrificii adeoque eo quod plures concurrant ad recipiendum ipsius fructum non fit quod in unoquoque sit minor. Cum ergo non limitetur fructus generalissimus, eo quod semper major esset numerus fidelium, seu numerus immediate, vel mediate offerentium, consequens est hujusmodi fructum tam ex opere operato, quam ex opere operantis esse extensive infinitum. Passer. *n.* 829. Filliuc *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 89. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 1. *num.* 11.

R. II. Fructus medius sacrificii est finitus in ordine ad satisfactionem, tam quoad intensionem, quam quoad extensionem. Quod sit finitus quoad intensionem, exinde probo, quia, licet sacrificium dici possit valoris infiniti, tam si consideretur principalis offerens, quam res oblata, cum sit Christus Dominus; ut observat s. Th. *p.* 3. *q.* 79. *a.* 5. nihilominus observare est in sacrificio missae Christum non facere actionem nec denuo meritoriam, nec denuo satisfactoriam, cum non sit amplius viator, sed solum per eum velle nobis applicare satisfactionem, quae correspondet suae vitae et passioni. Si autem voluisset vi sacrificii infinitam suam satisfactionem applicare, saltem pro eadem re ex ipsius praescripto et institutione non essent multiplicanda sacrificia. Ad eum modum quo, quia in passione, quantum fuit ex parte Christi, voluit nobis prodesse infinita sua merita et satisfactionem, non fuit necesse sacrificium crucis iterari. Cum igitur Christus voluerit pro eadem re missas iterari, consequens est ex ipsius institutione nobis ratione missae solummodo applicari finitam portionem suae satisfactionis. Hoc idem videtur docuisse s. Th. *in* 4. *d.* 46. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 3. *ad* 2. ubi dicit effectum missae esse terminatum, eo quod scilicet ad determinatum effectum ordinetur; et cum improprie diceretur ordinari ad determinatum, seu limitatum effectum ab ipso suscipiente, dicendum est hanc ordinationem ab ipso Christo habuisse. Non per hoc tamen nego limitari effectum satisfactionis etiam a dispositione offerentium et eorum, pro quibus offertur, ut docet idem s. Doctor *p.* 3. *q.* 79. *a.* 5. Fructum igitur medium missae

esse intensive finitum, non paucis contradicentibus, docent quamplures theologi, ut videre est apud Barbosam *de potest. episc. alleg.* 24. *n.* 7. •

• Recentiores non pauci communissime docent, missae valorem esse tam intensive quam extensive infinitum quoad sufficientiam, tum ratione infinitae dignitatis primarii offerentis, tum rei oblatae, quae est ipse Christus. Ratio horum est, quia, ut docet Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. missa et sacrificium idem est, licet diverso modo oblatum, cum sacrificio crucis, quod infiniti valoris fuit. Ita tenent Gonet *man. tom.* 6. *p.* 336. Habert *tom.* 5. *pag.* 671. Pignattel. *in propitiat. lib.* 4. *q.* 11. Tourn. *tr. de euch. cap.* 6. *dic.* 2. Concina *tom.* 8. *de euch. lib.* 3. *dissert.* 2. *cap.* 3. *q.* 3. La Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 42. cum Suar. Vasq. et aliis quamplurimis. Verum hae duae sententiae facili negotio conciliari meo videri possunt, si distinguatur valor sacrificii ab effectu. Valor enim est illa dignitas, quam habet ex primario offerente et re oblata, nempe Christo et hac ratione dicitur infinitum, cum sit idem cum sacrificio crucis infinito; effectus vero sunt bona ipsa, quae Deus intuitu sacrificii confert, et cum haec nobis dentur juxta quantitatem nostrae dispositionis, quae semper finita et limitata est, ex eo constat, effectum, seu fructum sacrificii finitum esse debere. Prima igitur sententia de effectu seu fructu loquitur, secunda de valore. Ex quo sequitur rectissimam esse ecclesiae praxim, ad eadem impetranda bona plures missas offerre permittentem; et merito Urbanus VIII. in bulla 45: *Cum saepe contingat* §. 2. *sub obtestatione divini judicii mandat ac praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint;* et Alexander VII. damnavit sub n. 10. opinionem asserentem non esse contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. •

Ex dictis sequitur fructum medium sacrificii, quatenus ab offerente applicatur, neque esse extensive infinitum, itaut eodem modo prosit, si pluribus applicetur ac paucioribus. Ratio est, quia si sit intensive finitus, consequens est minus de eo participari ab iis, quibus applicatur, quo sunt numerosiores. Demus ex. gr. fructum hunc medium esse ut decem, si uni totus applicetur, decem partes fructus participabit; et si applicetur decem personis, singulae unam fructus partem participabunt. Et de facto, si una missa aeque prodesset applicata pluribus ac uni soli, non deberet ecclesia

permittere uni soli applicari; nam tunc irrationabiliter excluderentur caeteri a participatione talis fructus: d. Th. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. Lugo *disp.* 19. *sect.* 12. *n.* 246. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 9. Passer. *q.* 187. *n.* 844. Caeterum ad participandum hunc fructum medium, meo videri, nil refert, si a sacerdote aliquibus applicetur nominatim et specialiter, vel solum generaliter et in confuso, ut pro iis, qui magis eo indigerent; nam ex una parte ita sufficienter intelligitur a sacerdote applicari, et ex alia quod magis, vel minus recipiatur fructus medius ex opere operato, pendet a dispositione et devotione recipientis. Ita contra aliquos Passer. *n.* 850.

Semper tamen advertere est hucusque dicta valere respectu illorum, quibus a sacerdote applicatur fructus medius sacrificii. Nam si sermo sit de fructu medio, qui potest correspondere immediate offerentibus, ut sunt concelebrantes cum episcopo, non minus de illo participant ex opere operato, ac si soli offerrent. Idem dicendum de mediate offerentibus, ut sunt ii, qui assistunt missae vel faciunt eam celebrare, qui eodem modo participant de fructu medio, ac si singuli offerrent mediate. Ratio est, quia ut dixi supra, cum unusquisque suam faciat oblationem, eodem modo, ac si esset solus, non est cur ex consortio aliorum ipsius fructus sit minuendus. Passer. *n.* 844.

R. III. Fructus medius bene dici potest infinitus quoad impetrationem. Ratio est, quia impetratio non innititur pacto, aut promissioni sicuti satisfactio, sed divinae misericordiae et liberalitati, quae per se non habent a quo limitentur. Advertendum etiam quod dum magis augetur religio et dignitas sacrificii ob plures orationes et ministros ut in missa cantata, etiam augetur vis impetrandi; sicut et augeri potest ratione rituum, qui ad Dei cultum ordinantur. Avers. *q.* 11. *sect.* 7. Passer. *q.* 187. *n.* 861.

Q. VII. An valor, seu fructus missae sit infallibilis.

R. I. Si non obstet indispositio recipientis, dici potest fructum missae quoad satisfactionem esse infallibilem; cum Deus, qui non potest deficere in suis promissis, promiserit illam acceptare. Lugo *disp.* 19. *sect.* 9. *n.* 153. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 21. *q.* 4.

R. II. Fructus missae quoad impetrationem, non mihi videtur de sua natura infallibilis; cum etenim praecipue divinae misericordiae et liberalitati innitatur, pendet a puro beneplacito divinae voluntatis concedere, quod postulatur.

Passer. *quaest.* 187. *n.* 851. Palaus *tr.* 11. *disp. unic. p.* 6. *num.* 9. Nihilominus credere est a Deo esse impetranda, quae mediante sacrificio postulamus, si adsint omnes conditiones, quas exigit impetratio. Lugo *num.* 143. * Videatur etiam Reiff. *theol. mor. tr.* 14. *dist.* 4. *num.* 47. *

Regulae in praxi observandae

I. Cum ex pietate et devotione sacerdotis celebrantis crescat ex opere operantis fructus sacrificii, semper suadendum est, ut qui vult missas pro se celebrari, non tribuat stipendium sacerdoti indevoto, ludis addicto', tempus in apothecis terenti, temperantiam in bibendo non servanti, facillime cum mulieribus colloquenti etc.

II. Moneat confessarius suum poenitentem fructum missae valde a sua dispositione et devotione pendere; adeoque non debere audire missam vel uno tantum genu aliqualiter inclinato, nec oculis huc illucque per ecclesiam vagantibus, vel etiam cum adstantibus colloquendo. Si hoc modo etiam quotidie unam, vel plures missas audiat, potius sua irreverentia Dei iram contra se excitabit. Deberet igitur considerare quae pro nobis egit tempore passionis Christus Dominus; nam sacrificium missae est commemorativum sacrificii in cruce peracti, ac ita excitare in se devotionem, qua ad omnia divini famulatus se promptum exhibeat; hoc etenim interno sacrificio peracto uberrimos fructus ex sacrificio missae percipiet.

III. Quam maxime suadeat confessarius suo poenitenti, ut quas vult pro se missas celebrari, si commodum illi est, curet, ut dum adhuc vivit, celebrentur. Primo ergo, si ita agat, faciet opus meritorium elargiendo eleemosynam, quam si jubeat dari post mortem, facit opus valde minus Deo gratum; jubet enim dare, quod cogitur dimittere. Deinde missae sacrificium post mortem ipsi tantum erit satisfactorium, at in vita celebratum simul est impetratorium; adeoque ratione illius obtinere potest auxilia ad non peccandum, ac plura bona opera peragenda. Demum haeres fortasse negligens erit in ipsius voluntate adimplenda; atque ita ipse necessaria satisfactione carebit, et haeres gravi propriam animam culpa maculabit. Quam maxime proinde dum vivit missarum sacrificia pro se celebrari curabit; praescribat etiam, quae conveniens reputabit celebranda post mortem, sed videat ne nimis haeres gravetur. Audiat quae habet s. Gregorius *l.* 4. *dialogor. c.* 58. *Tutior est via, ut bonum quod quisque*

post mortem sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se: beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quaerere.

* Cum fidelibus ex missae sacrificio tot bona spiritualia dimanent, ac etiam temporalia provenire possint, videant quam male se gerant sacerdotes illi, qui nulla justa ac rationabili causa permoti missam saepius celebrare omittunt. In *cap. Dolentes de celebrat. missar.* Innocentius III. amare queritur sacerdotes raro celebrare; quodque gravius deflebat, inquit, hoc praestabant, ut superfluis, commessationibus et confabulationibus illicitis vacarent. Haec sacerdotum negligentia semper condemnata ab ecclesia legitur. Concilium Rothomagense *de episc. offic.* an. 1581. et *de euch.* an. 1583. jubet sacerdotes non diebus tantum solemnibus, sed etiam dominicis, saepiusque, si fieri potest, sacrificare. *

* Quamvis non desint doctores asserentes posse sacerdotem fructum specialissimum sibi ex opere operato provenientem aliis applicare, plures tamen alii validioribus rationibus contrarium docent, inter quos Suarez *disp.* 79. *sect.* 9. *v. Nihilominus* Miran. *in manual. tom.* 1. *q.* 41. *art.* 17. Pasqualig. *de sacrif. nov. leg. q.* 99. et apud eum Granad. Fraxinell. Dicastill. Rodriguez, Verricell. unde in praxi tenendum est non posse hunc fructum aliis applicare. Praecipue vero non licet pro hoc fructu applicando stipendium recipere ex *propos.* 8. ab Alex. VII. damnata. *

CAPUT II.

De applicatione sacrificii, et quando parochus teneatur pro suis ovibus illud applicare

Q. I. Quibus possit missae sacrificium applicari.

R. I. Si sermo sit de iis, qui jam decesserunt, sacrificii fructus solum applicari potest pro animabus purgatorii. Et quidem si sacerdos applicaret sacrificium missae pro damnatis, peccaret mortaliter; utpote quia applicaretur pro Dei inimicis ejusdem fructus omnino incapacibus. Applicari pariter non potest sacrificium missae quoad satisfactionem, et impetrationem pro beatis; quia et ipsi, ut de se constat, hujusmodi effectuum sunt incapaces. Bene tamen celebrari potest ad agendas Deo gratias pro ipsorum glorificatione; sicut etiam cedit in magnum ipsorum honorem in ipsorum festo missam in sanctorum memoriam offerre. Remanet ergo, ut quoad satisfactionem offerri possit pro animabus purga-

torii, quae cum sint cum ecclesia militante ratione charitatis conjunctae, aequum est ut pro ipsis, hoc sacrificio mediante, offerat satisfactionem, cujus indigent. Haec semper fuit ecclesiae praxis, quam novissime, ut dixi etiam capite superius, confirmavit concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 2.

R. II. Si sermo sit de personis, quae sunt inter vivos, constat licite et valide tam quoad impetrationem, quam quoad satisfactionem applicari fidelibus baptizatis. Fidelibus peccatoribus applicari potest quoad impetrationem, non quoad satisfactionem ex dictis capite praecedenti. Eodem modo dicendum contra aliquos applicari posse infidelibus, ad impetrandam e. g. ipsis sanitatem, at praecipue conversionem. Ratio est, quia cum missae sacrificium repraesentet sacrificium jam in cruce oblatum, sicut istud oblatum fuit etiam pro infidelibus, ita et dicendum de sacrificio missae.

Quid vero dicendum de applicatione sacrificii in ordine ad excommunicatos, dixi in *tract. de censur. q.* 2. *cap. unic. q.* 4. quamvis ibidem dictis multi refragentur quoad excommunicatos toleratos, ut videre est apud Lugo *d.* 19. *n.* 187. Tambur. *c.* 2. *l.* 2. §. 4. *n.* 8. At semper apud me viget illa ratio, quod concilium Constantiense in nihilo intellexerit relevare excommunicatos etiam toleratos. * Qui Auctoris nostri opinioni refragantur, sunt Palaus, Henriq. Coninch; Sayr. Navarr. apud Contin. Tourn. *tr. de censur. p.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. *sect.* 1. quorum tamen rationes refellit, et adversam acriter tuetur una cum Suar. *de censur. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 17. Covarr. in *cap. Alma mater p.* 1. §. 6. *n.* 4. Bellarm. *lib.* 2. *de miss. cap.* 6. *

Q. II. Quaenam intentio requiratur in sacerdote ad sacrificium applicandum.

R. Cum certum sit intentionem actualem et virtualem sufficere, quaestio solummodo potest esse de intentione habituali. Quamvis autem non pauci negent intentionem habitualem, quae de sui natura non amplius perseverat, sufficere ad applicandum fructum sacrificii, mihi tamen sufficiens videtur. Ratio est, quia ideo intentio habitualis non sufficit ad conficiendum sacrificium, quia cum debeat humano modo fieri, oportet verificari sacerdotem vere velle celebrare, et sua intentione influere ad illud conficiendum; at id non fit nisi per intentionem vel actualem, vel virtualem ut saepe dictum est. At intentio celebrantis non respicit valorem sacrificii, tamquam sua intentione conficiendum; semper etenim ac subsistit sacificium, illius valor resultat, sed tam-

quam rem, seu objectum alteri applicandum, seu donandum sicut ergo semper cum quis habuit animum donandi, valet donatio usque dum non retractetur, ita semel habita intentione pro aliquo applicandi sacrificium, talis applicatio habebit suum effectum, si non fuerit retractata. Lugo *disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 93. Avers. *q.* 11. *sect.* 10. Pasqual. *de sacrif.* *q.* 162. *n.* 6. * Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 2. *n.* 11. Reiff. *l.* *c. n.* 72. et novissime docet Benedictus XIV. *de sacrif. miss.* *lib.* 3. *cap.* 16. §. 8. *

Q. III. Quid dicendum, si dum quis semel alicui applicaverit sacrificium, oblitus postea talis applicationis alteri applicet.

R. Si prima intentio ita fuit ampla et universalis, ut sacerdos intellexerit per eam applicare sacrificium, quamvis illius intentionis oblitus novam faceret applicationem, tunc videtur omnino applicatio fieri juxta primam intentionem; nam tunc habet vim retractationis subsequentis intentionis. Pasqualig. *q.* 171. *num.* 2. Si vero prima applicatione solummodo habuit intentionem pro aliquo celebrandi, nec voluit esse nullam quamcumque subsequentem applicationem, tunc sacrificium valeret juxta novam applicationem; nam cum foret primae aequalis et cum priore incompossibilis, haberet vim retractationis. Lugo *d.* 8. *n.* 124.

Q. IV. An sufficiat applicare missae sacrificium referendo suam intentionem ad intentionem alterius; et an sacerdos regularis teneatur applicare juxta intentionem sui praelati.

R. I. Aliud est committere alteri applicationem; ita ut ipse sacerdos per se omnino omittat applicare, et velit sacrificium applicari ab altero, et aliud est applicationem fieri a sacerdote, et alteri solum committere designationem personae, quae percipere debet fructum sacrificii. Hoc utique fieri potest, nam verificatur ipsum sacerdotem applicare, et alterum solummodo designare personam. Nullo vero modo potest ipse omittere applicationem, siquidem Christus Dominus soli sacerdoti dedit facultatem applicandi sacrificium, non vero alteri talem facultatem communicandi.

R. II. Ex dictis non bene se gereret regularis, si relinqueret applicationem sacrificii suo praelato. Immo, quidquid dicant aliqui, puto regularem valide applicare sacrificium contra voluntatem sui praelati; illius etenim liberae voluntati concessum est a Christo Domino missae sacrificium applicare, et cum haec potestas ab ordine derivet, non videtur posse a praelato impediri. Leand. *hic tr.* 8. *d.* 3. *q.* 18. Pasqualig. *de sacrif. miss. q.* 183. Salmant. *hic c.* 3. *p.* 3.

num. 25. Peccaret tamen graviter, si sacrificium esset applicandum juxta voluntatem sui superioris ex stipendio accepto; nam monasterium habet gravem obligationem talibus oneribus satisfaciendi, et obligationibus monasterii tenentur ipsi subditi satisfacere. Donat. *t.* 4. *tr.* 7. *q.* 85. * Benedictus XIV. *l. c. cap.* 9. §. 4. Suar. *d.* 79. *sect.* 9. Laym. *l. c. n.* 11. Lug. *d.* 19. *n.* 211. qui oppositam sententiam fere ab omnibus recentioribus rejectam dicit, et Contin. Tournel. *l. c. cap.* 9. *art.* 2. *sect.* 9. *q.* 6. *v. Probabilior.* * Si vero missae sint liberaliter et gratis applicandae, tunc non puto graviter peccare regularem contra sui praelati voluntatem missam applicantem. Ratio est, quia quidquid sit an praelatus possit praecipere actum internum applicationis, nihilominus videtur injuste sub gravi praecipere, quod gratis tantum est exhibendum, praeceptum autem injustum non inducit obligationem. Secus si praeciperet missam applicandam pro insigni benefactore, vel ob arcendam publicam calamitatem; nam tunc ratione obligationis antidoralis, vel charitatis adest justa causa, ut superior possit sub gravi praecipere.

Q. V. An valide applicetur missa sub conditione contingente de futuro.

R. Id neutiquam licet, nam quamvis sacerdoti datum sit posse sacrificium applicare, non tamen illi concessum est posse velle illud suspensum, usquedum adveniat conditio; cum non sit sub illius dominio. Hinc reprobata fuit quorumdam praxis, qui applicabant sacrificium pro eo, qui primus daturus erat eleemosynam, ut videre est apud Barbosam *de offic. et potest. episc. p.* 2. *alleg.* 24. *a n.* 12. Neque refert dicere in hoc casu fructum non remansurum suspensum; quia Deus videt qui primum daturus sit eleemosynam. Contra etenim est, quia sicut Deus non solet punire, neque remunerari ob futura opera, ita et dicendum videtur non applicare fructum sacrificii pro eo, qui primo collaturus est eleemosynam. Praeterea fieret contra voluntatem dantis eleemosynam; nam dum dat eleemosynam, intendit velle missam, cujus valorem certus sit posse percipere, adeoqne missam celebrandam, non celebratam. Demum quis scit, dum celebraretur missa pro primo, qui daturus est eleemosynam, istum tunc non esse in statu peccati mortalis? Quod si non sit in tali statu, dum postea eleemosynam tribuet, non solum capax erit fructus sacrificii

quoad impetrationem, sed etiam quoad satisfactionem. Palaus *tr.* 22. *disp. unic. p.* 6. *n.* 15. Laym. *l. c. n.* 13. Passerin. *q.* 187. *art.* 4. *a n.* 1163. et alii multi apud ipsum.

Q. VI. Quando facienda sit applicatio missae.

R. Juxta opinionem illorum, qui dicunt essentiam missae in sola communione consistere, certum est sufficere illam applicare etiam post consecrationem. At hanc opinionem capite superiori rejeci; et cum crediderim in sola consecratione ipsius essentiam consistere, puto applicationem ante consecrationem esse faciendam. Id autem omnino observandum est, dum applicandum est sacrificium ratione habitae eleemosynae; nam tunc debetur sacrificium, quod certo possit prodesse, valde autem dubitari potest, an prosit sacrificium, quod post consecrationem applicetur.

Q. VII. Cujus sit fructus sacrificii, si nulli applicetur, vel incapaci, puta beato, vel damnato.

R. Multi putant in utroque casu in ecclesiae thesauro remanere; quia Christus fructum sacrificii non applicat nisi mediante applicatione sacerdotis. * Reiff. *l. c. n.* 72. Contin. Tourn. *l. c. v. Quod si* * Sed bene etiam dici potest missam applicatam incapaci, aliis a Christo dispensari juxta interpretativam voluntatem offerentium, vel sacerdotis: d. Th. *in* 4. *d.* 45. *q.* 1. *ar.* 4. *q.* 2. *ad* 2. Passer. *q.* 187. *ar.* 4. *num.* 785. Potest etiam dici missam nulli, vel incapaci applicatam in ipsum sacerdotem reverti; quia saltem interpretrative praesumitur velle sibi prodesse. Gabr. a s. Vinc. *disp.* 2. *q.* 5. * et docent Laym. *l. c.* et Lug. *n.* 215. *

Q. VIII. Quando parochus teneatur missam pro suis ovibus applicare.

R. Parochi tenentur omnibus diebus festis sacrificium pro populo applicare, ita ut si redditus sint pingues teneantur singulis diebus, si vero tenues saltem diebus festis. Ita s. Congregatio pro dioecesi Lucana 10. Maii 1681. in Melitensi 7. Junii ejusdem anni; in Cremon. 20. decemb. 1692. in Pampilon. 18. Novemb. 1702. et 31. Maii 1704. in Camerinens. 28. Junii 1704. Neque credidit s. Congratio excusandos ab hoc onere etiam parochos congruam non habentes: *in nullius* Nonantulae 30. *Augusti* 1698. *in* Pistoriensi 14. Febr. 1699. Et cum de mense Julii 1711. quidam parochi dioecesis Narniensis exposuissent non habere nisi tenuissimam congruam viginti quinque scutorum, quam nullatenus miserabiles parochiani poterant augere, nihilominus rescriptum fuit servandum decretum emanatum in citata

Nonantulana. Et ratio est, quia parochus eo quod sit parochus tenetur ratione officii sacrificium pro ovibus suis applicare, et id etiam ex divino praecepto, ut innuit Tridentinum *sess.* 23. *c.* 1. *de refor.* Quapropter idem onus habent parochi amovibiles; usquedum enim exercent curam animarum, tenentur praecepto pro eis orandi, et sacrificium applicandi: * *Vid. in reg. pract.* *

Advertendum etiam non satisfieri huic praecepto, si applicetur pro populo missa conventualis, nam cum haec ut pars officii consideretur, applicanda est pro benefactoribus juxta textum *in cap. Cum creatura de celebr. miss.* et tradit inter alios Pignattellus *t.* 1. *consul.* 32. Porro per unicam missam non potest duplici obligationi satisfieri. Passer. *de stat. homin. t.* 2. *a.* 4. *q.* 187. *n.* 991. et dicam etiam infra.

Quod si parochi tenentur orare, et pro populo sacrificium offerre ex divino praecepto, multo magis hac adstringentur obligatione papa, qui est pastor universalis, episcopi, qui sunt parochi totius dioecesis, ac demum praelati regulares, qui habent curam animarum suorum subditorum cum jurisdictione in utroque foro. Videatur Tamburinus *de jur. abb. t.* 2. *disp.* 5. *q.* 5. *n.* 5.

Regulae in praxi observandae

I. Si sacerdos velit, ut par est sacrificium applicare, consideret quae praestare habeat sacrificium, et juxta ea illud applicet. Quia ergo est latreuticum, intendat illud offerre ad deferendum Deo supremum cultum et honorem, offerendo maxime ss. Trinitati ipsius Christi Domini humiliationes et adorationes. Quia est eucharisticum, intendat illud offerre in gratiarum actionem pro tot beneficiis nobis collatis; et praecipue pro beneficio incarnationis et passionis Christi, cujus memoria ex ipsius praecepto in hoc sacrificio specialiter recolitur. Quia est impetratorium, offerat ad impetrandam a Deo veniam pro nostris culpis, et ut hoc sacrificio placatus sit nobis non iratus, sed propitius, tribuatque auxilia, ut ex animo nos peccatorum poeniteat. Intendat pariter impetrare ea beneficia spiritualia et temporalia, quorum indigemus, conformando praecipue suam intentionem Christi et ecclesiae intentioni, cum sit ipsorum minister. Quia demum est satisfactorium, intendat offerre pro delenda poena debita suis peccatis vel peccatis illius, pro quo debet celebrare, cui semper debet applicare eam portionem satisfactionum Christi, cujus applicationem voluit ex ipsius voluntate pendere.

II. Alia etiam vellem observare sacerdotem in sacrificii applicatione. Primum, quod dum tenetur pro aliqua persona determinata sacrificium applicare; non applicet aliis, e. g. patri et matri nisi sub conditione; si etenim verum sit quod pluribus applicatum minus prodest, quam si uni applicetur, jam si absolute pluribus applicetur, minorem fructus portionem habebit ille, pro quo sacerdos tenetur celebrare; unde pro aliis solum applicare debet sub hac conditione, si id non noceat illi, pro quo tenetur celebrare. Secundum, quod si celebrandum est sacrificium pro persona, quae vivat, habeat intentionem applicandi satisfactionem sacrificii sibi, vel alteri, si forte illa persona, quia esset in peccato mortali, non esset capax obtinendae satisfactionis. Tertium, si celebret pro persona defuncta, applicet alteri, vel sibi sacrificium, si forte illius ea persona non sit capax; quia nempe vel assecuta sit aeternam gloriam, vel sit in inferno. Quod si adhuc degat in purgatorio, cum non sit capax fructus sacrificii nisi quoad satisfactionem, potest sibi, vel alteri applicare quoad propitiationem et impetrationem.

III. Optimum est sacerdotem vel actualiter, vel virtuali intentione applicare sacrificium pro iis, pro quibus tenetur celebrare. Nihilominus si sacerdos semel habuit intentionem suo tempore celebrandi, e. g. quando habuit eleemosinam, puto non debere anxium esse an satisfecerit, si postea talis obligationis oblitus celebraverit; nam usquedum non retractetur, videtur omnino vigere applicatio, seu donatio jam facta fructus sacrificii.

* Cum non spernenda theologorum pars sentiat sacrificii essentiam in consecratione consistere, hinc fit, ut si quis sacerdos illud applicaret post consecrationem, incerta remaneret satisfactio oneris suscepti pro applicatione, et ideo teneretur novum sacrificium offerre, cum per solutionem incertam certo debito non satisfiat. Consultius ergo est, ut sacerdotes applicationem faciant vel ante missam, vel in ipsa missa, sed ante consecrationem: Contin. Tourn. *l. c. in fin.**

* Quoad obligationem parochi applicandi missam diebus saltem festis pro suis ovibus; idem cum Auctore nostro senserunt Sot. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *et lib.* 9. *de just. q.* 3. *a.* 1. Barbos. *de pot. episc. alleg.* 24. *n.* 23. *et de offic. paroch. p.* 1. *cap.* 10. *n.* 10. Reiff. in 3. decret. *tit.* 41. *n.* 22. *et in* 5. *decret. tit.* 3. *n.* 209. Haec quae olim erat tantum aliquorum theologorum contra alios in diversa abeuntes opinio

solum nempe teneri parochum missam diebus festis legere, ut eam populus audire posset, et praxis aliquarum solum dioecesum, nunc lex omnino ab omnibus parochis Italis sequenda facta est a summo pontifice Benedicto XIV. in sua encyclica ad patriarcas, archiepiscopos, ac locorum ordinarios per totam Italiam edita die 29. Aug. an. 1744. incip. *Cum semper etc. bullar. tom.* 1. *pag.* 366. in qua infrascripta sancita habentur. Primo §. 3. et 4. omnes non solum parochos, sed etiam vicarios tam saeculares, quam regulares, vel ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus animarum curae addictos teneri missam pro populo sibi commisso applicare. Secundo §. 5. hanc obligationem declinare non posse sub praetestu contrariae consuetudinis, vel quod congruis redditibus destituantur. Tertio §. 6. hoc esse praestandum a parochis, omnibus diebus dominicis et festis de praecepto, iis etiam §. 7. comprehensis, in quibus de apostolicae sedis consensu in aliquibus locis populus missae interessae debet, sed operibus servilibus vacare potest. Denique §. 8. iisdem patriarchis, archiepiscopis etc. facultatem tribuit dispensandi cum parochis illis, qui ita pauperes sunt, ut ferme ex missarum eleemosynis vivere cogantur, ad hoc ut etiam diebus festis pro eleemosynam offerentibus missam applicare possint, dummodo tamen intra hebdomadam missas pro populo relictas suppleant. Quoad vicarios vero sive oeconomos tempore ecclesiae vacantis animarum curae deputatos pertinent, statuit illis per eosdem patriarcas etc. assignandam ex fructibus paroeciae tantam portionem, quae pro onere celebrandi et applicandi missas diebus festis sufficiat.*

* Quoad vero sententiam illam quae docebat parochos pingues redditus habentes teneri singulis diebus sacrificium pro populo applicare, eam moderari §. 6., et quicumque fuerint redditus, ad dominicos aliosque festos dies per annum reducere hanc obligationem opportunum duxit *.

CAPUT III.

De necessaria dispositione sacerdotis ad rite missam celebrandam; de obligatione servandi rubricas in celebrando, et de obligatione in missa nihil omittendi.

Q. I. Quae dispositio debeat esse in sacerdote, qui vult celebrare: et quae servare debeat antequam accedat ad altare.

R. I. Sacerdos, qui vult celebrare, debet esse in gratia et jejunus. At cum de his dispositionibus satis sermonem

habuerim quaestione superiori *c.* 5. ideo modo illuc lectorem remitto. Deinde aliqui putant peccaturum mortaliter, si absque justa causa celebret, non recitato matutino cum laudibus. * Decem et novem adnumerat Barb. *loc. c. inf. cit.* DD. inter quos s. Antoninum *p.* 3. *tit.* 13. *c.* s. Raymundum *in sum. tit.* 3. *de sacram. iteran. l.* 6. *gloss. pro defunctis* *. At quamvis id in rubricis praecipiatur, puto quoad hoc eas non servare non esse peccatum mortale, neque enim tanta connexio inter missam et horas canonicas apparet, ut sit quid grave missam, non recitatis horis canonicis, celebrare. Laym. *l.* 5. *tract.* 5. *c.* 4. *assert.* 4. Less. *de just. l.* 2. *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 81. et quamplures alii, quos allegat Barbosa *de offic. et potest. episc. p.* 2. *alleg.* 24. Magis censeo banc rubricam obligare quoad missam solemnem in choro cantandum post matutinum. * Ita contin. Tour. *l. c. cap.* 9. *sect.* 8. *q.* 2. Navarr. Sylvest. Medin. Suar. Sot. apud Fragos. *p.* 2. *lib.* 10. *d.* 21. §. 7. *n.* 22. Quod autem saltem peccet venialiter celebrans non recitato matutino, communior docet sententia apud la Croix *de sacrif. miss. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 230. a quo tamen excusat causa rationabilis, licet non omnino gravis, qualis esset major commoditas studii, itineris etc. et hanc tenent Palaus *p.* 10. *n.* 14. Less. *lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 81. De obligatione vero recitandi matutinum in choro ante missam solemnem, videatur Benedictus XIV. *de sacrif. miss. lib.* 3. *cap.* 11. §. 4. ubi peccati mortalis reum fieri docet sacerdotem; qui perpetuo statuisset missam celebrare ante matutinum. *

R. II. Sacerdos ante missae celebrationem deberet recitare solitas orationes pro praeparatione missae, at quia notantur recitandae pro sacerdotis opportunitate, ideo puto eas non cadere sub praecepto. Tambur. *c.* 7. §. 1. Item dedet sacerdos ante missam manus abluere, in quo tamen certe graviter non peccaret, nisi manus ita essent sordidae, ut reputarentur inducere notabilem et gravem irreverentiam. Si vere omittantur solitae orationes, dum sacerdos sacris vestibus se induit, putant aliqui esse grave peccatum. * Navarr. *lib.* 3. *consil. ad tit. de celebr. miss. cons.* 3. *et summ. cap.* 25. *n.* 23. ejusque sententiam probabilem vocat Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 29. *q.* 5. sed a caeteris reprobatur *; alii vero dicunt rubricam quoad eas esse solum directivam. Pasqual. *de sacrif. q.* 818. Id tamen mihi non probatur, quamvis putem ex ipsius transgressione solummodo culpam levem consurgere; cum non videatur esse de re gravi. *

Distinctionem hanc inter rubricas praeceptivas et directivas seu instructivas rejiciendam tradit Benedictus XIV. *de sacrif. miss. loc. c.* §. 3. et omnes esse praeceptivas docet, et quidem alias ex materiae gravitate sub mortali, alias ex levitate sub veniali obligare; quod etiam tenet Continuat. Tourn. *loc. cit. q.* 1. ex Quart. *in rubric. miss. q. fundam. p.* 2. Suar. *disp.* 82. *sect.* 3. Azor *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 29. *q.* 6. Bonac. *disp.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 3. *n.* 3. •

Q. II. Quomodo peccet sacerdos, qui voce satis depressa, vel nimis festine, vel distractus missam celebrat.

R. I Quamvis aliqui putent leviter peccare sacerdotem, qui missam celebrat voce ita depressa, ut difficiliter adstantes possint audire, ego puto nullatenus peccare; nam semper cum ita recitet, ut egrediatur terminos secretae recitationis, oratio publica evadit et aliunde adstantes non tenentur audire, sed solum esse moraliter praesentes. Pasqual. *de sacrif. q.* 230. *a n.* 4.

R. II. Cavere debent sacerdotes a missa nimis prolixa, quod observabat etiam s. Philippus Nerius, ut consuleret adstantium imbecillitati, et ne taedio eos afficeret. At nemo credat missam esse prolixam, si mediam horam non excedat; et nimis brevem reputare debet, si saltem tertiam horae partem non compleat, ut communiter docent DD. Quod si quis festine missam celebret, sed nihil praetermittat, aut caeremonias confundat, non peccabit nisi venialiter. Quia tamen, qui infra quadrantem missam absolvit, necesse est valde indevote celebrare, plura confundere, truncare, vel saltem sincopare, ideo communiter dicitur peccare mortaliter. Ex hoc autem oritur in episcopis et praelatis regularibus obligatio sub gravi turpem hanc et scandalosam celeritatem extirpare: Quarti *pag.* 1. *tit.* 16. *punct.* 6. *diff.* 3. Pasqual, *de sacrif. quaest.* 229. *num.* 7. • Verricell. *in qq. moralib. tract* 8. *q.* 53. *n.* 2. Benedictus XIV. *l. c. lib.* 3. [illegible]4. §. 2. *et inst. eccl.* 34. §. 6. *n.* 19. •

R. III. Scio aliquos docere sacerdotem celebrantem voluntarie distractum non peccare mortaliter, quamvis communiter in eo venialem culpam agnoscant. Ego nihilominus unice veram puto senteutiam, qua dicitur sacerdos graviter peccaturus, qui per tempus notabile missam celebrat voluntarie distractus; nam eo ipso quod velit missam celebrare, ejus recitatio debet habere rationem orationis, et etiam quantum ex ipso est facere actionem, qua Deus colatur, atque in his omnibus graviter deficit; dum per tempus notabile voluntarie

distractus missam celebrat. Hinc cum voluntaria distractione neque satisfieri obligationi recitandi divinum officium dixi *tr.* 3. *q.* 1. *cap.* 5. *q.* 2. Multo magis autem necesse est removere voluntarias distractiones tempore canonis; nam ista pars non tantum continet alloqui Deum, sed continet sacrificium, actum nempe excellentissimum religionis, adeoque peculiariter exposcit attentionem celebrantis. Addendum ex voluntaria distractione consurgere posse periculum quid grave omittendi, vel minus recte operandi. Tamb. *de sacrif. miss. l.* 2. *cap.* 3. *n.* 6. * Videatur Quarti *in rubr. miss. p.* 1. *t.* 16. *dub.* 5. *per tot.* *

Q. III. Quomodo peccet sacerdos celebrando capite cooperto, vel sine calceis.

R. I. Inter ea, quae servanda sunt in celebratione missae, primo advertere debet sacerdos non licere sibi sine licentia Papae celebrare capite cooperto, ut ex declaratione s. Congregationis notat Gavant. *p.* 2. *tit.* 12. *liter. F.* * Duo s. Congregationis decreta afferuntur a Merat. *p.* 2. *tit.* 2. *n.* 10. et a Baruff. *comment. ad rit. Rom. tit.* 80. §. 4. *num.* 51. Alterum S. R. C. die 31. Jan. et 24. Aprilis in Firmana, et Veliterna an. 1626. confirmatum ab Urbano VIII. ejusque jussu in missali Romano insertum his verbis: *nemo audeat uti pileolo in celebratione missarum sine expressa licentia sedis apostolicae, non obstante quacumque consuetudine contraria*. Alterum congregationis episcoporum 2. *Jan.* 1690. et 17. *Jan.* 1695. * Quamvis autem aliqui asserant id esse peccatum grave, nihilominus alii distinguunt dicendo esse peccatum leve celebrare usque ad canonem exclusive capite cooperto; quia non reputatur nisi levis irreverentia, grave vero deinde prosequi usque ad sumptionem capite cooperto; nam tunc gravis irreverentia consurgit. Pasqual. *de sacrif. q.* 826. Quarti *p.* 2. *tit.* 2. *d.* 3. * Videri potest Sylv. *p.* 3. *q.* 83. *art.* 5. Pax Jord. *de sacr. miss. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 305. Reiff. *theol. moral. tr.* 14. *dist.* 5. *add.* 2. *appen.* 3. qui cum pluribus aliis, secluso tamen scandalo et contemptu tenent celebrantem capite cooperto usque ad canonem, peccati venialis fieri reum, dummodo tamen et hoc faciat raro, et rationabili aliqua de causa. * Si vero celebret nudis pedibus sine calceis, reputatur levis irreverentia. Pasqual. *q.* 824. Quart. *l. c. p.* 2. *tit.* 1. *dub.* 9. * et cum eo Suar. Lug. Layman. Bonac. Soto et Sylvest. *

Q. IV. Quaenam omissio in celebratione missae sit grave, vel leve peccatum.

R. I. Quaedam sunt, quae reputantur omitti non posse in missa sine gravi culpa; quia ex earum omissione missa videtur reddi valde mutila, eique deficere aliqua pars non leviter conducens ad ejus integritatem. Ita se habet omissio epistolae et evangelii. Pasqual. *de sacrif. q.* 201. Quarti *in rubr. miss. quaest. fundament. sect.* 3. *p.* 3. Idem dicendum de omissione plurium prophetiarum, quando in missa leguntur, quamvis solum esset peccatum veniale unam omittere. Pasqual. *cit.* Si vero sacerdos solemniter celebrans omittat legere epistolam, vel evangelium, vel leviter tantum peccabit, ut vult Pasqualigus *q.* 192. vel nullum committet peccatum, cum rubrica id insinuans tantummodo directiva videatur; quia sacerdos ea audiendo a ministris videtur satisfacere. Lugo *d.* 20. *n.* 107. Quoad evangelium s. Joannis, vel aliud evangelium dicendum in fine missae, volunt aliqui ipsius omissionem esse solummodo peccatum veniale, quia cum dicatur post *Ite missa est*, non apparet pertinere ad missae integritatem. Tamb. *l.* 2. *cap.* 5. §. 2. *n.* 5. At non adhaerendum credo huic opinioni; tum quia quamvis ex rubricis dicendum sit post *Ite missa est*, ne antiquus ordo invertatur, non ideo credendum est ad integritatem missae non spectare; tum quia rubricae praecipiunt nunquam illud esse omittendum, et tale praeceptum non respicit rem levem.

Item reputatur quid grave omittere oblationem hostiae. Ubi advertendum, quod licet leve quid dici possit omittere offertorium, quod dicitur post evangelium, vel credo, quia pars non gravis, sed exigua reputatur. Pasqual. *de sacrif. q.* 201. ipsa tamen oblatio hostiae et calicis est quid grave, valde conducens ad integritatem missae, adeoque communiter docent DD. omitti non posse sine gravi culpa. Idem dicunt de omissione praefationis. Quoad omissiones factas in canone, quidam putant non esse peccatum grave omittere etiam octo nomina sanctorum. Pasqual. *de sacrif. q.* 202. Hanc tamen opinionem alii merito communiter rejiciunt; nam quo pars missae sacratior est, eo crescit gravitas omissionis, quamvis extra illam notabilis non videretur; unde ad summum excusandus a gravi culpa, qui tantum tria, vel quatuor nomina omitteret: Quarti *in rubric. miss. quaest. fundam. sect.* 3. *p.* 3. Sed quia omissiones factae in canone facile ad gravem culpam possunt pertingere, ideo bene esset sacerdotem scire, quando incipiat, et quando desinat.

At in hoc valde discrepant theologi, aliis dicentibus incipere ab illa clausula: *Communicantes;* aliis ab illis verbis:

Qui pridie quam pateretur. Aliis asserentibus desinere ad orationem dominicam; aliis *ad Agnus Dei*. At, meo videri; melius dicitur incipere ab illis verbis *Te igitur*, ubi est titulus, et docent Pasqual. *de sacrif. q.* 202. Fagund. *l.* 3. *c.* 18. Gavant. *p.* 2. *tit.* 7. *c.* 8. *n.* 15. aliique, desinere vero cum communione; alias cogeremur dicere partem tam praecipuam sacrificii esse extra canonem.

R. II. Si aliqua alia omittantur, non datur nisi culpa levis; ut si omittantur *Kyrie eleison*, vel Tractus; nam hae non sunt partes tantae dignitatis, ut ex earum omissione missa censeatur graviter deformata. Item si omittantur *Gloria in excelsis Deo;* vel *Credo*, vel quae tempore paschali et quibusdam aliis festis interponenda sunt in *Communicantes*, vel in *Hanc igitur*. Advertendum hic igitur est omissionem in missa posse esse grave peccatum, vel quia omittatur notabilis quantitas, vel quia id, quod in quantitate modicum videtur, est moraliter quid magnum, ut dixi de epistola, evangelio, oblatione. Omittere igitur *Kyrie eleison*, vel Tractum, non erit peccatum grave, quia talis omissio non est gravis in ordine ad quantitatem: et ulterius tales partes, quamvis pertineant ad integritatem missae, non talis reputantur dignitatis, ut sint quid grave in morali aestimatione. Pasqualig. *de sacrif. q.* 201. Item omittere *Gloria*, vel *Credo* non est quid grave respectu quantitatis, neque videtur esse quid magnum moraliter; quia adhuc missa sine iis, non est mutila, ut constat in missa feriali. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 59. Eodem modo loquendum de omittente unam, vel alteram orationem. Secus esset, si etiam pauca verba omitterentur, ex quorum omissione destrui videretur aliqua pars notabilis missae, ut si in oblatione ita aliqua verba mutentur, quod non amplius intelligatur sacerdos offerre: Quarti *in rubr. q. fundam. sect.* 3. *p.* 3.

R. III. In omissione caeremoniarum datur gravis, vel levis culpa, secundum quod illae caeremoniae reputantur graviores, et continere specialem significationem. Hinc non omitteretur sine culpa gravi mixtio aquae cum vino, fractio hostiae, illiusque mixtio, vel omnia, seu pars signorum, quae fiunt super oblata etc. Non esset vero gravis culpa unam vel alteram crucem omittere, elevationem manuum, tunsionem pectoris etc. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 45. Caeterum non excusandus videtur a gravi culpa, qui majorem partem caeremoniarum, exceptis etiam gravioribus, omitte-

ret; nam ex quantitate earum videtur consurgere transgressio in materia gravi. * Videri etiam possunt Contin. Tournel. *de euch. p.* 2. *cap.* 9. *sect.* 8. Reiffenst. *l. c. append.* 3. *addit.* 13. *et* 14. *

Q. V. Quid facere debeat sacerdos, si afferantur particulae pro communione laicorum post oblationem; et quousque retinendae sint super altare.

R. I. Cum rubrica de offertorio §. 7. *n.* 3. velit hujusmodi particulas esse cum hostia offerendas, nec videatur dici posse levis caeremonia hujusmodi oblatio, hinc hujusmodi oblationem omittere, vel variare, quidam putant esse peccatum grave. Passer. *tom.* 2. *q.* 187. *art.* 1. *n.* 963. Bonacc. *de sacr. miss. q. ult. p.* 2. *n.* 6. Alii vero dicunt solummodo esse gravem obligationem offerendi, et caeremonias servare quoad hostiam grandiorem, non vero quoad particulas, quae ad illam se habent accessorie, adeoque posse mentaliter offerri, maxime si paulo ante facta sit oblatio hostiae grandioris. Gavant. *in rubr. missal. p.* 3. *tit.* 10. *n.* 19. vel etiamsi afferantur post praefationem. Tamburin *in meth. celebr. miss. l.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 9. 10. *et* 11. addens aliquam justam causam excusare posse a culpa levi, si in hoc esset, puta, commoditas populi communicaturi. * Videantur regulae in praxi in fine capitis sequentis. *

R. II. Particulae pro communicandis laicis permanere debent super altare usque ad communionem sacerdotis, non solum quia aequum non est laicos ante sacerdotem participare debere de sacrificio, sed multo magis quia oblationes et benedictiones etiam ad has particulas spectant. Lug. *d.* 20. *n.* 69. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 233. Verum id non servare putant aliqui non peccatum grave, vel etiam nullum, si e. g. conveniens esset non amplius differre communionem laicorum.

Q. VI. Quae servare debeat sacerdos pro purificatione.

R. Sacerdos, sumpto sanguine, ad calicem purificandum debet vinum adhibere in ea quantitate, qua fuerunt species sanguinis, et si tantam quantitatem habere non possit, saltem vinum intra calicem circumagat, ut sufficienter absumantur dictae species. Sumat deinde purificationem per eam partem calicis, per quam sanguis haustus est: vide Gavantum *p.* 2. *t.* 10. *n.* 5. *l.* 10. Porro extat praeceptum, ut prima purificatio fiat ex vino: *cap. Ex parte de celebr. miss.* quod tamen censent non obligare sub gravi, cum sit levis variatio si fiat aqua. Pasqualig. *de sacrif. q.* 209. *n.* 4. Tambur. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 1. Alteram vero digitorum ablutionem sola aqua fieri posse concedunt ipsae rubricae.

CAPUT IV.

De obligatione nihil addendi, vel variandi in missa celebranda; de qualitate missae observanda; de ea non interrumpenda; et de supplendis iis quae omissa sunt.

Q. I. Quale peccatum sit addere aliquid in missa, vel illius ordinem invertere.

R. I. Addere aliquid in missa per se est peccatum grave; nam hoc prohibitum fuit a s. Pio V. ut patet ex rubricis, quae prohibitio dici non potest de re levi. Nihilominus si quid leve addatur non ad mutandum ritum, sed ex quadam quamvis non rationabili devotione ipsius sacerdotis, ex parvitate materiae esset peccatum leve, si absit scandalum, quod quidem adesset, si e. g. sacerdos alta voce novum adderet *Pater noster*. Tambur. *cit. l.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 2. Idem ex eodem Tamburino *n.* 7. dicendum esset, si regularis adderet in missa nomen sui generalis etc. quamvis etenim id prohibuerit s. Congregatio, nihilominus prohibitio videtur de re levi. Ubi obiter advertendum regulares et quoscumque sacerdotes celebrantes debere nominare non proprium episcopum, si e. g. sint itinerantes, sed episcopum loci, in quo celebrant. Gavant. *p.* 2. *tit.* 8. *n.* 1. *l. N.* Inter novas caeremonias missae additas annumeratur etiam meditari ante sumptionem corporis, et post sumptionem sanguinis; nam rubricae solummodo tria tempora quiescendi, seu meditandi assignant; nempe in duplici memento, et post sumptionem corporis.

R. II. Invertere ordinem circa partes integrantes dissimiles, quae de se sint quid grave, est culpa gravis, ut si fiat oblatio ante evangelium; quia violatur praescriptum ab ecclesia in re gravi. Si vero invertatur in partibus similibus, erit tantum culpa levis; ut si non servetur debitus ordo inter orationes; quia variatio tunc est in re levi. Pasqual. *de sacrif. q.* 223. * Videatur Pax Jord. *de sacr. miss. l.* 4. *tit.* 1. *n.* 369. *et seq.* *

Q. II. An qualitas missae sit observanda; et quale peccatum sit illam non observare.

R. I. Ex rubricis habetur missam concordare debere rubricis. Nihilominus non videtur peccare, qui celebrat missas votivas extra diem dominicae, vel quando officium non est duplex, vel quando non sunt feriae privilegiatae. Gavant. *in rubris. miss. p.* 1. *tit.* 4. *l.* 10. Quod si aliquis ce-

lebret in ecclesia, ubi missa alia a currente celebratur, ut facile accidere potest in ecclesia regularium, poterit missam festo conformem celebrare, sed juxta missale Romanum, non juxta missale proprium regularium, ut ex decreto s. Congregationis apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 263. in catalogo decretorum s. Congregationis * Apud Merati *tom.* 1. *p.* 2. *num.* 190. S. R. C. 20. *Novemb.* 1628. et 11. *Februar.* 1702. *sub n.* 561. nec non 20. *Novemb.* 1717. in decreto generali a Clemente XI. approbato, apud Pitton. *de ritibus n.* 1768. Neque infra octavas epiphaniae, paschatis, pentecostes, corporis Christi possunt legi missae votivae, neque defunctorum, nisi solemnes praesente cadavere, ex variis S. R. C. decretis videndis apud Gavant. *p.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. apud la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 498. et ita speciatim statuerunt Clemens X. 13. Septemb. 1670. et Clemens XI. 29. Septemb. 1714. *

R. II. Qui diebus impeditis celebrat aliam missam a currente, si id non fiat cum scandalo, vel animo introducendi novum ritum; ordinarie loquendo, solum peccabit venialiter; nam non constat latum esse praeceptum obligans sub gravi de celebrandis missis, quae tunc praescribuntur. Lugo *d.* 21. *n.* 105. Quarti *p.* 1. *tit.* 4. *dub.* 3. Dixi, regulariter loquendo; nam e. g. in missa solemni major rigor est observandus, ut missa cum officio concordet, ut notat Tamburinus *l.* 3. *c.* 6. §. 1. *n.* 6. * et probat fuse Pax Jord. *l. c. n.* 490. ex *cap. Cum creatura de celebrat. missar.* et ex variis S. R. C. decretis, qui extant apud Merat. *n.* 198. *et* 204. et apud Gavant. *p.* 1 *tit.* 4. *n.* 3. *et p.* 3. *tit.* 11. *n.* 4. Barbos. *de canonic. et dignit. cap.* 34. *num.* 1. et in *summ. apost. decis. collect.* 424. *num.* 15. Cecroper. *lucubr. canonic. p.* 2. *l.* 3. *tit.* 4 *n.* 29. *et* 30. Atque hoc ita rigorose interpretantur aliqui, ut alias canonici non lucrentur distributiones ex decr. s. Congreg. 25. *Junii* 1611. et 28. *Jan.* 1612. apud Gavant. *p.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. *. Item videretur esse non levis incongruentia in die magnae solemnitatis missam valde disparatam celebrare; ut si in paschae solemnitate celebraretur missa de passione. Quid dicendum de missis defunctorum dicam paulo post.

Si vero adsit justa causa, nullum erit peccatum celebrare aliam missam a currente etiam diebus impeditis; justa enim causa tollit eam incongruentiam, quae tunc videtur intervenire. Hujusmodi causae ad sequentes reducuntur. Prima si sacerdos nolens missam omittere, non habeat missale, in quo sit missa, quam debet celebrare. * Notandum cum

la Croix ex decr. S. R. C. 19. *Novemb.* 1622. dummodo non sit missale diversi ritus. Hinc in ecclesiis regularium, ubi celebrari contingat festum alicujus sancti ejus ordinis, poterit legi missa de eo sancto, sed utendo missali Romano, et legendo missam de communi: decr. S. R. C. *die* 10. *Novemb.* 1628. *. Secunda si adsit aliquod impedimentum ex parte ipsius sacerdotis, ut si non possit celebrare missas currentes in diebus hebdomadae sanctae, adeoque celebret missam breviorem de passione. * Merati *pag.* 4. *tit.* 17. *observ.* 111. Reiff. *l. c. addit.* 7. *append.* 3. Scarfant. *lucubr. canonic. l.* 3. *c.* 6. *n.* 18. *et* 19. *. Tertia si celebret in ecclesia, ubi sit particulare festum; nam tunc debet celebrare missam conformem festivitati. Quarta si adsit publica gravis necessitas, poterit in festis non majoribus unica missa votiva celebrari, * dummodo sit solemnis cum cantu. Lobner *de sacrif. miss. p.* 4. *tit.* 2. §. 1. *n.* 7. ex Gavant. *l. c. n.* 17. Gravis autem necessitas aut urgens causa esset illa, quae merito posset episcopo et clero, vel alteri communitati occasionem praebere simul conveniendi, et Deo supplicandi e. g. tempore belli, pestis etc. ait Reiff. *l. c. addit.* 8. ex decr. S. R. C. 19. *Maji* 1607. relato a Merati in indice decretorum *sub n.* 58. Alteram addit causam Pax Jord. *l. c. n.* 500. nempe promissionem, vel stipendium pro certa missa. Hae porro omnes et aliae quae ab Auctoribus citatis afferuntur, non ab omnibus probantur. Videatur Merati *l. c. observ. III.* * Quoad alias causas videndus Tamburinus citatus, aliique auctores.

R. III. Esset peccatum grave celebrare missas de defunctis in iis diebus, quibus alias non licet illas celebrare; nam datur praeceptum s. Congregationis id districte prohibens, ut videre est apud Passerinum *t.* 2. *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1204. * et apud Merat. *in indic. decret. sub n.* 396. *, ubi eadem s. Congregatio addidit, quod si missae defunctorum a benefactoribus praescriptae incidant in festum duplex, non sunt differendae, ne animarum suffragia differantur, sed applicandae juxta mentem benefactorum. At observare est Alexandrum VII. sub die 22. Januarii 1667. ut videre est in bullario *t.* 6. *p.* 252. declarasse decretum s. Congregationis non comprehendere anniversaria, et missas cantatas de requiem, relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus celebrandas. Addidit etiam missas currentes celebratas in duplicibus in altaribus privilegiatis, eodem modo illis suffragari, ac si fuissent de requiem.

Q. III. Quandonam liceat missam interrumpere.

R. I. Si interruptio sit accidentalis, nempe quoad preces praescriptas ab ecclesia, plures sunt causae, quibus licet missam interrumpere. Missa igitur licite juxta communem praxim interrumpitur ante, vel post symbolum Nicaenum pro concione habenda. Non bene vero ex hujusmodi causa interrumpitur post primam oblationem panis et vini; nam cum haec speciali modo ordinem dicat ad consecrationem, non est sine aliqua irreverentia tunc missam interrumpere. Secundo aliqui volunt licite missam interrumpi in adventu praelati, principis, populi, maxime si id accidat in die festo, et recitatum sit evangelium, concedentes iterum missam posse inchoari, si non facta sit oblatio, et non adsit alius sacerdos, qui possit missam celebrare. Gavant *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 17. * Alteram hanc interrumpendae missae causam admittunt Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Azor. *p.* 1. *tit.* 10. *c.* 32. *q.* 3. et alii apud Sylv. *q.* 83. *a.* 7. *quaer.* 3. *Verum hoc in praxi ab ullo sacerdote redigi nolim, praesertim cum a peccato excusentur, qui totam missam audire non valent, immo qui totam inviti omittunt*, ait Contin. Tourn. *l. c. sect.* 9. *q.* 4. *v. Caeterum* cum Sylv. et Ledesm. praesertim hodie in tanta sacerdotum frequentia subjungit Pax Jord. *l. c. n.* 357. *. Tertio licite interrumpitur accidentaliter ex metu gravi, ex superveniente corporali necessitate, ex superveniente proximi spirituali necessitate ex superveniente violatione ecclesiae, vel altaris, de quibus omnibus casibus agit Tamburinus *de sacrif. miss. c.* 7. §. 2. *et seqq. usque ad* §. 9. *lib.* 2. * Videantur Continuat. Tourn. *l. c. v. Quinto cum sacerdos* Laym. *l. c. n.* 1. *. Quid facere debeat sacerdos, si superveniat excommunicatus vitandus, dixi *tr.* 4. *q.* 2. *c. un. quaes.* 5. Quid si dum est ad altare, recordetur se esse in peccato mortali, dixi quaest. antecedenti *c.* 5. *q.* 3. et quid si recordetur non esse jejunum, dixi *ibid. q.* 9. *resp.* 3. Caeterum advertendum non posse sine gravi culpa missam absque justa causa etiam quoad partes accidentales notabiliter interrumpi, et qui *temere id praesumpserit* excommunicationem ferendam incurrit: *c. Nihil caus.* 7. *q.* 1. * Et quamvis Archidiac. in d. *c.* et Diaz *in pract. crimin. canonic. c.* 46. *v. Clericus*, putaverint hanc excommunicationem incurri ipso jure, melius tamen Navarr. *miscell. de horis canon.* Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 32. *q.* 2. docent contrarium, nempe esse ferendae sententiae. Pax Jord. *l. c. n.* 338. *

R. II. Si interruptio debeat esse essentialis, ut si post consecrationem hostiae omittenda esset vini consecratio, vel facta utriusque speciei consecratione, missa non posset continuari usque ad sumptionem, quae si non sit pars essentialis sacrificii, certe pertinet ad ipsius perfectionem integralem, tunc talis interruptio non est licita, nisi interveniat praeceptum magis obligans, quam praeceptum divinum affirmativum de integritate sacrificii. Hinc poterit essentialiter interrumpi missa, si superveniat hostis, qui velit interficere celebrantem, vel hoc periculum repente consurgat ex incendio, terraemotu etc. nam praeceptum naturale conservandi vitam, strictius obligat praecepto de non interrumpendo essentialiter sacrificio. Idem dicas, si superveniant haeretici illaturi injuriam sacramento. Layman. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. *a num.* 2. Gabr. a s. Vinc. *disp.* 1. *q.* 6. Item licebit essentialiter interrumpere missam ob gravem spiritualem proximi necessitatem; ut si sacerdos, facta consecratione, advocetur ad confessionem moribundi sine ulla mora excipiendam; nam magis urget praeceptum naturale succurendi proximo in extrema spirituali necessitate constituto. In tali igitur casu, si alius non sit sacerdos, celebrans debet missam interrumpere, et deferendo secum particulam hostiae consecratae et extremam unctionem ad moribundum pergere, illiusque audita confessione, caetera sacramenta administrare. * Pax Jord. *l. c. n.* 342. Reiff. *theol. tract.* 14. *dist.* 5. *q.* 9. *addit. post n.* 114. *

Quod si confessio futura esset ita diuturna, ut semihoram excederet, non videtur tunc obligare praeceptum de materiali integritate confessionis; unde poterit illum absolvere etiam tali materiali integritate non servata. Redeat deinde ad perficiendum sacrificium, quod semper facere debet, si potest, quando illud essentialiter interrupit; eoque peracto iterum audiat moribundum, et absolvat, si adhuc sit superstes, ut ita servetur etiam integritas materialis confessionis, caeteraque de more persolvat. Dian. *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 70. * Hoc docent pariter la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *de sacrif. miss. num.* 248. Reiff. *ubi supra* Pasqualig. *q.* 198. *

Alter casus, in quo licet interrumpere essentialiter sacrificium est, si perfici non possit sine gravi adstantium scandalo; nam tunc magis urget praeceptum illud removendi: ut si dum sumit calicem, agnoscat aquam, seu vinum lymphatum consecrasse, et non possit vinum haberi sine gravi scandalo. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 33. *q.* 6. Fagund. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 10. Bonac. *de sacrif. miss. q. ult. p.* 10. *n.* 3. Meo

tamen videri, hoc scandalum facile removeri potest, si dum sine quadam admiratione vinum haberi non possit, admoneantur adstantes non allatum esse ex errore vinum pro consecratione, adeoque novum vinum esse consecrandum. Licite demum essentialiter missa interrumpitur, dum superveniat morbus, unde sacerdos non possit missam perficere; vel talis corporalis necessitas, ut non possit missam sine gravi indecentia prosequi.

Q. IV. An et quomodo supplenda sint omissa in missa.

R. I. Quod omissum est in missa, dum sacerdos nondum secrete orat, si post pauca verba non advertatur, non est repetendum, quia non fieret sine admiratione adstantium, et missae ordo turbaretur. Idem dicas, dum secrete orat, si omisit quid accidentale, et advertat omissionem postquam multum progressus est; nam tunc reassumendo quod omisit, notabiliter ordinem immutaret: d. Th. *p.* 3. *q.* 83. *art.* 6. *ad* 5. Non tamen debet sacerdos in progressu missae sibi facile persuadere aliquid omisisse; nam in iis, quae saepe recitamus, propter verborum cohaerentiam difficiliter aliquid omittitur; Coninch. *de euch. q.* 83. *a.* 7. *num.* 282. Si vero sacerdos advertat omisisse aliquid missae necessarium, vel id probabiliter credat, omnino est supplendum, ut de se patet.

R. II. Si sacerdos post consecrationem utriusque speciei advertat hostiam aptam non fuisse consecrationi, quia e. g. erat corrupta, volunt aliqui, qui putant ordinem consecrationis esse essentialem, debere iterum aliam hostiam et aliud vinum consecrare; at alii putant talem ordinem non esse essentialem, adeoque sufficere solam hostiam consecrare. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 230. Si vero sacerdos ante sumptionem hostiae advertat non consecrasse vinum, quia e. g. erat aqua, tunc satis est novum vinum consecrare. Quod si id advertat, sumpta hostia, tunc docet s. Th. 3. *p. q.* 83. *a.* 6. etiam novam hostiam esse consecrandam, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur etc.* et juxta s. Thom. docent rubricae missalis *cap. de def. vin. n.* 5. Alii vero quoad hoc nullum praeceptum agnoscunt; quia etsi solum vinum consecretur, illius consecratio videtur moraliter uniri cum consecratione hostiae suo loco facta; et ulterius aptius suppleri potest defectus sine scandalo, si solum tempore ablutionis novum vinum consecretur, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo etc.* Dian. *resolutio* 236. et alii apud ipsum.

Si vero supplendum sit sacrificium ab alio sacerdote omissum, tunc puto quod licet possit alter prosequi, si omissum

fuit incepto canone, nihilominus ad id non teneatur; immo volunt aliqui, quorum opinio non est magis communiter recepta, nec teneri saltem sub mortali, etsi omissum fuerit post consecrationem; quia *can. Nihil.* 7. *q.* 1. id liberum relinquitur sacerdoti. Coton. *de sacrif. contr.* 5. *cap.* 1. *n.* 16. Quod si velit illud perficere, statim ac fieri potest, est perficiendum; si enim pertranseat tempus notabile antequam perficiatur; non esset moralis continuatio sacrificii omissi. Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 3. *sect.* 1. *d.* 5. Deinde si deficiat sacerdos post consecrationem hostiae, et certo sciatur illam consecrasse, tunc prosequendum est sacrificium a consecratione vini, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo etc.* Si vero dubitetur, an sacerdos, qui deficit, vere hostiam consecraverit, tunc inter varias theologorum opiniones, credo sacerdotem, qui debet prosequi sacrificium, debere ita se gerere. Si iste sacerdos ea die nondum celebraverit debet aliam hostiam assumere, illamque absolute consecrare, hostiam vero relictam tantum sub conditione; atque ita fiet, quod si primus sacerdos non consecraverit, iste secundus integre sacrificet, quod ei licitum est, si vero prima hostia fuerat consecrata, verificabitur ab isto sacerdote solummodo prosequi omissum sacrificium. Si vero sacerdos, qui debet illud prosequi; ea die celebraverit, cum tunc non habeat jus ad novum sacrificium, sed solum ad prosequendum omissum, non puto posse novam hostiam consecrare, sed solum debere sub conditione consecrare hostiam, de qua dubitatur an fuerit consecrata, et ita prosequi sacrificium. Demum si contingat sacerdotem mori post sumptum corpus Christi, ex d. Thom. 3. *p. quaest.* 83. *art.* 6. *ad* 4. et aliis deberet, alter novum panem et vinum consecrare, simulque sumere cum vino consecrato a defuncto; aliis e contra asserentibus sufficere, si sumat sanguinem: cum ita sufficienter intelligatur perfici sacrificium. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 240.

Quoad alios defectus in missa occurrentes remitto lectorem ad ea, quae habentur in rubricis sub titulo, de *defectibus in missa occurrentibus*.

Regulae in praxi observandae

I. Bene animadvertat confessarius, quod quamvis theologi distinguant ritus, seu rubricas missae in praeceptivas et directivas, atque alias dicant solum obligare sub levi, alias sub gravi culpa; nihilominus semper dure increpare debet sacerdotem suum poenitentem, qui negligens est in iis addiscendis, adeoque eas non servat, ut par est. Moneat, ec-

clesiam a divino Spiritu gubernatam, nullum ritum induxisse, quo vel non designetur aliquod mysterium vitae, seu passionis Christi Domini; vel saltem deservire non debeat ad excitandam in populo devotionem. Conveniens ne ergo est, ut ipse sacerdos, dum ipsius Christi personam gerit, aliqua veluti parvi faciat, omittat etc.? At praeterea notet confessarius hujusmodi sacerdotem sibi a confessionibus facillime peccare mortaliter. Primo, quia non unum, aut alterum, sed quamplures ritus non observando, ejus trangressio non dici potest esse in materia levi. Secundo ratione contemptus. Pro quo observandum non solum peccare mortaliter, qui vere omitteret quemcumque sacrum ritum, quia parvipenderet, sed etiam qui ita se gerit, ut se parvipendere demonstret ipsos ritus et caeremonias; quod certe evenit, si frequenter et multas non observet: sicut injuriam alteri irrogaret non solum qui illum corde contemneret, sed etiam si solum ita se gereret, ut ipsis operationibus demonstraret ipsum parvifacere. Tertio peccare potest gravissime sacerdos ratione scandali. Et quidem excuset, qui potest, a gravi scandalo illum sacerdotem, qui antequam celebret, per aliquod tempus in sacristia confabulatur, non solum de rebus indifferentibus colloquendo, sed etiam de iis, quae non parum dedecent sacerdotem. Accedit deinde ad sacras vestes induendas, et tunc vel omittit sacras preces, quarum sola omissio in opinione aliquorum est gravis culpa, vel si recitat, variis sermonibus interrumpit. Procedit inde ad altare cum magna festinatione, huc illucque oculis divagando, ac missam ita festinanter celebrat, ut in ipsius initio jam ad finem anhelare demonstret, quae acceleratio potest de se, ut dixi supra, esse grave peccatum. Accedit ad augendum scandalum, dari aliquando sacerdotes, qui dum se ad populum convertunt, oculis procacibus adstantes, et fortasse foeminas intuentur. Si nimis verum est, juxta vulgatum dictum, ut sacerdos *qui missam praecipitat, in infernum praecipitat*, quid dicendum de sacerdote ex tot capitibus gravis scandali culpabile?

II. Etiam atque etiam obtestor confessarium, ut non permittat suo poenitenti illi opinioni adhaerere, qua dicitur non esse grave peccatum missam celebrare voluntarie et notabiliter distractum. Si coram Deo semper credendum est aliqua saltem levi culpa inquinatus ille, qui voluntarie distractus quamcumque aliam recitat orationem, quid dicendum de celebratione tam sacrosancti ac tremendi sacrificii, si cum

voluntaria notabili distractione celebretur? Ego in hoc ex duplici capite grave agnosco peccatum; quia nempe in hoc gravem irreverentiam considero, et grave periculum etiam in re non levi errandi.

E contra si confessarius habeat poenitentem, qui in celebrando, ex timore aliqua omisisse, saepe repetat, et maxime dum recitat, quae secreta sunt, illum omnino ab hac angustia removeat, tum quia volunt theologi credere non debere se aliqua omisisse; et quidem hoc difficiliter evenit in scrupulosioribus: tum quia docent quod si de hoc dubitet, postquam jam aliqua recitaverit, non debet ordinem invertere et retro redire.

III. Sacerdos non debet ignorare quid agere debeat, si contingat, vel vinum, vel hostiam non aptam esse consecrationi, maxime quando id adverteret tempore sumptionis; quid etiam praestandum, si contingat alterum sacerdotem non posse missam prosequi etc. Hi casus re vera raro accidunt, at accidere possunt; et cum multi sacerdotes ignorent quid tunc praestandum sit, facillime eveniet, vel sacrificium mutilum remanere, vel non compleri, sicuti conveniens est. Interim moneo, quod si sacerdos post sumptionem animadvertat aquam loco vini fuisse appositam, vel acetum, bene agere putarem, si accedendo ad cornu altaris, curet novum vinum aptum afferri, ibique eodem in calice posito cum pauxillo aquae dissimulanter offerat et consecret; et bene ex dictis incipere potest ab illis verbis; *Simili modo etc.*

* Si afferantur particulae ad altare consecrandae post oblationem, nullo modo debet sacerdos illas consecrare sine legittima causa. Haec autem esse posset, si adesset magna populi multitudo ad sacram eucharistiam recipiendam parata, quae alias sine communione discedere cogeretur, et tunc deberet sacerdos eas mente offerre. Incaepto vero canone nullo modo sunt consecrandae neque pro ministrando viatico infirmo, sed in isto casu sufficit, quod celebrans ex sua hostia grandiori parvam portionem ad hoc separet. Benedictus XIV. *de sacrif. miss. cap.* 18. §. 5. *.

IV. Demus casum parochum ruralem celebrantem, peracta consecratione, ad moribundum quam cito advocari. Quid tunc praestandum est? Ut dixi communiter theologi docent interrumpere debere sacrificium, aliquibus relictis, ut reverenter hostia et calix consecratus custodiantur, et postquam sacramenta infirmo ministraverit, redire debere ad

sacrificium perficiendum. Haec doctrina optima est, et forte facile reduci potest ad praxim, si infirmus non longe absit. At demus multum abesse; demus parochum esse senem, et non sine magna difficultate iterum jejunum rediturum ad perficiendum sacrificium, quid tunc praestandum? Salvo semper meliori judicio, in casu quo difficillimum esset redire ad sacrificium perficiendum, ego crederem debere statim hostiam et calicem sumere, et deinde ad infirmum procedere. Ita satisfit praecepto naturali de succurrendo proximo in extrema spirituali necessitate constituto; satisfit praecepto de non relinquendo sacrificio imperfecto; et solummodo omittitur praeceptum ecclesiasticum de conficiendo sacrificio etiam illis ritibus et caeremoniis, quae sunt inter consecrationem et sumptionem, quod praeceptum in talibus circumstantiis non videtur obligare.

* Hanc, quam Auctor noster affert opinionem, cui adhaerere videtur Pasqualig. *de sacrific. miss. q.* 213. quaeque improbanda non videtur propter rationes ab eodem allatas, et propter principium illud: *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* ex reg. 4. jur. habere posse locum puto, si agatur de moribundo, qui sacramentali confessione sua peccata expiare opus habeat, sicuti de infante, qui a nullo alio possit baptizari, alias sine baptismo decessuro, vel etiam de adulto, qui cum sacramentum poenitentiae recipere nequeat, necessitatem haberet, vel recipiendi viaticum, vel extremam unctionem. Quod si moribundus ille peccata sua confessus jam fuerit, nec prudenter judicari possit primam gratiam amisisse, tunc neque ad viaticum, neque ad extremam unctionem ministrandam interrumpi potest missa post inchoatum canonem, si exeundae sint vestes sacrae, atque e templo egrediendum; quoniam necessitati non tam gravi infirmi praeponderare debet lex non interrumpendi sacri ob reverentiam sacrificio debitam. Layman *l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 7. *n.* 2. Silv. *l. c.* Reiffenst. *l. c. addit. post n.* 114. *

* A superiori doctrina ab Auctore tradita *quaer.* 2. R/. 2. *v. Si vero*, sacerdoti ob capitis debilitatem, crurumque lassitatem et similia missam longiorem celebrare non valenti, breviorem permittente, votivam nempe de Passione, aliqui exceptam vellent dominicam Palmarum solemnitatis illius diei ratione, auctoritate forsan ducti sacr. rit. Congregat. *quae in Ulyssiponen. die* 14. *Aprilis* 1646. apud Merat. *tom.* 1. *p.* 2. *in indic. decret. sub n.* 289. missas votivas omnino

prohibuit in dominica Palmarum. Verum hanc exceptionem non admitterem, quam non admittunt doctores, dum generaliter loquuntur, et generaliter breviorem permittunt justa et rationabili interveniente causa, et sacr. Cong. decretum intelligendum, quando hujusmodi causa non adest. Videantur Tamb. *de sacrific. miss. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 12. Pasqualig. *de sacrific. nov. leg. tract.* 1. *q.* 244. *n.* 6. *et* 9. Quart. *in rubric. miss. quaest. proemial. sect.* 2. *p.* 7. *v. Colligitur* 1. Merat, *addit. ad Gavant. p.* 4. *tit.* 17. *n.* 111. Duo autem huic sacerdoti in similibus casibus suaderem. 1. Ut hujusmodi missam celebraret in oratorio privato ad evitandum populi scandalum, et admirationem, secundo ut in dominica Palmarum missam legeret de eadem ponendo loco evangelii Passionis, evangelium de Palmarum benedictione, et in fine evangelii s. Joannis. Scarafant. *lucubr. canonic. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 18. *

* Potest dari casus, quod sacerdos celebraturus praevideat se unam alteramve caeremoniam in missali praescriptam non posse observare, in isto casu perpendendum, an de ritu essentiali, sed gravi, puta defectum aquae cum vino miscendae, et tunc abstinendum omnino a celebratione; immo si bona fide sacrum inchoaverit, statim ac aquae defectum deprehendit, ab incaepto desistendum, nisi aliud gravis scandali vitandi necessitas suadeat: ita ex Continuat. Tourn. *tr. de euchar. cap.* 9. *art.* 2. *sect.* 8. *v. Quaer. an impotentia*. Si vero de leviori defectu loquamur, tunc ex una parte gravitas caeremoniarum intermittendarum pensanda, et cum necessitate celebrandi conferenda, et exinde videndum, num consultius sit sine his missam celebrare, quam omittere. Reiff. *theol. tr.* 14. *dist.* 5. *add.* 15. *append.* 3. *

* Dictum est superius posse missas votivas celebrari omnibus diebus non exceptis, verum cum rubricae dicant, quod id passim non fiat, videntur arbitrium, quod superioribus verbis sacerdotibus tribuunt, per posteriora restringere; ita ut fieri non liceat, nisi aliqua justa et rationabili de causa, qualis esset devotio sacerdotis, vel petitio dantis eleemosynam, nunquam tamen admittenda citius se expediendi, vel alia similis levis causa. Merat, *in rubric. miss. p.* 1. *tit.* 4. *n.* 12. *

* Hic autem adnotare expedit nonnulla s. rit. Congreg. decreta, ex quibus colligi potest quid agendum in variis casibus. Cum primum accipitur nuncium de obitu alicujus, potest cantari missa *in die obitus*, etiamsi illa die occurrat

festum duplex minus vel etiam majus: S. Rit. Congreg. 4. *Maji* 1686. P. Cavalier. *oper. liturgic. tom.* 3. *cap.* 3. *pag.* mihi 17. ea verba decreti *Cum primum* expendens, et insimul animadvertens a DD. extendi ad triduum, ut etiam dictum est superius, putat missam cantari posse intra triduum a nuncio de obitu, si sine temporis intervallo ob diem dominicam advenientem, aut ob aliquod aliud cleri impedimentum, vel denique quia jam pervenerit notitia post nuncium de alterius obitu non potuerit cantari. Potest pariter fieri anniversarium pro animabus defunctorum confratrum alicujus congregationis die immediate post festum solemne ejusdem congregationis, etiamsi eo die occurrat festum duplex; etiamsi relictum non sit ab aliquo testatore, non vero si fuerit dies dominica vel festa de praecepto vel altioris ritus, quam duplicis minoris: S. R. C. 8. *Mart.* 1738. Hoc idem praestare fas est, quando missa canenda est quotannis ex dispositione testatoris die anniversaria ejus obitus: sacra itidem Congreg. 20. *Jul.* 1669. annuente Clemente IX. et hoc etiam in festo duplici majori. Immo eadem sacra Congregatio respondit an. 1753. posse a capitulis cantari missa anniversaria, praesertim circa quatuor anni tempora in festo duplici, etiamsi non sit dies anniversaria obitus testatoris. Denique eadem Congregatio die 19. *Jun.* 1700. permittit, quod in ecclesiis ruralibus, in quibus plerumque non celebrat nisi unus tantum sacerdos et sine cantu, recurrente die anniversaria obitus in festum duplex majus possit dici missa privata de *Requiem*, si eam requirat testator. Quod intelligit P. Cavalieri *l. cit. cap.* 4. *pag.* 19. dummodo sine gravi incommodo ex aliis locis arciri nequeant sacerdotes, per quos missa solemnis cum cantu celebretur. Haec delibasse sufficiat, cum in aliis similibus casibus contingentibus consuli possint decreta sacrae Congregat. apud ipsum Cavalier. Merat. aliosque.*

CAPUT V.

An et quo loco debeat sacerdos celebrare; ubi et de oratoriis privatis. Item de pollutione ecclesiae, et execratione altaris, et de tempore, quo est celebrandum

Q. I. An sacerdos quandoque teneatur celebrare.

R. I. Quamvis non pauci refragentur, mihi videtur dicendum simplicem sacerdotem saltem quater in anno; diebus praesertim solemnioribus, sacrificare debere. Ratio est,

tum quia vi suae ordinationis assumpsit officium et munus sacrificandi; non videretur autem vere tali officio satisfacere, vel numquam, vel semel tantum celebrando. Tum quia, ut habet Tridentinum *sess.* 22. *c.* 1. Christus Dominus Luc. 22. illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, praecepit apostolis et eorum in sacerdotio successoribus offerre, cui praecepto per unicam celebrationem non videtur satisfieri. Neque refert per unicam communionem satisfieri praecepto de eucharistia percipienda; quia hoc praeceptum respicit indigentiam sumentis, quae suppleri potest per unicam communionem: cum aliis actibus supernaturalis vita christiani conservari possit et augeri. At praeceptum celebrandi primo respicit cultum Dei et commemorationem Christi passionis; non videtur autem sufficienter explicari tale praeceptum, si dicatur solummodo voluisse Christum unica vice intra annum Deum coli mediante sacrificio, ac ipsius passionem semel tantum commemorari. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *num.* 1. d. Th. *p.* 3. *q.* 82. *a.* 10. * Dies solemniores quibus tenentur sacerdotes juxta communiorem sententiam celebrare enumerans Merbesius *p.* 3. *q.* 21. apud Contin. Tourn. *cap.* 9. *art.* 2. *sect.* 1. vocat festum nativitatis D. N. J. C. resurrectionis, ascensionis, pentecostes, corporis Christi, omnium sanctorum, et inter eos accenset quatuor praecipue b. Mariae, annuntiationem nempe, purificationem, assumptionem et nativitatem, nisi legittimo quopiam impedimento prohibeantur. *

R. II. Per accidens etiam crederem teneri simplicem sacerdotem ad celebrandum, si nempe alter non esset, qui posset die festo celebrare, ut populus missam audiat. Quamvis igitur tunc non teneatur celebrare ad impediendum peccatum populi; populus etenim non peccat, si non habeat sacerdotem, qui celebret, bene tamen dici potest debere celebrare; quia cum sit publicus ecclesiae minister in ordine ad sacrificium offerendum, aliis deficientibus, obligatio ad illum devolvitur. Pasqual. *de sacrif.* *q.* 842. quamvis alii refragentur. Accedit non sine gravi scandalo tunc missam posse ab eo omitti. Item puto per accidens simplicem sacerdotem teneri ad celebrandum die festo, quoties non posset missam audire. Ratio est, quia ecclesia vult satisfaciendum praecepto de audienda missa modo saltem consueto; iste autem modus in ordine ad sacerdotes est illam celebrare; nam solent satisfacere tali praecepto per missae celebrationem. Pasqual. *q.* 843.

R. III. Parochus vel per se, vel per substitutum tenetur omnibus diebus festis celebrare; nam ex vi sui officii debet praebere populo commoditatem satisfaciendi omnibus ecclesiae praeceptis. Ita passim Auctores. * Bonacc. *l. c. p.* 7. *n.* 3. Azor. *l.* 10. *cap.* 24. *q.* 2. *et* 3. Barbos. *de off. par. p.* 1. *cap.* 11. *n.* 6. et in concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. * Ego autem, salvo meliori judicio, putarem parochum ruralem teneri ad celebrandum etiam aliquoties intra hebdomadam. Ratio mihi est, quia ex vi sui officii tenetur facere quod valde conducere potest ad salutem suarum ovium, maxime quando id non afferat extraordinarium incommodum: multum autem conducit ad populum christiane instituendum, si possit saepe missam audire, et id rure non potest facere populus, si parochus non celebret, * quod et tenet Contin. Tourn. *l. c. conclus.* 2. * Illud saltem apud me contra aliquos certum est, die natalis Domini debere tres missas celebrare; nam videtur mens esse ecclesiae, ut ea die possit populus, si illi placuerit, tres missas audire. Pasqualig. *de sacrif. q.* 853. De obligatione celebrandi ratione stipendii, vel cappellaniae dicam infra.

Q. II. An liceat extra ecclesiam, vel loca consecrata seu legitima auctoritate benedicta, vel ad divinum cultum deputata, missam celebrare.

R. I. Id ordinarie loquendo non licet, ut habetur *ex can.* 1. 11. 12. *et aliis de consecr.* et ex Trident. *sess.* 22. *in decr. de observ. in celebr. miss.* Neque ipsi episcopi possunt extra suum palatium, in aliis locis non consecratis aut benedictis, atque ad divinum cultum deputatis celebrare, ut patet ex pluribus decretis et declarationibus apud Barbosam *in conc. Trid. sess.* 22. *in decr. cit.* Ac denique quamcumque circa hoc haberent facultatem, omnino abstulit Clem. XI. in suo decreto quoad celebrationem in oratoriis privatis, edito sub die 15. Decemb. 1703. quo expresse adimit episcopis et etiam cardinalibus quamcumque facultatem celebrandi extra proprium palatium in domibus laicis. * Quam facultatem ademit episcopis quoad laicorum domos in supracitato decreto Clemens XI. eam illis restituerunt Innocentius XIII. 13. Maji 1723. in bulla *Apostolici ministerii, bullar. tom.* 11. *pag.* 258. et Benedictus XIII. 17. Septembris 1724. in declaratione inserta in synodo Romana *tit.* 15. *cap.* 3. in qua eis concedit, ut occasione visitationis, itineris, vel in casibus a jure permissis, in domibus laicorum hospitio accepti per modum habitationis ibi degentes possint

missam celebrare, vel celebrari facere, et demum Benedictus XIV. in constit. *Magno cum animi*, *bullar. tom.* 3. *p.* 377. *. Item in eodem decreto declarat a Tridentino *sess.* 22. *in decr. etc.* sublatum esse regularibus quodcumque habuerint privilegium celebrandi in altari portatili in locis, quibus degunt. * Ut omnis aequivocationis tollatur occasio, debet haec Clementis XI. declaratio intelligi de revocatione privilegiorum, quae regulares sibi concessa contendebant in corpore juris, et praesertim in *c. In his de privil.* quaeque minime comprehensa in Tridentini prohibitione totis viribus probare nitebantur. Videri possunt Reiff. *in* 3. *decr. tit.* 41. *n.* 14. Leur. *ibi q.* 975. et alii quamplures relati a Passer. *q.* 189. *n.* 980. et cit. const. Benedicti XIV. §. 29. *et* 30. non vero de privilegiis, quae paulo inferius respons. 3. notantur. Per illud igitur cap. *In his* gaudebant privilegio, ubicumque locorum forent, celebrandi etiam in domibus laicorum, licet oratorii privati facultate spoliatorum, vel in altari portatili, vel fixo, etiam sine ulla episcoporum licentia; et hoc eis privilegium ademit Clemens XI. in praefato decreto *.

R. II. In magna necessitate licitum est celebrare extra loca supradicta: (1) *arg. c.* 1. *et* 11. *de consecr. dist.* 1. quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, ut dicitur *c. Quod de reg. jur. in* 5. Hujusmodi autem necessitas oriri potest ratione belli, pestis, persecutionum, ecclesiae dirutae, aut combustae; si ecclesia capere non possit audientes, ut si celebranda sit missa in bello pro exercitu; ac idem dicendum in longa peregrinatione per loca infidelium. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Guttier. *can. qq. l.* 1. *c.* 30. *n.* 25. Navar. *in man. c.* 25. *n.* 81. Ratio omnium horum est; quia in talibus casibus celebrare extra ecclesiam, vel ab ipso jure, vel per epikhejam omnino conceditur. Denique maxime de licentia Papae licet celebrare in longa navigatione, v. g. ad indias; atque dari hujusmodi privilegium pro omnibus regularibus docet Anton. a Spir S. *in direct. regul. p.* 1. *tr.* 2. *d.* 2. *sect.* 4. §. 2. Oportet autem navem esse magnam, tempus serenum, et mare tranquillum: de Lug. *de euch. disp.* 20. *sect.* 3. *a n.* 8. * Adsit autem alius secerdos oportet, vel saltem diaconus, qui, si quis concitetur motus, calicem firmum tenere possit. Videatur. Benedictus

(1) De licentia Episcopi V a. De Lig. *l.* 6. *n.* 356. et Eminentiss. Lamb. *de miss. sacrif. t.* 2. *p.* 249.

XIV. *de sacrif. miss. lib.* 3. *cap.* 6. ubi docet specialem requiri summi pontificis licentiam, nec generale indultum altaris portatilis sufficere; quod etiam ante tradiderant Pignattell. *tom.* 8. *consult.* 124. card. Petra *comment. ad constit.* 11. *Urbani V.* contra aliquos ab ipsis citatos, et his conditionibus concessa traditur a Clemente XI. an. 1706. equitibus Hierosolymitanis, et eminentiss. card. de Tournon, teste card. Petra *l. c.* et novissime a Benedicto XIV. triremibus pontificiis et militum Melitensium an. 1742. sed ad nutum apostolici thesaurarii pro primis, et magni Magistri et Consilii ipsorum equitum pro secundis *

R. III. Potest ex prilegio papae celebrari in loco non consecrato, seu benedicto, ut in oratorio domus privatae; nam cum sit supra omne jus positivum, potest in eo dispensare: *cap.* 4. *de concess. prae.* Regulares habent facultatem deputandi oratoria privata in suis monasteriis: quae tamen deputatio fieri deberet a generali, seu provinciali. Dian. *p.* 9. *tr.* 1. *resol.* 32. Item in suis Grangiis. Rodrig. *t.* 2. *qq. regul. q.* 75. *a.* 1. Lezan. *sum. tom.* 1. *c.* 21. *n.* 15. ubi et posse missam celebrare sacerdotes saeculares docet Henriq. *in qq. pract. sect.* 22. *q.* 26. aliique; itemque posse ibi libere saeculares missam audire notat Dian. *p.* 9. *tr.* 2. *res.* 33. et insuper posse regulares designare oratoria in villis, ubi recreationis causa degunt. Aliud privilegium habetur pro regularibus infirmis; nam in ipsorum cellis potest missa super altari portatili celebrari, ut illam audiant. Ita ex privilegio Pii IV. ut videre est apud Dian. *p.* 9. *tr.* 1. *res.* 54. Lezana *t.* 3. *v. altare n.* 15. *et* 16. Peirin. *t.* 1. *priv. minim. in constit. Pyrrhi archiep. Consentin. n.* 34. Praeterea cum hoc privilegium sit personale, adeoque sequatur personam: *cap. Privilegium de regul. jur. in* 6. *et l. Privilegia quaedam l. In omnibus ff. de reg. jur.* eodem frui potest regularis, qui infirmetur in domo saeculari. * Tantam hujus privilegii extensionem rejiciunt Diana ipse *de orat. privat. resol.* 26. aliique scriptores apud Gattic. *de usu alt. portat. cap.* 13. *n.* 15. utpote alienam a supplicatione ad pontificem Pium delata per superiores congregationis canonicorum regularium Lateran. quibus privilegium hoc principaliter concessum fuit *. Quod si alicui contingat dubitare de iis privilegiis, meminisse debet in dubio privilegia regularium semper esse in favorem ipsorum interpretanda ex dictis *tr.* 3. *q. ult. c.* 3. *q.* 3.

* Supradictam facultatem et privilegium pro regularibus infirmis assertum ex superiori Clementis XI. decreto cessas-

se docuerunt Rotar *theol. regul. tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. §. 9. *n.* 7. Cajetanus de Alexandris *in confess. monial. cap.* 11. §. 6. *quaes.* 18. opinionemque affirmativam probabilitate carere scripserunt Holzman *t.* 2. *p.* 84. cum Elbel et aliis, praesertim post laudatam Innocentii XIII. constitutionem a Benedicto XIII. confirmatam, in qua haec habentur verba: *addita etiam prohibitione, ne in privatis regularium cellis, seu cubiculis erigatur altare pro re sacra facienda . . . remota quamcumque in contrarium consuetudine etiam immemorabili.* Verum etiam post haec non desunt qui Piano posse uti privilegio regulares infirmos docent ex rationibus allatis a Reiffenst. *theol. moral. tr.* 14. *dist.* 5. *addit.* 6. *post n.* 146. et in 3. *decret. tit.* 41. *n.* 19. et in eo maxime casu, quo missa celebretur in cubiculo contiguo, ubi infirmus decumbit; ita namque Innocentii et Benedicti statuta custodiuntur, et infirmi devotioni consulitur; quod factum est Romae an. 1762. cum adm. rev. p. Friderico Sarteschi nostrae congregationis Rectore generali diuturna infirmitate in lecto recumbente communioni avidissimo *

Q. III. Quae notanda sint circa privilegia concedi solita celebrandi in oratoriis domesticis.

R. Primo eodem gaudere non potest qui non est de nobili genere procreatus, ut constat ex verbis privilegii. Putat tamen Pignattellus *t.* 6. *cons.* 98. sufficere nobilitatem ex parte matris, vel etiam ex privilegio, dicendo, ly ex nobili genere procreato, poni demonstrative non taxative: * card. Petra *t.* 2. *comment. ad constit.* 8. *Honorii III. sect. unic. n.* 25. Pasqual. *q.* 622. *n.* 2. qui plures afferunt hac de re decisiones Rotae Romanae *. Dein debet prius visitari ab ordinario, vel ab aliquo de ipsius mandato, ut videat, si decenter extructum sit et ornatum, et liberum ab omnibus usibus domesticis, ut praescribit breve; neque etenim potest ad executionem demandari, ni prius ordinarius illud approbet, et concedat licentiam celebrandi, eam tamen, si nil obstet, non potest denegare. Tunc autem sufficienter intelligitur ab usibus domesticis liberum; quando intra tres muros est clausum, et in pertinentiis ad ipsum cubiculum, seu oratorium, nil domesticum exercetur. Convenit etiam, ut supra ipsum oratorium non retineatur lectum ad dormiendum, vel alia res profana, quod putat Pignattellus absolute non prohiberi, sed faciendum esse ob majorem decentiam: * la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 266. et alii apud ipsum *.

Tertio vi talis indulti unica tantum missa in domesticis oratoriis celebrari potest, ut etiam declarat decretum supra

cit. Clem. XI. Nec unica vero missa potest ibidem celebrari in festis natalis Domini, epiphaniae, paschatis, pentecostes, annunciationis, assumptionis b. M. V. ss. apostolorum Petri et Pauli, et omnium SS. ut declaravit s. rituum Congregatio apud Barbosam *de jur. eccles. l.* 2. *c.* 8. *n.* 6. Nomine tamen natalis Domini, paschae et pentecostes, bene intelliguntur solum primi dies hujusmodi festivitatum. Lezan. *in sum. t.* 4. *v. Oratorium n.* 3. * Inter dies, quibus missae prohibetur celebratio in privatis oratoriis, accensenda nunc est dies ascensionis J. C. ex decreto s. congregationis 17. Novembr. 1607. relato a Merati in *indice decret. n.* 74. Festum hoc praetereunt ferme omnes scriptores, neque mentio ejus fit a pluribus ordinariis, dum dies exceptos annumerant. Hujus meminit Pelizzar. in manual. *tr.* 8. *c.* 2. *n.* 148. Quomodo autem factum sit, ut ista suppressio irrepserit in tot scriptoribus, ignoratur. Certum est inveniri exceptionem hanc festi ascensionis in regestis S. R. C. prout testatur Gattic. *de orator. domest. c.* 27. *n.* 11. eamque apposuit Benedictus XIV. in constitutione *Magno cum animi, bullar. t.* 3. §. 12. Excipi etiam dies festos patronorum cujusque dioecesis, dummodo sint de praecepto, docet Gavant. *p.* 1. *rubric. tit.* 20. cum aliis; sed cum certo de hac exceptione non constet, non essent damnandi qui privilegio pontificis his diebus uterentur. *

Quarto notandum hujusmodi privilegia esse personalia, adeoque cessare morte personae privilegiatae: *cap. Privilegium de reg. jur. in* 6. Quia tamen privilegium personale sequitur personam, ideo si mutet domicilium, transeundo etiam ad aliam civitatem, potest ibi eo frui. Nec refert, si explicetur in brevi concedi facultatem missam celebrandi in domo civitatis Lucensis; nam ea verba demonstrative tantum ponuntur, ad designandam scilicet habitationem, non vero taxative, aut limitative; cum privilegium consideret personam, non vero locum. Tambur. *in opusc. de sacrif. miss. l.* 1. *c.* 3. §. 4. *n.* 2. Ex ea ratione quod privilegium personale sequitur personam, censet Pasqualigus *in qq. canonic. cen. t.* 1. *q.* 84. *n.* 3. privilegio habendi oratorium privatum in domicilio civitatis uti posse aliquem etiam dum rure est, et Pasqualigo consentit Pignattellus * et prae caeteris cardinal. Petra *l. c.* Observanda autem sunt verba concessionis, nam aliquoties reperiuntur haec verba in privato domus tuae habitationis oratorio in civitate N. et dioecesi N. existente, et tunc restringi videtur pontificis indultum; cum non possint dici haec verba posita demonstrative tan-

tum, seu potius taxative: nam si dioecesis nomen aptatum personae determinat personam dioecesanam, ita nomen dioecesis aptatum oratorio ipsum determinat. Ita sentit Gattic. *loc. cit. c.* 22. *a n.* 20. *ad* 24. Fortunat. a Brixia *p.* 62. Quod multo magis tenendum de privilegiis modo commissario ad certum episcopum, ut ipse elargiatur directis. Quae vero ex Pasqualig. Tambur. Pignatell. refert Auctor noster, locum habent in iis indultis, quae elapso saeculo describebantur, aptando videlicet dioecesis nomen personae, cui privilegium concedebatur ad eam tantum demonstrandam, non in iis quae hac nostra aetate frequentius largiuntur, in quibus dioecesis, vel civitatis nomen oratoriis ipsis aptatur, et ideo ad illam tantum limitat *. Verum cum in breve exprimi soleat oratorium erigendum in domo habitationis, videtur hoc privilegium respicere personam non solitarie sumptam; sed ut habentem domicilium in loco, in quo construendum est oratorium; si ergo sit in aliquo loco per transitum, sive per breve tempus, cum non dicatur esse in loco, sive ibi domicilium habere, ut probat Sanch. *de matr. lib.* 3. *disp.* 23. ibi illi praefatum privilegium non suffragari videtur.

Quinto notandum concedi missam celebrari *in praesentia domini* et *familiae, nec non hospitum nobilium*. Ex hoc aliqui inferunt, non posse missam celebrari, aliis praefatis adstantibus, nisi dominus etiam intersit. At bene sustinetur, etiam absente domino, celebrari posse missam in praesentia familiae; quia particula *et* ratione subjectae materiae explicari potest idem significare ac *vel*. Barb. *de diction. diction.* 110. *n.* 37. Id igitur autem verificatur in praesenti; nam si particula *et* sumeretur copulative, sequeretur non posse missam celebrari nisi simul cum domino etiam familia adesset; quod nemo dicit, intelligendum; proinde est posse celebrari missam praesente domino, vel praesente familia. Palaus *t.* 4. *tr.* 25. *d. unic. p.* 6. *n.* 9. Pignatell. *t.* 6. *cons.* 98.

* Auctoris opinio non potest amplius locum habere. Cum enim Benedictus XIV. in suo decreto edito die 7. Januar. 1741. et in supralaudata constitutione decreverit non licere missas celebrare, nisi in praesentia eorum, ad quos principaliter directum reperitur apostolicum privilegium, quique proprio nomine nuncupati sunt a tergo brevis, et sustulerit et proscripserit quamcumque aliam minus germanam interpretationem hujusmodi brevium hactenus factam, corruit

totum fundamentum, quo nitebantur auctores supralaudati cum aliis. Per hoc tamen non tollitur quod possint etiam minus principaliter privilegiati missam aliquoties celebrare facere non nominati a tergo brevis, etiam in absentia personae principaliter privilegiatae; et tunc posset fieri, quando ad eos etiam facultas ista expresse et distincte in apostolicis literis extenditur, licet ad eos breve non dirigatur. Videatur saepe laudata constitutio Benedicti XIV. *Magno etc.* §. 16. et 17. *.

Sexto notandum nomine familiae venire uxorem, nurum et omnes agnatos, sicut etiam cognatos; dummodo habitent in domo indultarii, atque ejus expensis vivant. Nec desunt qui extendunt privilegium audiendi missam in oratorio privato ad fratrem et uxorem ipsius, habitantes in eadem domo cum habente tale privilegium; quamvis habeant propriam mensam, proprios redditus, et proprios famulos: Cassian. a S. Elia *v. Oratorium n.* 35. * Posset forsitan aliquibus nimis ampla videri haec apostolici privilegii extensio, et nimis recedere ab illa generali regula, quae tradit privilegia a jure communi exorbitantia esse stricte interpretanda juxta dicta superius *tr.* 3. *q. ult. c.* 3. *q.* 2. *v. Privilegium*, et paulo inferius dicenda. Et revera ita videbatur Dian. *t.* 4. *tr.* 2. *resol.* 41. Pasqualig. *q.* 649. Pignattell *t.* 6. *resol.* 98. *n.* 95. et aliis. Nihilominus verum hoc esse poterat attenta veteri similium privilegiorum formula, in qua tantum familiae nomen exprimebatur, ad cujus rationem et proprietatem inter alia requiritur, quod patrisfamiliae sumptibus quis alatur, ut de ejus familia dici possit; ita communiter doctores. Recens autem formula solet distinguere natos, consanguineos, et affines a familia, et hos postulat *insimul vivere et habitare* cum privilegiato; quod verificatur quoties in eodem penitus loco habitationis vivunt, licet non ejus sumptibus. Gattic. *loc. cit. c.* 25. *n.* 10. *et* 11. *. Item nomine familiae venire possunt omnes famuli in servitio domini existentes, ac ejus expensis viventes. Barb. *de appell. appell.* 95. *n.* 1. Pignattell. *t.* 6. *cons.* 98. His tamen contradicit Monacellus *in formul. tit.* 13. *a n.* 32. qui vult dictum privilegium non suffragari famulis, qui tempore missae non essent pro famulatu domini necessarii, quia ita dicitur in hujusmodi privilegiis; unde ex eodem famuli, vel famulae superfluae alibi debent missam audire. Concedit tamen *t.* 4. *supplem. ad* 2. *tom. num.* 480. quibuscumque famulis domini privilegiati suffragari indultum, si dum rure sunt, ecclesia distet ultra medium milliare. *n.* 488.

Septimo cum dicatur in iisdem oratoriis posse missam audire etiam hospites domini indultarii, aliqui censent nomine hospitum non venire habitantes in eodem loco, si invitentur ad prandium, vel commorentur ad breve tempus cum domino. Verum cum commode nomine hospitis intelligatur quicumque extraneus, qui ad alium divertit, ut cum eo cibum sumat, non improprie dici potest etiam hospites unius diei, dummodo sint nobiles, satisfacere praecepto, si audiant missam in oratoriis privatis domus, in qua sunt, Tambur. *opusc. de sacrif. miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 33. Pignattel. *cit.* * Pasqualig. 653. *num.* 3. Gattic. *loc. c. cap.* 25. *num.* 30, et huic opinioni favere testatur praxis multis in locis retenta. Sed hic tamen notandum haec valere juxta recentem formulam pro oratoriis ruri existentibus. *

Demum notare est personas non comprehensas in brevi nullatenus satisfacere praecepto de missa die festo audienda; nam ita exprimitur in consuetis facultatibus pro celebrandis missis in oratoriis privatis; et innuitur in cit. dec. Clem. XI. ubi declarat non satisfacere praecepto interessentes missae in his oratoriis, si jam alia ibi fuerat celebrata. Contraria aliquorum opinio non videtur in praxi tuta. Ricc. *in prax. tom.* 1. *resol.* 467. *n.* 23. Bonac. *de sacr. d.* 4. *quaest. ult. p.* 12. *num.* 4. * Reiff. *in* 3. *decret. tit.* 41. *num.* 18. qui monet caute legendos, nec amplius sequendos, licet paucos doctores contrarium docentes. Leur. ibid. *q.* 975. qui excusat aliter sentientem Palaum ex eo quia ante Clementis decretum scripserat. Pignattel. *loc. cit. num.* 109. qui docet non privilegiatum non teneri audire missam die festo in oratorio privato, si nequit adire ecclesiam. * Accedit, indultum audiendi missam extra ecclesiam, utpote juri communi praejudiciale, non admittere latam interpretationem. Fagn. *in cap. Licet num.* 13. *et* 14. *de praeb.*

Q. IV. An liceat celebrare in ecclesia violata, seu polluta; et quando censeatur polluta.

R. I. In ecclesia polluta non licet missae sacrificium, aut divina officia celebrare, ut constat ex variis canonibus, et ex *cap. fin. de consecr. eccl.* quapropter si contingat violari ecclesiam ante canonem; missa est dimittenda, secus si post canonem: *rub. tit. de defect. in minist. occurr.* Ubi obiter advertas, quod licet polluto caemeterio non intelligatur polluta ecclesia, bene tamen polluta ecclesia intelligitur pollutum caemeterium, si ipsi contiguum sit: *cap. unic. de consecr. eccles. in* 6. adeoque non possent in eo mortui sepeliri, ut ibidem dicitur. * Hoc idem eruitur ex *reg.* 42. *jur. in* 6.

ubi dicitur: *accessorium naturam sequi congruit principalis*.

R. II. Primo violatur ecclesia per sanguinis effusionem: *arg. cap. Proposuisti*, *et c. fin. de consecr. eccles. junct. cit. cap. unic. in* 6. Oportet tamen esse voluntariam; unde non violaretur per effusionem sanguinis casu factam, vel causatam ab amente. Gloss. *in cit. cap. unic. v. Sanguinis* Deinde oportet esse injuriosam; unde non violaretur ecclesia per effusionem sanguinis causatam ex inculpata defensione. Pariter causari debet per actionem graviter externe peccaminosam, qualis non reputatur percussio facta a magistro, etsi leviter modum excesserit; vel percussiones factae inter pueros, quamvis e naribus, vel ex levi vulnere copiose sanguis effundatur. Barbos. *de offic. et pot. episc. all.* 28. *n.* 26. Laym. *de sacrif. miss. c.* 5. *num.* 8. Secus ex eodem Barbosa dicendum de copiosa sanguinis effusione e naribus causata ex pugniis inter grandaevos. Item ut polluatur ex hoc capite ecclesia, non sufficit percussionem et vulnus esse grave; sed necesse est sequi copiosam sanguinis effusionem. Barbos. *cit. num.* 35. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 256. Laym. *cit.* Debet pariter effusio sequi ex vulnere recepto in ipsa ecclesia, non vero in atrio etc. unde postea quis effugiat in ecclesiam, ibique copiosum sanguinem effundat. E contra ad violationem ecclesiae satis est, si quis recipiat tale vulnus in ea, ut vulneratus ex ea egrediens extra illam copiosum sanguinem effundat ex Glossa communiter recepta *in c. unic. de consecr. eccl. in* 6. *v. Sanguinis*. Sicut etiam violatur eadem ecclesia, si vulneratus sit extra ecclesiam; nam adhuc violat ipsius sanctitatem vulnerando existentem intra eam. Laym. *cit. n.* 7.

Secundo polluitur ecclesia ratione homicidii sui ipsius, vel alterius, quamvis sine sanguinis effusione: *can. Si motum* 19. *de cons. dist.* 1. *et c.* 4. *de cons. ecc.* Oportet tamen homicidium esse voluntarium, quale non est homicidium factum ab amente, vel penitus ebrio: itemque injuriosum, quale non est homicidium factum in justam sui defensionem. Barb. *de of. et pot. ep. all.* 28. *n.* 4. *et* 5. Sufficit autem si sit injuriosum ipsi ecclesiae, uti se haberet homicidium ibi factum ex sententia judicis: *cap.* 2. *de homic. in* 6. Ita se etiam habet homicidium factum in ecclesia ob fidem; cum re vera ipsa actio sit sacrilega, et homicidium sit injuriosum. Gloss. *in c. unic. de cons. eccles. in* 6. *v. Sanguinis*, Barbos. *num.* 29. Azor. *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quaest.* 1. Ut autem dixi supra de effusione sanguinis, ad polluendam ecclesiam satis est, si ipsa causa mortis in ea ponatur, quamvis extra ipsam

sequatur; sicut e contra non polluitur, si causa mortis ponatur extra, et mors deinde in ecclesia sequatur. Gloss. *cit.* Barbos. *n.* 16. *etc.*

Tertio violatur ecclesia per seminis effusionem: *c. unic. de con. in* 6. quocumque modo contingat, nempe per pollutionem, fornicationem etc. ut ex jure ostendit Barbosa *alleg.* 28. *n.* 42. oportet tamen esse voluntariam, qualis non est, si contingat in somno. Gloss. *in can. Eccl.* 20. *de consecr. dist.* 1. *v. Semine*; quamvis quis illi causam dederit, quia non est voluntaria in se, sed solum in causa: Borbos. *n.* 43. Item oportet esse illicitam, nec sufficit, si quis invitus illam patiatur. Reputatur tamen illicita copula conjugalis extra casum necessitatis, quatenus tunc est illicita respectu loci: *arg. c.* 1. *de imm. eccles. et c.* 2. *eod. tit. in* 6. unde magis communiter docent DD. per eam ecclesiam violari. Barbos. *num.* 47. Navar. *in man. cap.* 27. *n.* 257. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 15. *n.* 7. Secus dicendum de copula conjugali habita in casu necessitatis, dum e. g. urgeret periculum incontinentiae. Ita contingere solet, si conjugati ex aliqua causa cogantur diu in ecclesia permanere. * Covarr. *de spons. pag.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 3. Barbos. *l. c. n.* 48. *

Quarto violatur ecclesia, si in ea sepeliatur excommunicatus vitandus: *c. Consuluisti de cons. ecc.* sive infidelis, sive non baptizatus: *can. Ecclesiam* 1. *et* 2. *de cons. dist.* 1. Si tamen infans moriatur in utero matris, simul cum ea potest sepeliri; nam usque dum est in ejus utero, censetur unum corpus cum illa: *l.* 1. *ff. de ventr. inspic.* Non vero polluitur ecclesia per sepulturam cujuscumque alterius ea indigni; quia odiosa non sunt sine textu juris extendenda: *arg. cap. Is qui* 18. *de sent. excomm. in* 6. adeoque non violaretur per sepulturam haeretici nominatim non denunciati. Layman. *de sacr. miss. c.* 5. *n.* 8. Advertere tamen est per sepulturam praefatorum violari ecclesiam, etsi sine culpa in ea sepelirentur. Layman *cit.*

Caeterum semper prae oculis habendum est in praefatis casibus ecclesiam non violari, si non sint notorii notorietate facti, vel juris; nam usquedum sunt occulti, ultraquam quod ecclesia, ut ita dicamus, retineat bonam famam, non videntur de eis ss. canones sententiam protulisse: *arg. can. Erubescant* 11. *d.* 32. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 2. Barb. *de off. et pot. ep. all.* 28. *n.* 37. aliique cum Glossa communiter recepta: *c. un. de cons. eccl. in* 6. Sat tamen est,

ut ecclesia dicatur polluta, si deinde praedicta fiant notoria. Barb. *n.* 40. * Suar. *disp.* 81. *sect.* 4. et eruitur ex *cap. Significasti de adult.* Videatur etiam Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 37. *

Q. V. In quibus casibus ecclesia reaedificata indigeat nova benedictione, vel consecratione, ut possit in ea missa celebrari.

R. Si ecclesia de novo tota, vel majori ex parte simul construatur, indiget nova benedictione, vel consecratione; nam non amplius est eadem ecclesia. Quia tamen moraliter censetur eadem ecclesia, si paulatim per partes reficiatur et reparetur; sicut moraliter censetur eadem domus, quae paulatim per partes reficitur: *l. Quod in rerum* 24. §. *fin. ff. de leg.* 2. *l. Proponebatur* 76. *ff. de judiciis* ideo non indiget nova consecratione. Idem dicendum, si reficiatur totum tectum, parietibus illaesis. Quod si etiam parietes interiores, e. g. ex incendio totae decrustentur, tunc videtur aliquibus renovanda consecratio; quia cum in illis cruces fiant et inunctiones, ex earum decrustatione amittitur consecratio: *can. Ecclesia* 20. *de consecrat. d.* 1. Barb. *de offic. episc. alleg.* 27. *n.* 18. Azor. *p.* 2 *l.* 9. *c.* 4. *q.* 5. Alii nihilominus putant non indigere nova consecratione; quia adhuc perseverat eadem ecclesia, quae fuit consecrata; * communior tamen hodie tenet nova indigere consecratione, et eam quamplures apud Pasqualig. *q.* 538. *num.* 2. et Pax Jord. *lib.* 5. *lucubr. tit.* 9. *n.* 68. sequuntur. * Item nova facienda est benedictio, seu consecratio, si ita amplificetur ecclesia, ut nova pars major sit veteri; quia major pars trahit ad se minorem: *arg. c. Quod in dubiis* 3. *de consecr. et c. un. eod. tit. in* 6. Secus si nova pars sit minor veteri remanente, et sufficit si aqua benedicta aspergatur. Barb. *cit.* Azor. *q.* 6. * Alteram violationis causam addunt Ab. Hostiens. Navar. Azor. Pax Jord. et alii plures apud Pasqualig. *quaes.* 586. nempe si consecretur, vel benedicatur ab episcopo excommunicato non tolerato. Verum de hac merito causa dubitant caeteri DD. apud ipsum; nam hujusmodi violatio in nullo juris textu clara reperitur, et solum ab auctoribus affirmativae sententiae arguitur ob rationis paritatem, quae in poenalibus non est admittenda; cum in iis non sit attendendum, nisi quod est expressum in jure. *

Q. VI. Cui competat iterum consecrare ecclesiam, quae amisit consecrationem; vel benedicere, seu reconciliare, si fuit polluta.

R. I. Sicuti soli episcopo licet consecrare ecclesiam: *can. Interdicimus* 10. *caus.* 16. *q.* 1. *can. Nemo* 9. *et can. Nul-*

lus 15. *de consecr. d.* 1. ita volunt ss. canones ecclesiam consecratam a solo episcopo posse reconciliari, si fuit polluta: *c. Aqua* 9. *de consecr. eccl.* Et quia, ut ibidem dicitur, non potest episcopus demandare clerico inferiori, quae spectant ad ordinem episcopalem; ideo talis reconciliatio fieri solum debet vel ab episcopo loci, cui de jure competit, vel ab altero episcopo de ipsius commissione.

Quia tamen potestas reconciliandi ecclesiam dumtaxat de jure humano annexa est ordini episcopali, Leo X. concessit superioribus ordinis s. Francisci, adeoque omnibus communicantibus ipsorum privilegiis, non solum benedicere solemniter proprias ecclesias, caemeteria etc. sed etiam ipsas reconciliare, quomodocumque fuerint violatae, aqua ab episcopo benedicta, vel a seipsis, si distet episcopus duabus dietis, vel etiam sede vacante. Videantur Barbosa *de offic. et pot. epis. alleg.* 27. *et* 28. *n.* 64. Rodrig. *t.* 1. *qq. regul. q.* 19. *a.* 6. * Videatur Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 13. *cap.* 15. *n.* 4. ubi concessionem a se factam narrat abbati Campidonensi in Germania, ecclesiam abbatialem Svecico bello solo aequatam ac a fundamentis restitutam solemniter consecrandi. *

R. II. Si polluatur ecclesia non consecrata, sed solum simpliciter benedicta, vel episcopi auctoritate ad divinum cultum deputata, potest et debet protinus a quocumque simplici sacerdote, cui addicta sit eadem ecclesia, aqua benedicta reconciliari: *c. fin. de consecr. eccl.* * et notat cum aliis Laym. *l. c. n.* 12. Decens autem est, ut negotium prius episcopo significetur, ait Reiffenst. *theol. tr.* 14. *dist.* 5. *n.* 134. Addunt adhuc aliqui apud ipsum, si sacerdos bona fide, vel etiam mala celebret in ecclesia violata, eam haberi pro reconciliata propter summam tanti sacrificii virtutem; et eruunt ex *can. De fabrica de consecr. dist.* 1. Hanc autem sententiam omnino rejicit Laym. *l. c. n.* 13. cum aliis; nam textus ille loquitur de alio casu, quem notat Engel. *in* 3. *decr. de consecrat. eccl. num.* 24. scilicet, quando nimirum, ut supra dictum, ecclesiae parietes per partes reficiuntur, ut communis fert DD. interpretatio. *

Q. VII. An missa celebranda sit super altare; et quando intelligatur pollutum, aut execratum, ita ut in ipso non possit missa celebrari.

R. I. Missa celebranda est super altare, quod debet esse lapideum, sive sit fixum, sive portatile: *can. Altaria* 31. *de consecr. d.* 1. id tamen intelligendum quoad eam partem, super quam fit consecratio, et reponuntur sanguis et corpus

Domini. Tamburin. *in meth. celebr. miss. l.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 4. Item altare debet esse ab episcopo consecratum: *can. Nullus presbyter* 15. *can. Concedimus* 30. *de consecr. dist.* 1. Ita autem dicendum est id ad episcopum pertinere, ut a nullo alio ratione cujuscumque consuetudinis possit consecrari; * quod certum est ob clara jura *can. Quamvis* 4. *dist.* 68. nec ecclesias, nec altaria consecrare licet presbyteris; et concordat cit. *can. Nullus presbyter.* * Unde advertendum quod vere ex privilegio s. Pontificis id fieri posset ex dictis quaesito superiori de consecratione ecclesiae; quia cum sit supra jus commune, potest concedere alteri ab episcopo, quod jure tantum humano annexum est ordini episcopali. At consuetudo non potest conferre possessionem potestatis illi, qui illius est incapax; et taliter se habet inferior episcopo respectu illorum, quae annexa sunt ordini episcopali: *cap. Quanto* 4. *de consuet.* sine possessione autem non currit praescriptio: *c.* 3. *de reg. jur. in* 6. Barbos. *de offic. et pot. episc. p.* 2. *alleg.* 27. *n.* 23. Azorius *p.* 1. *l.* 10. *c.* 27. *q.* 5. et communiter, paucis exceptis; * et probat fuse Reiff. *in* 3. *decret. tit.* 40. *n.* 34. *et seq.* ubi monet caute legendum et minime sequendum Engel docentem *ibi n.* 9. posse consuetudine acquiri potestatem exercendi ea, quae sunt ordinis episcopalis. * Privilegium consecrandi calices, altaria etc. competebat abbatibus, ut videri potest apud Barbosam *de pot. episc. p.* 2. *alleg.* 27. *n.* 36. sed dicitur revocatum ex decreto s. Congregationis 13. Martii 1632. * In decreto Alexandri VII. emanato an. 1659. relato a Benedicto XIV. *instit. eccles.* 21. §. 14. et a card. Petra in *comment. ad constit.* 7. *Urbani IV. n.* 53. statuitur, quod abbates regulares calices, campanas, et similia, in quibus sacra unctio adhibetur, benedicere pro servitio alienae ecclesiae non valeant, bene vero pro suis: *reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienae ecclesiae, aut in subditos pariter alienos exercere non valeant; puta campanarum, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio* et S. R. C. die 20. Julii 1660. coram eodem Alexandro VII. habita monacis Cassinensibus privilegium apostolicum obtendentibus benedicendi etiam pro alienis ecclesiis respondit: *debere ab iis abstinere, donec exhibeatur authenticum indultum ex apostolico archivio desumptum*; quod numquam exhibitum fuit. *

R. II. Polluta ecclesia ratione alicujus casus, ex dictis quaesito superiori, censentur polluta etiam altaria in ea fixa; nam pollutio totam ecclesiam afficit; adeoque etiam altaria

Hinc reconciliata ecclesia, etiam altaria reconciliata intelliguntur; et ita post talem reconciliationem potest in eis celebrari. Ita communiter DD.

R. III. Si consecrata fuerit tota mensa superior altaris, affixa columnis, seu basi inferiori, execratur per hoc quod ab eis amoveatur; nam dum consecratur mensa fixa basi inferiori, consecratio afficit totum, unde per remotionem deperditur: *c.* 1. *et* 2. *etc. Ligneis* 6. *de consecr. eccl.* Barb. *cum communi de off. et potest. ep. alleg.* 27. *n.* 26. * Hoc intelligendum si tota mensa cum separatione aliqua moveatur; nam si absque ea, sed conjunctim de loco ad locum transferretur, non deperderet consecrationem. Reiff. *theol. l. c. addit.* 4. *append.* 2. *post n.* 136. Pax Jord. *lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 50. *. Secus si superior tabula non sit immobiliter affixa inferiori structurae; quia tunc induit naturam altaris portatilis.

Altare mobile hoc est, ille lapis, qui continet sigillum, execratur, si ita frangatur, vel diminuatur, ut non amplius calix cum patena possit in eo secundum majorem sui partem stare: *cap.* 1. *de consecr. eccl.* Quod si possit calicem cum patena substinere, nil refert, si fracta sint cornua lapidis, quae chrismate inunguntur; nam per talem inunctionem totus lapis remanet consecratus, unde sufficit, si pars praedicta perseveret. Lugo *de euch. disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 75. Tambur. *in meth. celebr. miss. l.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 14. Item non censeo execrari altare per remotionem, seu fractionem loculi, in quo reliquiae continentur, nullo etenim jure sufficienter probatur necessarias esse reliquias ad altaris consecrationem. Laym. *de sacrif. miss. tr.* 5. *c.* 6. *n.* 9. Lez. *in sum. t.* 3. *v. altare n.* 20. * Videatur la Croix hac de re fusius disserens *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 306. alii e contra affirmant execrari ob contrariam rationem, quia nempe reliquiae ss. sint necessariae consecrationi. Sylv. *q.* 83. Pax Jord. *l. c. n.* 51. Barbos. *de potest. episc. alleg.* 27. *n.* 26. Reiff. *l. c. addit.* 5. ubi refert ex Merat. *in indice decretor. sub n.* 633. recensius decretum S. R. C. die 11. Jun 1710. in quo inter alia haec verba habentur: *si fuit consecratum ad modum altaris portatilis non execratur in quavis remotione sed tantum quando frangitur sepulcrum reliquiarum* *. Porro observandum, execrata ecclesia, non execrari altare, quia consecratio utriusque est diversa: * *cap.* 1. *de cons. eccl.* ibi *propter hoc* (quod nempe propter execratum altare debeat denuo consecrari ecclesia) *nequaquam reiterare suam consecrationem ecclesia consuevit*. Et aliud est ecclesiam pollui,

aliud execrari. Pollui dicitur, cum unus ex casibus supra recensitis in ea contingit; execrari vero cum sine aliquo ex dictis consecrationem amittit, vel quia comburitur, vel destruitur, vel corruit *.

Q. VIII. Quo tempore possit missa celebrari; et an dentur aliqui dies, quibus non liceat celebrari·

R. I. Hora concessa pro celebrando, ordinarie loquendo, incipit ab aurora, et extenditur usque ad meridiem. Tempus autem aurorae intelligitur hora cum dimidio, antequam corpus solare appareat. Tamb. *meth. in celebr. miss. l* 1. *c.* 6. §. 4. *n.* 1. * Aurorae tempus, inquiunt la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 226. Continuat. Tournel *l. c. sect.* 5. *q.* 1. Benedictus XIV, *instit. eccles.* 12. *n.* 12. computandum esse ex temporum varietate, idest mense Junii fere duabus horiis cum quadrantibus ante ortum solis, mensibus Februarii et Septembris hora cum dimicio, mense Martii hora cum quadrante; in reliquis mensibus hora et tribus quadrantibus circiter. Verum cum soleat apponi in calendariis tabella horarum, ipsi standum est *. Puto autem contra aliquos tale tempus assignatum esse non pro terminanda, sed pro inchoanda missa, nam dum in rubricis assignatur tempus pro missa celebranda *ab aurora usque ad meridiem*, sicut assignatur meridies pro tempore, quo debet terminare, ita aurora pro tempore, quo debet incipere. Hinc credo peccaturum mortaliter, qui per horam ante dictum tempus missam anticiparet; quia esset anticipatio notabilis. Tempus meridiei etiam sumi potest moraliter, ita ut ad vitandam culpam satis sit inchoare missam paulo ante meridiem, vel in ipso meridie. Tambur. *in meth. celebr. miss. l.* 1. *c.* 6. §. 4. *n.* 19. Aliqui putant celebrare integra hora post meridiem non esse mortale, ut videre est apud Salm. *de sacrif. miss. c.* 4. *p.* 1. *n.* 34. At cum judicare de notabili dilatione pertineat ad viros prudentes; et cum aliunde reperiam aliquos judicare esse gravem culpam sine causa celebrare post tertiam partem horae a meridie. Azor. *inst. moral. p.* 1. *l.* 10. *c.* 25. *q.* 5. alios post mediam horam. Laym. *de sacrif. miss. c.* 4. *n.* 4. mihi videtur dilatio unius horae esse culpam gravem. * Ita visum est Syl. *q.* 83. *a.* 2. *q.* 4. Palao *p.* 7. *n.* 14. Bonac. *l. c. n.* 6. Viv. a Concin. citato, quam non reprobat, *de sacrific. miss. diss.* 2. *cap.* 9. *

Dantur autem aliqui casus, quibus praedictum tempus licite non observatur. Et primo immediate post mediam noctem celebratur missa in die natalis Domini. Hoc tamen

intelligendum est de sola prima missa, nam reliquas duas non posse celebrari, nec fidelibus communionem exhiberi declaravit s. Congregatio *die* 9. *Augusti* 1653. *in una Pisauren. et* 20. *April.* 1664. et iterum 15. *Novembr.* 1678. Secundo potest statim post mediam noctem celebrari pro administrando viatico, si non sint particulae consecratae. Laym. *de sacrif. miss. c.* 4. *n.* 5. Dian. *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 33. Ex hoc motivo sunt qui asserant apud Tamburinum *in meth. celebrat. miss. l.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 21. celebrari posse usque ad horam tertiam post meridiem. Tertio potest postponi post meridiem celebratio missae in magna solemnitate, et si concio, vel funus principis, vel ordinatio etc. tardius absolvatur. Ita doctores apud Tamburinum *n.* 20. * Addunt Reiffenst. *l. c. n.* 107. Concin. *tom.* 8. *p.* 487 sacerdotem itinerantem, praesertim die festo, si ad locum ecclesiae etiam hora post meridiem pervenerit, posse, si velit, celebrare. Ex quo colligi potest minorem requiri causam, ut quis transacta meridie celebret, quam ut ante auroram, inquit Contin. Tourn. *l. c. q.* 3. *v. Tertio sufficit.* *

R. II. Regulares possunt ex privilegio celebrare in ecclesia duabus horis post mediam noctem, ut videre est apud Lugo *de euchar. disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 27. et quia nomine ecclesiae veniunt etiam claustra religiosorum: *can. Abbati* §. *Hac cautem dist.* 54. *cap. Alma mater de sent. excomm. in* 6. junct. gloss. *v. Monasteriis*, ideo tali tempore poterunt celebrare etiam intra claustra. Peyrin. *t.* 1. *constitut. Pyrri num.* 31. Item ex justa causa, non quidem modica, sed quam tamen non est necesse esse satis gravem, poterunt celebrare usque ad horam nonam inclusive; nempe usque ad tres horas post meridiem. Tambur. *in meth. celebr. missar. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 25. Dian. *pag.* 10. *tract.* 15. *miscell.* 1. *resol.* 27. Scio a pluribus sustineri hujusmodi privilegia censenda esse a Tridentino revocata. Barb. *de potest. episc. alleg.* 23. *n.* 4. Passer. *t.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *n.* 980. *et alii.* At cum non desint, qui non improbabiliter sustineant non esse revocata, ut videre est apud Lugo, Dianam, Tamburinum *l. c.* Pasqual. *q.* 174. *n.* 6. et plures alios, ideo tuto possunt regulares uti praefatis privilegiis; nam in dubio ipsorum privilegia semper sunt sustinenda ex dictis *tract.* 3. *q. ult. c.* 3. *quaes.* 3. * Advertendum tamen cum praedictis auctoribus, id tantum valere pro propriis ecclesiis, in quibus tamen uti possunt privilegio sacerdotes saeculares juxta sententiam card. de Lug. *de euchar. d.* 20. *n.* 27. Salmant. *tr.* 15. *cap.* 7. *n.* 95. Benedictus XIV. ve-

ro *de syn. dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *n.* 5. *et instit. eccles.* 68. nec non *constit.* 17. *Accepimus*, *bullar. tom.* 2. *p.* 127. *v. Itaque*, Fagnanus *in cap. Grave de offic. ordinar. n.* 46. Ferrar. *v. Regulares art.* 2. *n.* 17. tradunt regulares subjectos esse episcopis in iis, quae spectant ad celebrationem missarum. Ex his itaque infertur, quod si episcopus illis vetet eas celebrare ante vel post debitum tempus, eos teneri episcopi mandatis parere. *

R. III. Olim non improbabiliter dicebatur quilibet sacerdos missam privatim celebrare potuisse etiam feria quinta in coena Domini, et in die sabbati Sancti. Verum celebrationem talis missae in coena Domini omnibus prohibuit s. Congregatio apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *num.* 237. in catalogo decretorum s. Congregationis; * quae decreta repetitis vicibus confirmavit Clemens XI. ut videre est in ejus bullario particulari, et apud Merat. *in rubric. missal. p.* 4. *tit.* 8. *n.* 8. et in *indice decretor. sub n.* 620. *

Etiam in sabbato Sancto missam privatim celebrare prohibitum fuit ex decreto s. Congregationis 11. *Martii* 1690. approbante Pontifice, ut videre est apud Monacellum *tit.* 15. *form.* 3. *n.* 17. * Liceat hic adnotare declarationem S. R. C. *in Lucana die* 12 *Apr.* 1755. inter alia habetur, quod in Sabato sancto parochi, nulla attenta immemorabili consuetudine, aut saltem antiqua, non possint missam celebrare aut cum cantu, aut sine cantu relictis prophetiis, cum eae sint loco introitus missae. *

Regulae in praxi

* Multa occurrerent solvenda dubia orta ex recenti formula indulti pontificii de missa celebranda in oratoriis privatis, nos aliqua pro praxi breviter attingemus, quae frequentius evenire solent. Et primo potest dubitari, an qui die nativitatis D. N. privilegio gaudet, possit tres missas celebrare facere; et respondetur affirmative ex responsione S. C. die 20 Jan. 1725. quam una cum rationibus affert Bened. XIV. *de sacr. miss. l.* 3. *c.* 4. §. 8. et constit. *Magno* §. 18. Secundo ad quot gradus consanguinitatis et affinitatis extendatur privilegium, et videtur extendendum juxta regulas canonicas usque ad quartum utriusque gradum, ita tradit Gattic. *l. c. cap.* 25. *n.* 7. Tertio oriri potest adhuc dubium an in oratoriis privatis tempore missae administrare liceat sacrosanctum eucharistiae sacramentum. Equidem attentis verbis concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6. et disciplina jam a multis saeculis in ecclesia introducta eucharistiam de manu

cujusque sacerdotis celebrantis recipiendi, conjuncta videtur una cum concessione oratorii domestici licentia in eodem eucharistiam sumendi; et ita sentit Tamb. *de sacrif. miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 26. Clericat. *de euch. dec.* 8. *n.* 54. et alii apud Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 14. His tamen non obstantibus puto non posse licite ministrari, neque ex una concessione alteram inferri; cum quod est speciali nota dignum, debeat specialiter exprimi juxta *l. Eos C. de acquaed.* et notant Alex. *consil.* 104. *lib.* 1. Afflict. *dec.* 111. *n.* 9. quos afferunt et sequuntur Pignatell. *d. consult.* 98. *n.* 86. Pasq. *q.* 644. *n.* 2. *et* 3. Accedit nostris temporibus auctoritas Benedicti XIV. cit. constit. *Magno etc.* §. 23. *et* 24. inhibentis ministrationem eucharistiae in missis celebratis in oratoriis domesticis, quam quidem inhibitionem validissimis rationibus ante munierat *instit. eccles.* 34. §. 3. Sufficit tamen licentia ordinarii, vel ejus vicarii generalis. Quod propter allatam rationem extendendum videtur etiam ad infirmos, praesertim quia, quando Romanus Pontifex eam concedere intendit, expresse nominat, ut videre est apud Gattic. *cap.* 19. *num.* 12. *et* 15. *et cap.* 29. *num* 6. *

* Loquendo de familia, si priora verba attenderentur *familiaeque*, quam late pateret apostolicum privilegium! omnes enim famuli et famulae, quotquot domini servitio addicti sunt, et ejus sumptibus vivunt, licet actuale servitium non exhibentes, sub nomine familiae comprehenduntur: *l. Ædiles ff. de aedil. edict. l. Praetor ait* §. *Quoties ff. de vi et vi armat. cap. De familiis ecclesiae tit. de serv. non ordinand. cap. Sicut nobis de v. s. in* 6. ibique Barbosa. Ne igitur tam late pateat apostolicum privilegium, solet Pontifex indultum coarctare per posteriora verba: *volumus tamen, quod familiares servitiis tuis tempore missae actu non necessarii... ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur*. Et exinde ortum est non leve inter auctores dubium in designandis illis, quibus privilegio gaudere datum sit, quia necessarii dici possint. Alii hoc juxta necessitatem physicam metiuntur, et unicum famulum, qui missae inserviat, et alterum ad domini, et si foemina privilegiata adsit, etiam alteram foeminam ad dominae necessitates forte eventuras reparandas admittunt. Alii ad dignitatem et privilegiati decorem confugiunt, et juxta illum modo augent, modo minuunt numerum famulorum. Inter diversas scriptorum opiniones, donec aliter statuatur, tuto crederem posse sententiam Pignatelli am-

plecti *loc. cit. num.* 107. *et seqq.* quam tenent etiam card. Petr. *tom. 2. comment. ad constit.* 8. *Honorii III. num.* 63. Pasqual. *q.* 658. nempe satisfacere praecepto audiendi missam illos famulos et famulas tam servitio personali domini, quam servitio communi, et continuo domui actualiter incumbentes, licet tempore missae a servitio desistant, neque exclusionem non necessariorum afficere eos, qui quocumque modo non sunt necessarii. Et hac ratione conciliari possunt meo videri verba priora *familiae* cum posterioribus *volumus etc.* alias videretur Pontifex negare gratiam, quam antea concesserat, quod non est praesumendum; nisi enim loquamur de infirmo, vix potest dari vel unicus famulus aut famula, quae revera actu sint necessarii eo tempore. Quod illud autem praesumi non debeat, habetur *l. Cum hic status* §. 1. *in fin. ff. de donat. inter vir. et uxor.* Menoch. *de praesumpt. l.* 6. *praesumpt.* 37. *n.* 9. Rot. *p.* 1. diversor. *dec.* 763. *n.* 14. Valde tamen de cubiculi et domus praefecto, de ephebo, auriga et his similibus dubitarem. Consulendum interim dominis, ut sine vera necessitate non patiantur diebus festis, quod et viri cordati persaepe praestant, famulos vel famulas ab audienda missa in ecclesia abstinere.*

* Non omnino abs re puto, si hic inquiratur an hodie hujusmodi oratoriorum privilegia ab episcopis obtinere liceat, et ipsi possint hodie facultatem tribuere missam in eis celebrandi; ita fiet, ut quisque sciens quo se extendere illorum potestas queat, ab illis fatigandis inutilibus, ac molestis petitionibus abstinebit. Certum igitur est a concilio Trident. *sess.* 22. in decreto *de observandis in celebratione missae* injungi Episcopis, *ne patiantur privatis in domibus... sanctum hoc sacrificium a saecularibus, aut regularibus quibuscumque peragi*, ex quo factum est, ut sine apostolicae sedis dispensatione non liceat hodie missam celebrare in oratoriis domesticis, atque episcopi nequeant hanc facultatem concedere, quod maxime roboratur ex innumeris S. C. C. declarationibus, nec non Pauli V. Urbani VIII. ac Clementis XI. decretis emanatis ad declarandum verum Tridentini sensum, et ad tollendas varias illius decreti absonas interpretationes doctorum. Videri possunt declarationes illae ac decreta apud Gattic. *de orator. domestic. c.* 14. Neque hodie ad contrariam consuetudinem confugere prodest; omnes enim contrarias consuetudines abstulisse superius citatum decretum jussu Clementis XI. editum confitetur Leur. *in* 3. *decret. tit.* 41. *q.* 975. quod respicere debet, qui legit Laym. Reiffenst. in *theologia morali*, Lacroix, et alios, qui ante

illud scribentes, adhuc durare consuetudinem aliquibus in locis docuerunt, ut ex mera episcoporum auctoritate missae celebrarentur in oratoriis domesticis. Licet autem per supradicta decreta valde imminuta sit quoad haec episcoporum potestas, non tamen penitus sublata, atque deleta dicenda est, sed adhuc posse in magna necessitate, atque gravissima urgente causa hujusmodi facultatem tribuere tradit card. Petra *in comment. ad constit. VIII. Honorii III. sect. unic. num.* 10. Et revera non pauca habemus indicia, quae assertionem hanc roborare videntur, quaeque repeti possunt tum ex fine, quo legem suam contexuerunt Tridentini patres, auferendi videlicet pericula irreverentiae erga divina mysteria, et nimiam ecclesiarum desertionem, tum ex formula, qua usi fuerunt, *ne patiantur*, quae licet rigorem vigilantiae episcopis praecipiat, attamen non adhibuerunt formulas expressiores suppressionis, abolitionis, irritationis, quibus utuntur canones et concilium Tridentinum, quando auferre penitus voluit potestatem aliqua sine eventuum exceptione. Tota difficultas sita est in firmanda causae gravitate. Aliqui enim ut sufficientem causam traduxerunt infirmitatem viri nobilis spirituale missae audiendae solamen enixe poscentis; alii necessitatem ministrandi moribundo viaticum, qui illud aliter recipere nequiret; alii impotentiam viri nobilis ad ecclesiam pro missa audienda accedendi, sed revera hujusmodi causarum gravitas rejecta fuit a Reiffenst. *in* 3. *decret. tit.* 41. *n.* 15. licet dubitanter, et aperte a Leur. *ibid. q.* 975. et aliis severioribus Tridentinae legis custodibus, quodque magis est, improbata non semel fuit a sacra Concilii congregatione apud Gattic. *l. c. c.* 15. et apud Fagnan. *in cap. Auctoritate de censib. n.* 20. Quid ergo dicendum in tanta doctorum varietate? Non negandum quod in quibusdam regionibus propter certas circumstantias gravissima censeri possit causa, quae levis in aliis reputaretur, et quod sufficere quandoque possit minor causa, quae ut plurimum tamen sufficiens non esset censenda. Dicendum itaque in casibus alias a jure permissis, et quando recursus ad sedem apostolicam, vel ob instantem necessitatem, vel ob maximam distantiam haberi non permittuntur, vel quando res pastoris proprii sollicitudinem postularet, posse adhuc episcopos facultatem concedere missam celebrandi in oratoriis domesticis, non tamen semper, sed una, aut altera vice, et pro brevi aliquorum dierum spatio: neque eadem facilitate pro multis, qua pro una sive altera persona. *

* Omnes fere doctores conveniunt tempus aurorae et meridiei pro celebratione missae sumendum esse non mathematice, sed moraliter. Ita ultra DD. citatos Lug. *disp.* 20. *n.* 37. Bonac. *disp.* 4. *p.* 9. *n.* 2. Reiff. *l. c. n.* 106. Pax Jord. *l.* 4. *de sacrif. miss. n.* 102. Hinc fit, quod si missa parum anticipetur, ita ut in aurora finiatur, nulla esset culpa, praesertim si adesset aliqua causa, licet non gravis. Verum quidem est Clementem XI. in quodam suo decreto ita statuisse: *Comandiamo che le messe non possano incominciarsi prima dell' aurora, e che al mezzo giorno debban esser del tutto terminate;* sed sub Benedicto XIII. et Clemente XII. re denuo discussa, supradicti Pontifices unius tertiae partis horae latitudinem tum ante auroram, tum post meridiem posse tolerari aduuerunt; ita testatur Benedictus XIV. *instit. eccles.* 12. *n.* 3. *et* 4. *

CAPUT VI.

De vestibus, aliisque requisitis ad celebrandum, et de ornamento altaris

Q. I. Quae vestes requirantur ad celebrandum, et quando interveniat peccatum ratione talium vestium, vel ex omissione illarum.

R. I. Primo requiruntur amictus et alba, quae vestes possunt fieri ex gossipio, vulgo *bambage*, lino, et canape, dummodo sint decentes. Praeterea requiritur cingulum, manipulum, stola et capsula, quae fieri possunt ex quacumque materia, dummodo adsit decentia. Quar. *p.* 1. *tit.* 19. *dub.* 15.

R. II. Potest peccari mortaliter; si adhibeantur vestes ita attritae et sordidae, ut vere sint indecentes; nam tunc non adhiberentur sine gravi irreverentia. * Putat Pax Jord. *l. c. n.* 279. cum Suar. *disp.* 81. *sect.* 3. peccare mortaliter sacerdotem, si ipsi incumbit onus custodiendi paramenta, secus vero quando adest sacrista vel alius minister ad id deputatus, tunc enim ipse delinquit, non sacerdos. * Item potest esse mortale non servare colorem, qnando interveniret scandalum, quod facile interveniret, si missa festiva nigris vestibus celebraretur. Caeterum variare colores, cessante scandalo, aliqui censent nullum esse peccatum, cum putent rubricas quoad hoc esse tantum directivas. Dian *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 57. vel solummodo veniale, si circumstantia temporis non faceret judicare talem variationem esse gravem, ut si in die paschatis paramentis nigris celebraretur. Quarti

p. 1. *tit.* 18. *d.* 1. * Cum distinctionem rubricarum inter praeceptivas et directivas superius ex Bened. XIV. non esse admittendam dixerim, sed omnes esse praeceptivas, non excusarem a peccato veniali, qui sine necessitate colorem variaret. *

R. III. Celebrare absque praefatis vestibus reputatur mortale, utpote quia violatur ritus ecclesiae in re gravi; et solummodo ab aliquibus a gravi culpa excusatur, qui sine cingulo celebraret, ob parvitatem materiae. Tambur. *in meth. celebr. miss. l.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 3. Neque puto celebrari posse sine aliqua saltem ex majoribus vestibus, ratione satisfaciendi praecepto de missa audienda, vel pro populo die festo celebrandi, nam cessat tale praeceptum, quando missa celebrari non potest juxta praescriptos ritus. Tamb. *num.* 5. * et habetur *can. Vestimenta* 42. *de consecr. dist.* 1. et tenent Suar. Laym. et alii ap. Contin. Tourn. *l. c. sect.* 8. *v. Dixi.* * Si vero necesse esset celebrare ad vitandum damnum valde grave, puta si incutiatur metus gravis damni sacerdoti, si non celebret, ut aliqui missam audiant, liceret quidem tunc celebrare sine aliqua ex sacris vestibus; quia praeceptum humanum eas adhibendi non obligat cum gravi incommodo; at puto neutiquam licitum esse celebrare sine omnibus sacris vestibus: nam cum id non fieri possit sine indecentia, subintrat praeceptum naturale in quocumque casu obligans non celebrandi cum gravi irreverentia. Tambur. *num.* 6. * Hanc sententiam praeter Suarez *d.* 82. *sect.* 3. docent la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *num.* 339. Continuat. Tournel. *l. c. v. Utrum*, et probabiliorem et in praxi sequendam fatetur Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 17. Cum Aversa et aliis. * Caeterum nec minimam ex sacris vestibus liceret omittere, si metus in contemptum religionis incuteretur, ut de se patet.

Q. II. An supradictae vestes debeant esse benedictae; et a quo; et quando amittant benedictionem.

R. I. Certum est vestes praefatas debere esse benedictas; ita enim communiter docent DD. apud Barbosam *de offic. episc. alleg.* 27. *n.* 42. ac qualiter benedicantur, videre est in rituali Romano. Item certum est de jure ordinario solum competere episcopis eas benedicere, neque ab eis esse simplici sacerdoti talem facultatem delegabilem vult Tambur. *in meth. celebr. miss. c.* 3. §. 2. *n.* 4. ex declaratione s. Congregationis; cum talis benedictio ad potestatem ordinis reducatur. * Cum Tamb. consentit Gav. *p.* 4. *tit.* 19. *n.* 23. Reiff. *in* 3. *dec. tit.* 40. *de cons. ecc. n.* 42. *et* 49. Eng. *ibi* §. 1. *n.* 9. Pasq. *q.* 801. licet alii dissentiant. Cum autem nul-

libi legatur episcopos hanc facultatem delegasse, immo plurimos, teste Benedicto XIV. *instit. eccl.* 21. *n.* 10. a sacra Congregatione delegandi potestatem postulasse, contrariae opinioni non est adhaerendum. * Ex privilegio pro usu suarum ecclesiarum possunt quicumque superiores regulares, quocumque nomine appellentur benedicere vestes sacerdotales, corporalia et alia ornamenta altaris, pro quibus sacra unctio non adhibetur. Passerin. *tom.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *num.* 926. et communiter; quod tamen numero sequenti negat licere subprioribus, vicariis etc. in absentia superioris majoris; quia talis facultas videtur concessa superioribus; quatenus praelati sunt, quae ratio non competit subprioribus. Item censet *n.* 928. non eis licere praefata benedicere pro usu aliarum ecclesiarum; ac afferuntur quoad hoc etiam variae declarationes s. Congregationis, ut videre est etiam apud Gavant. *p.* 4. *tit.* 19. *n.* 22. At multi putant superiores regulares adhuc habere privilegium sacras vestes benedicendi pro usu aliarum ecclesiarum. Tamb. *de jur. abb. d.* 22. *q.* 2. *n.* 1. Pasqual. *de sacrif. q.* 803. Anton. a Sp. S. *t.* 3. *de priv. reg. tr.* 2. *d.* 1. *num.* 133. * Vide dicta superiori capite. *

Quamplures addunt remanere benedictas sacras vestes per hoc solum, quod sacerdotes cum illis non benedictis celebret, sicut etiam remanere consecratum calicem et altare, si in eis non consecratis celebretur. Et ratio illorum est, tum quia per talem usum immediate, vel mediate tanguntur a corpore Christi, qui est fons omnis consecrationis et benedictionis: tum quia per talem usum hujusmodi cessant esse profana, et intelliguntur deputata ad sacras functiones. Pasq. *de sacr. q.* 776. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *res.* 117. et plures alii. Verum non desunt qui contradicant, quorum ratio est, quia cum consecratio, et benedictio sint de jure requisitae, et fieri debeant juxta praescriptum ritum, his non videtur satisfieri per hoc, quod rebus praefatis non benedictis, vel consecratis aliquis utatur ad missam celebrandum. Lugo *de euch. d.* 20. *n.* 91. Fagund. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 15. *etc.* * La Croix *n.* 252. Laym. *l. c.* neque ab hac sententia recedendum putant Salmant. *cap.* 4. *n.* 98. quia prima sententia non satis tuta apparet. *

R. II. Si vestes sacrae et alia ad divinum cultum destinata ita destruantur, vel mutentur, ut proprium usum deperdant; quia perdunt figuram, sub qua fuerunt benedictae, amittunt benedictionem et consecrationem. Ratio est, quia tunc non amplius est illa vestis quae fuit benedicta, et ille

calix qui fuit consecratus. Hinc non amplius benedicta remanet alba, a qua separetur manica illi assuta, quamvis iterum eadem assuatur. Secus esset, si non esset assuta, sed funiculis illi annexa; nam tunc benedicitur sub illo modo partium separabilium et iterum conjungibilium. Idem dicunt de planeta, cujus pars anterior funiculis annecteretur cum posteriori: card. de Lugo *de euch. d.* 20. *sect.* 4. *n.* 93. *et* 99. Amittit benedictionem cingulum, si ita frangatur, ut neutra pars apta sit ad cingendum. Si vero saltem una pars apta remaneat ad cingendum, ea benedicta perseverat, eique annecti potest altera pars non apta; sicuti vestes attritae aliqua parte non benedicta reparantur. Et ratio in utroque casu est, quia accessorium sequitur naturam principalis. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *res.* 167. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 10. et communiter. Pariter non amittit benedictionem planeta duplicata facile separabilis, si de facto separetur; quia adhuc utraque retinet suum usum. Dian. *res.* 165. Tamb. *in meth. cel. miss. l.* 1. *c.* 3. §. 3. *n.* 5.

Si de planeta fiat stola, iterum haec est benedicenda; nam dum planeta mutat formam, desinit esse benedicta. Lez. *v. vest. sacr. n.* 6. Secus si e manipulo fiat stola, et e contra; nam non censentur diversae vestes, solum etenim una brevior est, altera longior. Fagund. *in* 1. *praec. eccl. l.* 3. *c.* 23. *n.* 13. Si tamen manipulum non ita sit oblongum, ut commode vicem stolae supplere queat, hujus loco non est adhibendum.

Q. III. Quale peccatum sit celebrare vestibus non benedictis.

R. Celebrare cum vestibus non benedictis, etsi sola stola, vel manipulus non essent benedicta, magis communiter reputatur gravis culpa; quia adhibere aliquid non benedictum in ordine ad celebrationem, idem esset ac si omitteretur, adeoque variaretur ritus in re gravi. Adhibere vero cingulum non benedictum ex parvitate materiae potest reputari levis culpa; cum non sit indumentum, sed solum ligatura indumentorum. Quarti *p.* 2. *tit.* 1. *sect.* 4. *dub.* 5. et plures alii. Immo non desunt, qui putent cingulum non debere esse necessario benedictum. Ubi etiam advertendum, quod si non adsint vestes benedictae, non urget praeceptum de celebranda missa die festo, ut satisfiat obligationi illam audiendi, quia cessat obligatio celebrandi, quando non adsunt vestès praescriptae ab ecclesia. * Ita etiam sentit Sylv. *q.* 83. *art.* 6. * Caeterum si desit aliqua ex vestibus minoribus, putat Tamb. *in meth. celebr. miss. l.* 1. *c.* 3. §. 1. *n.* 5. non cessare talem obligationem; cum antea dixerit,

stante aliqua necessitate celebrandi, qualis etiam esset necessitas eleemosynae respectu sacerdotis pauperis, nullum esset peccatum sine cingulo celebrare etc.

Q. IV. Quae requirantur pro ipso missae sacrificio.

R. Requiritur calix cum patena, quae non sint ex aere, hac etenim materia solum pes calicis admittitur, sed vel auro, vel argento, vel stamno: *can. Calix de cosecrat d.* 1. Ut autem praescribunt rubricae, cuppa calicis interior, et superior pars patenae debent esse deauratae, quod tamen non obligare sub mortali docent plures, si praedictae sint ex argento. Ulterius debent esse consecratae ab episcopo, vel habente privilegium. Quia vero pyxis non deservit ad conficiendum, sed solum ad custodiendum sacramentum, non oportet esse consecratam; immo juxta plurimorum sententiam neque benedictam. Lug. *disp.* 20. *n.* 96. Avers. *de euch. q.* 11. *sect.* 13. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *res.* 180. * Licet supradicta opinio plurimorum DD. fulciatur auctoritate, attamen pyxidis benedictionem supponit Rubr. *p.* 2. *tit.* 2. *n.* 3. ubi habetur: *si sacerdos consecraturus est plures hostias pro communione facienda, quae ob quantitatem super patena manere non possint, locat eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato vel vase mundo benedicto;* et in rituali assignatur benedictio specialis pro tabernaculo seu vasculo pro sacrosancta eucharistia. Demum extat decretum S. R. C. 16. Nov. 1649. apud Ferrar. *bib. can. t.* 9. *p.* 28. *sub. n.* 313. his conceptum verbis: *Pyxis, ostensoria et corporalia, quae immediate inserviunt ss. sacramento, debent benedici juxta formam, quae habetur in rituali.* *

Porro calix deperdit consecrationem, si pes separetur a cuppa, nisi sit tornatilis, ex dictis supra. Item si destruatur figura, vel si fiat foramen quamvis minutissimum in tali loco, ita ut non amplius continere possit species consecratas, secus si sit in loco, ut adhuc possit continere: Dian. *t.* 2. *tr.* 5. *resol.* 176. Sunt etiam qui putent calicem et patenam amittere consecrationem per novam inaurationem. Cassian. *v. Calix n.* 6. * Laym. vero *l. c. cap.* 6. *n.* 7. Lug. *d.* 20. *n.* 95. Continuat. Tourn. *l. c. sect.* 8. *q.* 8. *v. Non desunt* cum Gibert. *t.* 3. *consult.* 52. Reiff. *l. c. addit.* 4. *append.* 3. *post n.* 136. Pax Jord. *l. c. n.* 178. contrariam sententiam validissime tuentur *.

Insuper requiritur corporale lineum saltem in ea parte, quae hostiam et calicem tangit. Item palla linea; et quamvis non desint qui dicant posse esse etiam alterius materiae, nihilominus cum censeatur esse pars corporalis, a

quo prius erat indistincta, et retineat eumdem usum calicem cooperiendi, dicendum est debere esse ejusdem materiae ac corporale. Pasqual. *de sacrif. q.* 786. Lugo *de euch. d.* 20. *sect.* 2. *n.* 76. Tam vero corporale, quam palla debent esse benedicta; quod non esse necessarium respectu purificatorii docet Gavant. *in rubric. missal. tr.* 1. *num.* 1. *l.* 1. Ultra haec requiritur bursa, in qua servatur corporale; velum ad cooperiendum calicem, et manutergium, quae omnia cum remote se habeant ad sacras actiones, non est necesse esse benedicta. Tamb. *in meth. celebr. miss. l.* 1. *c.* 5. §. 6. *n.* 3.

Q. V. Quae requirantur pro ornatu altaris, ubi missa est celebranda.

R. Primo requiruntur tres mappae, seu tobaleae ex lino, vel simili materia; sufficit tamen si una sit duplicata. Celebrare autem sine ulla tobalea cum solo corporali reputatur communiter gravis irreverentia, quamvis levis dici possit, si missa celebretur cum una tobalea et corporale. Pasqualig. *q.* 712. *n.* 7. aliique apud Dianam *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 172. *n.* 6. Quamvis autem non pauci dicant non esse necessarium dictas tobaleas esse benedictas, alii nihilominus merito contrarium affirmant; quia in rubricis missalis *tit. de def. ex part. altar. n.* 4. eodem modo ponitur pro defectu vestes sacerdotales ac mappas non esse benedictas. Lugo *de euchar. d.* 20. *n.* 76. Gavant. *p.* 1. *t.* 20. *l.* 5.

Deinde requiruntur super altare duo candelabra cum duabus candelis cereis accensis. Omnes conveniunt esse peccatum mortale celebrare sine lumine, et colligitur *ex c. ult. de celebr. miss.* Celebrare autem cum unica candela, aliqui censent nullum esse peccatum; quia de jure solum requiritur lumen. Alii putant esse peccatum veniale, quia videtur eis transgredi consuetudo ecclesiae in re levi. Quarti *p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 11. et alii. Alii putant hujusmodi transgressiones esse in re gravi contra universalem ecclesiae consuetudinem. Fagund. *in* 1. *praec. eccl. l.* 3. *c.* 23. *n.* 17. aliique apud ipsum. Huic opinioni ego adhaererem, saltem dum quis extra casum necessitatis cum sola candela celebraret, ratione gravis scandali. Hac ratione et peccaret mortaliter, qui sine necessitate cum lucerna ex oleo celebraret, et dici etiam potest, adhuc praeciso scandalo, esse grave peccatum; quia non videtur fieri in re levi contra antiquissimam ecclesiae consuetudinem. Multo magis esset grave peccatum in lumine ex sebo, vel adipe celebrare extra casum necessitatis; tale etenim lumen numquam adhi-

bitum est ab ecclesia. Quamvis autem non desint, qui dicant etiam in casu necessitatis, non licere cum tali lumine celebrare, quia hoc reputant non fieri posse sine gravi indecentia; nihilominus non desunt qui in tali casu id licitum affirment, maxime pro sacramento conficiendo, quod per modum viatici sit administrandum, et pro celebranda missa, ut populus praecepto satisfaciat. Lugo *de euch. d.* 20. *n.* 77. et alii apud Dianam *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 45. *n.* 67. Idem dicendum, si in casu necessitatis celebrandum sit cum unica candela. Ad removendum autem populi scandalum, admonendus est populus de licita causa ita faciendi. * Videatur Contin. Tourn. *l. c. sect.* 7. *q.* 11. Reiff. *l. c. addit.* 3. *append.* 2. Pax Jordan. *a n.* 205. *ad* 250. *

Demum praescribunt rubricae, ut tempore consecrationis altera candela accendatur, quod tamen non cadere sub obligatione, quae inducat peccatum, putat Tamburinus *in meth. miss. celebr. l.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 3. et alii.

Item pro ornatu altaris requiritur crux, quamvis sine ea celebrare non reputetur nisi culpa levis. Lugo *d.* 20. *n.* 79. Fagund. *in* 1. *decalog. praec. l.* 3. *c.* 21. *n.* 32. Immo sufficere esse in tabula, vel pariete depictam docet Tambur. *c.* 3. §. 4. *n.* 1. Non est autem in altare apponenda, ubi est expositum ss. Sacramentum. * De cruce requisita pro missae celebratione notanda sunt, quae noviter statuit Benedictus XIV. in sua constitutione *Accepimus* 17. *t.* 2. *bull. p.* 123. In ea igitur laudatus Pontifex praecipit, in quocumque altari celebretur missa, in ea aptari crucem cum Crucifixi imagine ita prominentem et magnam inter candelabra, ut facile et commode tum a sacerdote, tum a populo assistente conspici possit, quod et observari mandat etiam in eo altari, in quo sacra eucharistia in tabernaculo asservatur; et ecclesiae legem violari docet, si in eo praefigatur parvus aliquis Crucifixus, qui oculos sacerdotis populique effugiat. Quod autem non sit crux necessaria in eo altari, in cujus tabula depicta vel caelata sit Crucifixi imago, hoc admittit, multorum DD. sententiae et S. R. C. decreto an. 1663. se conformans, dummodo primum locum obtineat prae caeteris omnibus, quae in eadem tabula exprimuntur. Quoad vero crucem apponendam in altari, ubi sacra eucharistia publicae fidelium venerationi est exposita, decernit juxta S. R. C. sanctiones, ut quaelibet ecclesia vel dioecesis suam retineat consuetudinem, nihilque innovetur; et decretum S. R. C. crucem apponi in missa praecipientis, etiam quando est expositum venerabile sacramentum,

quod affertur a Merati in indice decretorum *sub n.* 604. et a la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 321. testatur idem Benedictus XIV. *l. c.* cautum fuisse, ne in lucem ederetur. An autem grave sit peccatum in altari celebrare, in quo crux abest, *de sacrif. miss. l.* 3. *c.* 13. §. 1. docet ex communi DD. sententia, id non excedere culpam venialem. *

Requiritur etiam pulvinar, missale et pallium. Pulvinar super altare requiritur non ex necessitate, sed ex decentia. Pallium non est necessarium, si altare in facie anteriori sit absque illo sufficienter ornatum. Quarti *p.* 1. *tit.* 20. *d.* 9. Quoad missale dicendum non posse sine isto absque gravi culpa missam celebrari. Fagund. *tr.* 1. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 23. Et quamvis aliqui dicant non peccaturum sacerdotem celebrantem sine missali, quoties etiam sine ipso putet posse se omnia dicere. Layman *l.* 4 *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 27. nihilominus id in praxi non est sine necessitate faciendum: nam etiam homines ingentis memoriae solent aliquando ipsius lapsum experiri, et maxime dum aliquid recitatur; quod recitari non solet sine aliquo timore. * Hoc confirmari etiam potest ex conditione, quae apponi solet a s. concilii Congregatione in concedenda sacerdotibus caecutientibus facultate missam votivam b. Mariae celebrandi, quae est: dummodo memoriter non recitet. Si ergo non licet supradictis cum aliquali causa, multo minus licebit aliis sine causa *. An vero sacerdos teneatur adhibere missale Romanum, alias dixi.

Q. VI. An missa celebrari possit sine ministro; et qualis esse debeat.

R. I. Nullus potest celebrare sine ministro: *c. Proposuit de fil. presb.* atque omnes fatentur ministrum sine gravi culpa omitti non posse. Et cum hoc sit ex jure, solus pontifex potest dispensare: et de facto aliquando dispensavit cum eremitis perpetuo inclusis, ut possent sine ministro celebrare. Bona *l.* 1. *rer. litur. c.* 13. Non autem est necessarius minister; ut sacerdos dicere possit cum proprietate *Dominus vobiscum*; sicut etenim ea verba cum proprietate dicit, quando solus recitat officium, quia fideles putantur praesentes mediante fide et charitate; ita ea cum proprietate diceret, si in missa minister non adesset. Videatur s. Petrus Damianus in opusculo ad Leonem inclusum, cui titulus. *Dominus vobiscum*. In casu necessitatis potest sacerdos sine ministro celebrare, sibique inservire, ut docet Glossa communiter recepta *in cap. Quaesivit de verb. signific. et in cap. Hoc quoque de consec. d.* 1. * Inter casus necessitatis adnumerat Contin. Tourn. *l. c. sect.*

9. *q.* 1. cum Lug. *disp.* 20. *n.* 103. Sylv. *q.* 83. *art.* 5. et aliis communiter, si necesse sit viaticum ministrare, vel populum missam audire, quorum opinioni libentius adhaeret Pax Jord. *n.* 324. *. Addunt ulterius DD. urgente necessitate, adhiberi posse pro ministro excommunicatum non denunciatum. Turr. *l.* 2. *de excomm. disp.* 11. *d.* 1.

R. II. Minister respondens celebranti debet esse vir et non foemina. Nec ego puto ex quacumque necessitate licite adhiberi foeminam ad proxime ministrandum sacerdoti celebranti: *cap. Inhibendum de cohab. cleric. et mulier. can. Sacratas d.* 13. Addendum modo id non fieri posse sine gravi scandalo; cum nulli mulieri unquam concessum sit, ut possit proxime ministrare. Neque tale scandalum removeri posset adducendo necessitatem et defectum ministri; nam deficiente ministro, qualem sacri canones requirunt, licite sacerdos in casu necessitatis sine ministro celebrat, ut dictum est. * Permittunt supracit. AA. maxime sanctimoniales quandoque a longe respondeant, dummodo immediate non ministrent *.

Praeterea curandum est ne ministri tanti sacrificii sint pueri immorigeri, incapaces aut petulantes, qui sua indevotione adstantes distrahant, vel ad risum moveant; sicut neque homines rudes, viles aut sordidi; neque etenim hi sacerdoti sine indecentia assistunt. Videatur Van. Espen. *t.* 1. *p.* 2. *jur. eccl. univ. tit.* 5. *c.* 3. *a n.* 35.

Regulae in praxi observandae

I. Notet confessarius non leviter increpandos illos sacerdotes, qui sine veste decenti ad celebrandum accedunt. Ordinaria ipsorum vestis debet esse talaris, non tamen adeo attrita et sordida, ut indecens judicetur. Rure sine veste talari solent celebrare. Sed quid dicendum, si sacerdos brevi veste, pene lacera, luto aliisque sordibus deformis ad altare accederet? Certe gravis irreverentia reputaretur, talibus vestibus virum nobilem invisere, et non erit irreverentia ita accedere ad conficiendum corpus et sanguinem Christi Domini? Accedit non leve scandalum aspicientibus praeberi.

* Adnotanda hic venit ea lex, quae reperitur in ultima nostra synodo Fabii Colloredo *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. In ea igitur districte prohibetur etiam sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, et archiepiscopo reservatae sacerdotibus in civitate degentibus sine veste talari celebrare; sacerdotibus vero ruralibus, aut iter aggressuris permittitur brevior vestis, sed virtute s. obedientiae praecipitur, quod nigri sit

coloris. Ex quo patet quid dicendum sit de iis, qui legem illam non servant, et missas celebrant cum vestibus etiam ejus coloris, qui valde dedeceat. Ea verba *virtute s. obedientiae, et suspensionis poena* indicant, et supponunt grave peccatum, ut fert communis sententia DD. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *qu.* 5. Navar. *man. cap.* 23. *num.* 53.*

II. Multo magis increpandi sunt illi sacerdotes, qui tales tobaleas super altare habent, super quas vir honestus non sine stomaco manducaret. Quid praeterea dicendum de adhibente amictus sudore, et colli sordibus valde conspurcatos, albas et laceras et sordidas, corporalia et purificatoria multis maculis deformia? Nonne omnes isti gravis irreverentiae ergà divinum sacrificium rei sunt? Quod si quis hujusmodi indecentiae propriam, vel ecclesiae paupertatem causaret, audiat Bellarminum. *l.* 2. *de gemit. colum. c.* 3. ubi haec habet: *Alicubi vasa sacra et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniuntur, indigna prorsus, quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt? Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda et nitida procurent. Fontibus lacrymarum prosequendi sunt, qui exteriore turpitudine et sordibus animi sui impietatem sordesque testantur.*

III. Quis non videat grave committi sacrilegium, dum ipse calix et patena sordescentes videntur, vel ob immunda labia et digitos celebrantium, vel quia immunda redduntur, si interdum multa diligentia non purificentur? Calicem immundum ad bibendum nemo est, qui non respuat; et immundus calix ad divina peragenda sine gravi culpa adhibendus est? *Praecipimus*, ait Innocentius III. *cap. Relinqui de custod. euch. ut oratoria, vasa, corporalia, et vestimenta munda et nitida conserventur. Nimis enim absurdum videtur in sacris sordes negligere, quae dedecerent etiam in profanis.*

IV. Accidere potest, ut dum sacerdos celebrat in aliquo oratorio rurali, longe ab aedibus parochi et aliorum incolarum, et aliquo casu fortuito extinguantur candelae, et non sit ulla commoditas illas accendendi. Si igitur extinguantur ante consecrationem, nullatenus est missa prosequenda, quamvis urgeret praeceptum audiendi sacrum, vel viaticum administrandi; neque etenim hujusmodi praecepta obligare possunt ad conficiendum sacrificium cum indecentia. Coepta vero consecratione esset prosequendum; nam tunc major irreverentia est coeptum sacrificium non prosequi, quam perficere sine lumine.

CAPUT VII.

De stipendio missae; et de obligationibus, quae oriuntur ratione talis stipendii

Q. I. Quo titulo liceat accipere stipendium pro missa celebranda; et quale sit justum stipendium.

R. I. De antiquissimo more aliquid subministrandi a fidelibus sacerdotibus celebrantibus, testantur plures auctores, quamvis ab initio consisteret in oblatione panis et vini; at deinde, defervescente devotione fidelium, episcopi missae denarium taxarunt. Hujusmodi vero stipendium non dari posse ut pretium missae, dixi *tr.* 7. *q.* 3. *c.* 2. *quaest.* 2. Itemque nec pro labore necessario ad missam celebrandam, dixi ibidem. Item puto contra aliquos nec posse dari, et recipi pro obligatione, qua sacerdos se obligat ad celebrandum; nam cum haec obligatio de sua natura ordinetur ad sacrificium, et sit cum illo connexa, consequens est esse invendibilem. Constat etiam hujusmodi stipendium non dari titulo eleemosynae; nam alias restituendum non esset, si missa non celebraretur. Remanet ergo dari titulo substentationis, ut dixi *loc. cit. quaes.* 2. et docet s. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 3. Lugo *de euch. dis.* 21. *sect.* 2. *n.* 13. Fagnan. *in cap. Significatum de praeben. n.* 39. Ultra titulum substentationis dari possunt etiam alii tituli recipiendi stipendium, quales e. g. sunt labor extrinsecus, ut dum sacerdos pro alterius commoditate deberet valde longe progredi ad missam celebrandam; vel non posset celebrare, nisi quadam hora determinata ad alterius instantiam, maxime si id non facere posset sine suo incommodo, vel cessando ab aliqua sibi utili operatione etc. Passerin. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 882 * cui adhaeret Contin. Tourn. *l. c. sect.* 4. *v. Probatur* 3. *

Quia stipendium praecipue datur ob ministri sustentationem, magis communiter docent theologi non solum posse sacerdotem licite nolle dicere missam, si prius non detur stipendium, in quo omnes theologi conveniunt, ut observat Passer. *q.* 187. *n.* 913. sed ulterius posse licite pacisci de stipendio, assumpta obligatione celebrandi. Ratio est, quia cum, quod datur pro missa celebranda, titulo sustentationis accipiatur, et hic titulus sit mere temporalis, nil obstat, quin in pactum possit deduci: sicut igitur obligatio dantis respicit sustentationem sacerdotis, ita obligatio, quam assumit sacerdos de missa celebranda, non est in ordine ad sacrificium missae, quod tenetur solum ex liberalitate et fidelitate

celebrare, sed est obligatio justitiae, sive ex pacto, quae ex parte sacerdotis oritur ratione acceptae sustentationis. Pasq. *de sacrif. miss. q.* 904. *n.* 2. Barbos. *de potest. episc. p.* 2. *all.* 24. *uum.* 2. et alii plures ap. ipsos. * Et hac ratione a simoniae labe hoc vindicat s. Thom. *in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 4. dicens: *facere pactionem de missa celebranda simoniacum est. Si tamen non habet alios sumptus, potest accipere denarios, non quasi pretium missae, sed quasi sustentamentum vitae.* * Ex hoc etiam infertur implorari posse judicis auctoritatem contra non solventem stipendium; nam quod debetur titulo sustentationis exigi potest ratione justitiae commutativae. Pasqual. *cit.* Bonac. *de sacrif. miss. d.* 4. *q. ult. punct.* 8. *n.* 2.

R. II. Ut stipendium missarum justum sit, non opus est adaequare integram sustentationem sacerdotis pro ea die, qua celebrat. Cum igitur ss. canones noluerint aliquem ordinari, nisi ad titulum beneficii, vel patrimonii, et si religiosi Mendicantes ordinentur, supponatur saltem pro majori parte eleemosynis fidelium sustentari, constat non esse mentem ecclesiae sacerdotes integram sustentationem ex eleemosynis missarum recipere. Gibal. *de simon. q.* 18. *consect.* 7. la Croix *t.* 2. *p.* 2. *de sacrif. miss. n.* 126. ac proinde Juvenin. *de sacr. dissert.* 5. *q.* 6. *de sacrif. euch. a.* 5. dicit non esse consonam rationi consuetudinem, quae stipendium missarum taxat ad rationem congruae sustentationis ipsius celebrantis. Adde unumquemque sacerdotem posse per alia media honesta sibi victum quaerere. * Videri possunt Suar. *disp.* 85. *sect.* 2. Viv. *q.* 5. *art. ult. n.* 2. Salmant. *cap.* 5. *n.* 4. *

R. III. Justa taxa eleemosynae pro missis celebrandis desumenda est a communi consuetudine, vel a lege synodali, si extet, ut communiter docent theologi. Bonacc. *de sacr. euch. disput.* 4. *q. ult. p.* 8. *n.* 8. Tambur. *de sacrif. miss. l.* 3. *c.* 1. §. 1. *num.* 2. atque ita decrevit s. Congregatio *in una Apruntin. die* 15. *Novembr.* 1698. * quod et a regularibus observandum juxta decretum S. C. C. 15. Jan. 1639. *lib.* 16. *decret. p.* 138. tradit Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 2. * Oportet tamen taxam fieri, attento loco et tempore, et signanter caritate, vel vilitate annonae. Pasqual. *q.* 925. Taxata autem eleemosyna, vel per loci consuetudinem, vel per taxam synodalem, nihil supra taxam exigi potest ex pacto implicito, sive explicito, bene tamen si vere liberaliter aliquid de plus tribuatur. Lugo *in respons. moral. lib.* 5. *dub.* 18. Bonac. *de euch. d.* 4. *q. ult. p.* 8. *a num.* 9. Et quidem si tunc plus accipiatur ab eo, qui alias

vult celebrare missam, ex pacto et non ex sola liberalitate, non video, quomodo abesse possit simonia; nam supposito non adesse alios titulos, de quibus dictum est, jam illud de plus non potest deduci in pactum titulo sustentationis, cum quoad hoc qualis debeat esse eleemosyna, lege vel consuetudine fuerit taxatum, unde remaneret de facto exigi titulo celebrationis ipsius missae, quod est manifeste simoniacum. Exemplum sit in eo, qui quamvis non habeat obligationem vendendi, velit nihilominus suas merces vendere; certe si adsit pretium legale, non potest sine injustitia ultra illud vendere: * *l.* 1. §. *Cura carnis ff. de off. praef. urb. leg.* 1. *et* 2. *ff. de annon. l. Annonae ff. de extraord. cognit.* *; ita dicas de sacerdote, qui licet obligationem non habeat celebrandi, nihilominus se offerat ad celebrandum, sed exigendo ultra taxatam eleemosynam. Sanch. *consil. l.* 2. *c.* 3. *dub.* 7. *in fin.* Suar. *de relig. t:* 1. *l.* 4. *c.* 59. *n.* 17. Bonac. *n.* 11. Caeterum potest episcopus taxare, ne quid minus ultra consuetam eleemosynam sacerdotes accipiant, ne sacrificium vilescat, eo quod sacerdotes crebro se offerant celebrare ob eleemosynam manualem valde tenuem. Ita decrevit s. Congregatio *in una s. Severin. eleemosyn. miss.* 16. *Julii.* 1689. Quamvis ergo non pauci DD. stent pro opinione contraria, ut videre est apud Passer. *t.* 2. *q.* 187. *n.* 937. nihilominus dicendum episcopum id juste decernere posse, dum ex contraria praxi sacrificium parvipenderetur.

Q. II. Quomodo taxandum sit stipendium missarum, quas reliquit testator; et a quibus sint celebrandae.

R. I. Si testator non taxaverit stipendium, tribuendum est juxta taxam. Si vero vel ex taxa, vel ex consuetudine stipendium non sit indivisibile, meo videri, considerandae sunt vires haereditatis; et si tales sint, ut commode patiantur stipendium pinguius, crederem istud esse tribuendum, et ab episcopo taxandum, si ad illum pro tali taxa fiat recursus; nam tunc praesumendum est ita voluisse testatorem, cum missa ex pinguiori stipendio celebrata sit fructuosior, quia plus Deo offertur. Si vero haereditas non sine incommodo patiatur talem taxam, tunc bene praesumi potest mentem testatoris fuisse de minori stipendio. Juxta hanc distinctionem variae conciliari possunt opiniones, circa quas videndi sunt Pasqual. *de sacrif. q.* 924. *n.* 8. *et q.* 932. Passerin. *t.* 2. *q.* 187. *n.* 925. *et* 946. Caeterum advertendum s. Congregationem in responsione *Ad quintum* declarasse, quod si testator nullum taxaverit stipendium, illud pertinet taxare ad episcopum secundum morem civitatis, vel provinciae.

345. Ex praedictis constat male se gerere illos haeredes, qui missas a testatore relictas alibi curant celebrari, ubi minus stipendium erogatur; nam et faciunt contra mentem testatoris, et minus stipendium erogando, majori suffragio illius animam defraudant. Amostaz *de caus. piis lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 29. * Non posse hoc permitti, erui videtur ex novissima Benedicti XIV. constitutione 22. *Quanta cura, etc. bullar. tom.* 1. *pag.* 56. In ea enim districte prohibet omne id quod avaritiam et mercimonium quoad missas sapiat, et laicos excommunicationis, clericos autem et sacerdotes suspensionis poena innodatos ipso facto declarat, utraque poena nemine praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvenda, si parte aliqua stipendii pro missis retenta, minori curent alibi eleemosyna missas celebrari. * Solummodo crederem id licite fieri, quando vires haereditatis non paterentur numerum missarum a testatore praescriptarum; nam bene tunc praesumitur voluisse, ut potius omnes, quas praescripsit missas, pro se celebrentur, quam ut consuetum regionis stipendium tribuatur.

R. II. Si testator non determinavit particulares ecclesiae sacerdotes, a quibus missae ab eo praescriptae celebrentur non potest prohiberi quin ab omnibus sacerdotibus possint celebrari; cum de jure communi id omnibus competat, si vocentur ad celebrandum. Barbos. *de potest. episc. all.* 24. *n.* 3. Pass. *q.* 187. *n.* 942.

Q. III. An augeri possit stipendium pro missa cantata, vel pro celebrando die festivo, vel in altari privilegiato etc.

R. I. Consuetudo communis est, ut pro missa cantata majus stipendium exigatur. Hujus rei aliam non habeo efficaciorem rationem, nisi eam, qua dici debet sustentationem, quam exigere potest sacerdos missam celebrans, ex recepta consuetudine exposcere, ut majus stipendium obtineat missam cantando. Multo magis hoc verificabitur, si pro canenda missa debeat insolitum iter facere, vel majores faciendae sint expensae. Caeterum ego non puto exigendum majus stipendium pro majori, seu longiori ministerio; nam cum hoc sit missae intrinsecum, dici debet invendibile, ex dictis *tr.* 7. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 2. Sacerdotes vero non celebrantes, sed canentes, dici potest accipere stipendium ratione cantus, qui quamvis sit spiritualis in ordine ad finem, non est spiritualis in se, adeoque ratione ipsius potest pretium sumi, ut de musicis docet Passerinus *q.* 187. *n.* 884.

R. II. Praecise pro celebrando die festivo exigi non potest majus stipendium, etenim non adest major labor extrinsecus; nec alia causa sufficiens illud exigendi. Tambur. *de sacrif. miss. l.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 35. Amostaz. *de caus. piis l.* 2. *c.* 4. *n.* 23. Forte id excusari posset ratione consuetudinis, ex dictis paulo ante. Caeterum si die festo, vel alia die detur stipendium pro officiatura, seu ut dici solet, pro sola praesentia, tunc accipi potest aliud stipendium pro applicatione sacrificii; secus si requiratur praesentia, ut sacrificium applicetur. * Passer. *l. c. n.* 981. Lug. *d.* 21. *n.* 19. Sed videatur S. C. C. restitutio in *Traguriensi* die 19. Jan. et 6. Febr. 1627. relata a Benedicto XIV. *instit. eccles.* 56. *n.* 8. quae requirit expressam declarationem liberae applicationis, maxime si stipendium sit satis congruum; quia tunc non potest fieri praesumptio pro sola praesentia. Reiff. *theol. moral. tract.* 14. *dist.* 5. *addit.* 2. *post n.* 103. *et in Tinensi Applicationis sacrificii* 18. Martii 1668. *lib.* 26. *decret. pag.* 61. ubi sacra congregatio respondit, applicandum esse sacrificium pro anima fundantis cappellaniam, licet in suo testamento id non declaraverit, neque hoc fieri posse ad libitum cappellani. *

R. III. Cum stipendium dari, non possit pro applicanda indulgentia defunctis, alias esset manifesta simonia, hinc est nullatenus majus, vel novum stipendium exigi posse pro celebrando in altari privilegiato: aliunde autem ex habito stipendio habuit sacerdos quod sibi competit titulo sustentationis. Ant. a Sp. S. *tr.* 7. *d.* 6. *n.* 257.

Q. IV. Quomodo regulandus sit numerus missarum ratione accepti stipendii; et quid si stipendia sint incongrua.

R. I. Tot applicandae sunt missae, quot praescriptae sunt ad rationem tributae eleemosynae. Qui contra faceret, primo peccaret contra fidelitatem; quia eo ipso, quod accipit stipendium, intelligitur se obligare juxta communem consuetudinem, quae est, ut multiplicato stipendio, missae etiam multiplicentur ni offerens intendat dare pinguius stipendium pro minori numero missarum. Praeterea notandum s. Congregationem auctoritate sibi tradita ab Urbano VIII., quae omnia confirmavit Innoc. XII. in sua const. incip. *nuper a Nobis*, revocasse omnia privilegia, quibus minori numero missarum, vel alio modo satisfieri potuisset oneribus susceptis post privilegium. Fagn. *in cap. Significatum de praeb. num.* 44. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 46. §. 6. Secundo peccat contra justitiam, quia valde incertum est, an actu fructus sacrificii infinitus sit, et supra *cap.* 1. *quaest.* 7. dixi esse in actu

secundo finitum; unde qui putaret unico e. g. sacrificio pro pluribus acceptis stipendiis satisfacere, valde probabile est minus applicare de fructu sacrificii. Ex hoc autem oritur manifesta injustitia; nam sicut non satisfit debito certo incerta solutione, ita obligationi plura celebrandi sacrificia satisfieri non potest per hoc, quod putet sacerdos ex infinitate fructus sacrificii unica missa posse pro pluribus sacrificiis satisfacere; nam ut ita dicam, solveret debitum certum incerta solutione. Accedit, dantem plura stipendia nolle subjacere incertitudini diversarum opinionem, sed velle esse certum, ut sibi applicentur plura sacrificia. Contrariam opinionem jam reprobaverat Urbanus VIII. in decreto de celebratione missarum, ubi etiam dixerat ita agentem ad restitutionem teneri, et Alexander VII. n. 10. hanc damnat propositionem: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem; etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

R. II. In eodem decreto Urbani decernitur, non obstante incongruitate stipendii, tot missas esse celebrandas, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae sunt. Et s. Congregatio interrogata, an in tali casu sacerdotes teneantur celebrare missas ab offerente praescriptas, absolute respondit *teneri*, ut patet ex responsione ad 2. et 3. dubium. Neque refert sacerdotem non promisisse celebrare tot missas, quot praescriptae fuerint ad rationem tributae eleemosynae; nam eo ipso quod acceptaverit, intelligitur se obligasse ad eas celebrandas. Passerin. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 953. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 13. Barbos. *de potest. episc. alleg.* 24. *n.* 5. Ex hoc autem sequitur teneri applicare totum fructum sacrificii juxta intentionem dantis exiguum stipendium, ut de se constat. Pasqual. *de sacrif. q.* 946. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *res.* 19. Si vero qui tribuit eleemosynam, missas non praescripsit, tunc missae celebrandae sunt juxta stipendium ab ordinario, vel consuetudine praescriptum, ut respondit s. Congregatio in decreto de celebratione missarum in resp. ad 2.

Q. V. Quomodo sacerdos teneatur applicare missam, pro qua stipendium recepit.

R. Sacerdos tenetur applicare totum fructum sacrificii tam ex opere operato, quam ex opere operantis; siquidem intentio dantis stipendium est, ut sibi juxta suam intentionem applicetur totus fructus applicabilis. Hinc sacerdos, qui accipit stipendium pro missa defunctis applicanda, non potest sibi, vel alteri applicare fructum impetrationis; nam

quamvis dans stipendium principaliter intendat suffragium defuncti, re vera tamen non solum vult partem, sed totum fructum sacrificii, adeoque ut potius sibi fructus impetrationis et propitiationis applicetur. Passer. *q.* 187. *n.* 989. Pasqual. *de sacrif. q.* 449. Remaneret ut sacerdos posset alteri applicare fructum specialissimum sibi correspondentem, si forte sit alteri applicabilis; nam hunc non tenetur applicare pro offerente eleemosynam. Caveat tamen pro hujus applicatione accipere stipendium; tum quia valde incertum est, an sit alteri applicabilis; tum quia cum jam habuerit ex eleemosyna sibi convenientem sustentationem, non habet titulum novam recipiendi. Hinc Alexander VII. sub n. 8. hanc damnavit propositionem. *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.*

Q. VI. An sacerdos teneatur celebrare missas determinatas ab offerente eleemosynam.

R. Bene dici potest accipientem stipendium pro celebranda missa votiva, vel de requiem, satisfacere, si celebret missam diei currentis, quamvis celebrari possent missae determinatae ab offerente. Ratio est, quia si culpa aliqua adesset, interveniret, quia sacerdos non servaret promissum; at haec ratio omnino corruit, si observetur celebrando missam currentem promissum observari ad abundantiam per aequipollens. Et primo certum est fructum provenientem ex opere operato eumdem esse, sive dicatur missa de requiem, sive de sancto etc. d. Thomas. *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. Si vero consideretur fructus ex opere operantis proveniens quoad satisfactionem, major est, si celebretur missa diei currentis, quam de requiem; nam cum missa diei currentis sit longior et laboriosior missa de requiem, erit magis satisfactoria. Item missa diei currentis potest esse ex opere operantis magis impetratoria; quamvis etenim e. g. missam de requiem omittendo, omittantur illae orationes, in quibus expressius petitur liberatio defuncti; vel omittendo e. g. missam praescriptam b. Virginis, omittantur orationes, quibus specialiter invocatur; nihilominus dum recitatur missa diei currentis ex intentione promovendi divinum cultum ab ecclesia praescriptum in rubricis, cum hic modus divinum cultum promovendi videatur Deo magis acceptus, videtur etiam aptior ad impetrandum quod optat offerens eleemosynam. Ex hoc etiam sequitur in celebratione missae currentis non intervenire aliquod inconveniens,

ex hoc quod defraudetur e. g. b. Virgo, vel aliquis sanctus eo cultu, quem haberent, celebrando missam praescriptam in ipsorum honorem; nam ipsis magis gratum est, ut promoveatur modo aptiori ipsius Dei cultus, quod, ut dixi, sequi videtur celebrando missam currentem. Barbos. *de potest. episc. alleg.* 24. *n.* 32. Passerin. *t.* 2. *a.* 4. *q.* 187. *a n.* 1200. contra Pasqualig. *de sacrif. q.* 962. Bene tamen facit sacerdos, si dum id permittant rubricae, addat in missa currente orationem sancti, vel defunctorum, quorum missas volebat celebrari dans eleemosynam. Passer. *n.* 1212. quamvis ad id non teneri doceat Bonaccina *d.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 3. *n.* 5. quia potest aliis precibus omissum compensare.

Illud tamen observandum, quod si datum est pinguius stipendium pro missa particulari celebranda, restituendus est excessus stipendii, si non celebretur; nam datum est intuitu illius particularis missae. Addit Passerinus *n.* 1215. non posse omitti sine gravi culpa missam votivam cantatam; quia ratione ejusdem solemnitatis est quid notabile et grave; et aliunde non esset contra rubricas ultra missam ferialem cantatam addere aliam votivam cantatam.

Q. VII. An sacerdos accipiens stipendium pro celebrando in altari privilegiato, teneatur in eodem celebrare, et ad quid teneatur, si id non praestet.

R. I. Utique tenetur celebrare in altari privilegiato, non solum ut stet promissis, sed multo magis quia non potest sine gravi culpa offerentem majori bono spirituali privare, nec defunctos indulgentiis. Bene etiam dicitur non satisfieri celebrando in alio altari cum calculo, vel numismate benedicto, siquidem indulgentia certior est, dum celebratur in altari privilegiato. Lugo *de euchar. d.* 21. *n.* 39. Tamb. *de sacr. miss. l.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 1. Passer. *q.* 187. *n.* 1170. *et* 1175. Et hoc maxime advertendum, quando qui praescripsit missas, habebat specialem affectum ad illud altare.

R. II. Si pro celebrando in altari privilegiato datum est consuetum stipendium, id omittens non debet restituere. Ratio est, quia per hoc quod defunctus indulgentia defraudetur, non laeditur justitia; et aliunde consuetum stipendium correspondet celebrationi in quocumque altari factae. Si vero datum sit pinguius stipendium pro eo quod sacerdos se obliget ad celebrandum in altari privilegiato, cum tunc solummodo partem operis adimpleverit, tenetur restituere quod magis datum est pro celebrando in tali altari. Amostaz *de caus. piis l.* 2. *c.* 5. *n.* 24. Caeterum semper suaderem sacerdoti, qui etiam ex solito stipendio omisit in

altari privilegiato celebrare, ut aliis operibus satisfactoriis, et praecipue lucrando indulgentiam plenariam pro defunctis, pro quibus debebat in altari celebrare, compensaret damnum spirituale illis irrogatum, ad quod etiam teneri aliqui docent. Passer. *q.* 187. *n.* 1300. * Reiff. *l. c. addit.* 1. *et* 2: *post n.* 94. Spor. *de indulg. c.* 3. *sect.* 2. *n.* 137.*

Q. VIII. An sacerdos, qui accepit stipendium, teneatur per seipsum missas celebrare et an celebrando per alium possit illi dare stipendium minus eo quod accepit.

R. I. Si dans stipendium voluit, ut missae celebrentur ab eo, cui dedit, et iste ita acceptaverit, tenetur ex fidelitate stare promissis; quamvis virtus fidelitatis, praeciso damno, non obliget ad culpam gravem. Si vero non se obligaverit per seipsum celebrare, bene potest id facere per alium; nam obligatio solummodo est de celebranda missa pro dante stipendium.

R. II. Jam decreverat s. Congregatio auctoritate Urbani VIII. alteri sacerdoti dandum esse totum stipendium, sed quia nihilominus aliqui in contrarium opinabantur, Alexander VII. *sub n.* 9. hanc damnavit propositionem: *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et sacra Congregatio in decreto de celebrat. missar. *in resp. ad* 7. declarat neque ipsos sacristas posse aliquid retinere ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, ni forte aliunde non habeant, unde supplere possint talibus expensis; et tunc adhuc celebrandas tot missas, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas. Ratio autem cur non possint missae per alium celebrari, retenta parte eleemosynae, non solum desumitur ex sordida negociatione, quae ita agendo apparet, sed etiam quia id omnino videtur esse contra mentem dantis eleemosynam; nam cum eam det intuitu missae celebrandae; consequenter vult totam dari sacerdoti, qui illam celebrat. Hinc retinentem partem stipendii puto omnino ad restitutionem teneri (1).

(1) Quod inhibetur etiam a sacris canonibus, et praesertim a Bened. XIV. in sua Bulla, quae incipit *Quanta cura* sub poena excommunicationis Pontifici reservatae contra Laicos inflicta, et suspensionis *in* ordine ad Clericos; in qua Bulla turpe damnatur quorumdam mercimonium qui missarum eleemosynas ibi quaerunt, et colligunt, ubi taxa synodalis largiorem stipem sacerdotibus sacrum facientibus assignat, missas vero alibi celebrari curant, ubi sive consuetudine, sive synodali lege, minor eleemosyna pro singulis missis est celebrantibus attributa, ut hac ratione praedicti pravi nundinatores partem lucrentur acceptae stipis:

Haec doctrina limitationem primo patitur, si sacerdos celebrans omnino liberaliter alteri cedat partem, vel totum stipendium. Verum tamen est hanc liberalem remissionem non esse facile praesumendam; nam multoties fieret vel ex timore amittendae stipis; vel quia celebrans sperat aliquid ab eo, cui partem eleemosynae relaxat etc. Stante vero relaxatione liberali, non adhaereo illis theologis, qui adhuc putant non posse retineri, ea ducti ratione quod tota eleemosyna datur in ordine ad missam celebrandam, et quod intentio dantis est, quod tota sit celebrantis. Contra etenim est, quia si iste eleemosyna accepta posset mihi statim liberaliter dare, cur et non liberaliter relaxare, antequam dem? Sicut autem, qui dedit stipem non potuit habere intentionem, ut postquam celebrans accepit, non mihi liberaliter daret; ita nec quod liberaliter relaxaret, antequam accipiat. Viva *in propositionem* 9. *damnatam ab Alexandro VII. num.* 7. *. Videatur supradicta Benedicti XIV. constitutio. *

Secundo, favente etiam Passerino *q.* 187. *ar.* 4. *n.* 1015.* et aliis apud la Croix *p.* 2. *lib.* 6. *n.* 133.* puto posse retineri excessum eleemosynae, collato solito stipendio celebranti, si pinguius stipendium detur intuitu personae, non vero celebrationis. Exemplum sit in eo, qui daret benefactori, confessario, amico etc. nummum aureum, ut pro eo unica missa celebretur; tunc constat illum excessum dari ad gratificandum confessario, amico etc. adeoque non esse contra ejus intentionem, si illum pro se retineat. Viva *n.* 8. Dum vero sacra Congregatio declarat *in respons. ad* 10. dandum esse totum stipendium celebranti, id intelligendum est, dum totum intuitu missae tribuatur.

Tertio beneficiarius, qui potest per alium celebrare, potest illi dare consuetum stipendium, quamvis ipsi pinguius competat ex fructibus beneficii, nisi aliter in fundatione cautum sit. Ita declarat s. Congregatio *in respons. ad* 8. Quidam putant in fundatione beneficii semper praesumendum cautum fuisse, ut a beneficiato detur celebranti totum stipendium correspondens celebrationi, taxandum juxta quantitatem fructuum aliaque onera beneficiati; cum ea pars intuitu missae relicta sit. Genet. *de sacrif. miss. disp.* 11. *art.* 4. 112. Verum neutiquam puto hujusmodi credendam intentionem fundatoris beneficii; nam dum beneficiatus celebrare potest per alium, putandum est consensisse id praestare posse juxta consuetam praxim, quae est ut celebranti detur solummodo ordinarium stipendium. Quod dictum est

de beneficiato extenditur ad cappellanum, vel etiam ad celebrantem ex pingui legato sibi ad vitam relicto cum onere missarum; nam decreta videntur tantum loqui de eleemosynis manualibus. Passer. *q.* 187. *n.* 1004. Anton. a Sp. S. *tr.* 7. *d.* 6. *n.* 263. aliique. * Hoc quoque de cappellano confirmatum fuit a S. C. C. 15. Mar. 1745. licere: modo pro cappellania certi redditus annuatim constituti sint et perpetuo cappellano assignati, secus vero si hujusmodi cappellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna. *

Nullatenus autem hanc doctrinam extendendam puto ad executores testamentarios, vel ad alios quibus committitur, ut faciant missas celebrare. Si isti curent alibi celebrari minore stipendio, non possunt quod superest sibi retinere, tanquam id esset fructus suae industriae; tum quia facere materiam negociationis eleemosynas pro missis collatas, sapit turpem quaestum; tum quia intentio dantis eleemosynam est, quod tota detur celebranti, ut ita faciat opus Deo magis gratum. Passer. *q.* 187. *n.* 1025. aliique apud ipsum, Viva *num.* 10. Unde in praesenti non currit paritas de vendente alibi merces sibi traditas, quo casu excessus pretii, cum correspondeat solummodo industriae vendentis, non poterat a domino ad alium effectum destinari. Verum tota eleemosyna destinata est ab illius domino ad faciendum opus Deo gratum, unde non possunt praedicti sibi, vel suae industriae applicare. Accedit hic intervenire turpem quaestum, ut dictum est, adeoque illicite fieret.

Q. IX. An missae omitti possint titulo compensationis, an differri et quantum; an anticipate celebrari.

R. I. Dicendum est titulo compensationis, quando e. g. dans eleemosynam erat debitor sacerdotis, non posse missas omitti. Ratio est, quia si erant celebrandae pro defunctis, vel pro aliqua gratia pro aliis impetranda, tunc ex missae omissione alii, sine sua culpa paterentur grave detrimentum, quod aequum non est. Vel missae erant applicandae pro ipso offerente, et tunc iste privaretur bono spirituali, unde compensatio non esset aequalis. Accedit quod recipiendo stipendium saltem se obligat ex fidelitate ad missas celebrandas; non servare autem fidelitatem, dum intervenit gravis indecentia, qualis esset compensatione tractare missas, ac si essent permutabiles cum re temporali, non potest esse sine gravi culpa. His rationibus puto neque licite omitti missas titulo compensationis, in casu ex. gr. quo aliquis fecisset pro se celebrare centum missas, quarum eleemosyna non persoluta, daret tamen eleemosynam pro aliis centum celebran-

dis; unde credo debere sacerdotem accipientem eleemosynam pro aliis centum celebrandis, eas de facto celebrare. Passer. *q.* 187. *num.* 916. Donat. *tr.* 7. *q.* 58. *num.* 3. Dian. *t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 32.

R. II. Certum est non posse differri missas celebrandas pro urgenti necessitate; nam intentio offerentis est quod celebrentur statim; et si hoc non fiat, fortasse postea non poterit impetrare effectum desideratum v. g. sanitatem infirmi. Passer. *q.* 187. *n.* 1158. Hinc quamvis possit sustineri sacerdotem obligatum ad celebrandas decem missas pro decem personis, posse decem missas ipsis personis unitis applicare; tum quia singulis dat, quod debet, cum unicuique singulis diebus correspondeat decima pars sacrificii; tum quia dilatio decem dierum ad integre dandum fructum sacrificii, non est culpabilis ex statim dicendis: nihilominus si aliquis ipsorum missam petat pro urgenti necessitate, statim est celebranda. * Passer. *l. c.* Lug. *disp.* 20. *num.* 45. Contin. Tourn. *l. c. q.* 9. *v. Quae autem*, Reiff. *l. c. addit.* 2. *post n.* 176. * Secundo certum est, quod si dans eleemosynam consentiat in quacumque dilatione, potest tuto missa differri; cum volenti non fiat injuria, ut etiam declarat s. Congregatio *in respons. ad* 12. Tertio certum est, excepto casu superiori, oneribus susceptis missarum debere posse satisfieri infra modicum tempus; nam ita intelligitur esse intentio dantis eleemosynam, et declarat s. Congregatio *in respons. ad* 11. Difficultas est, quando dilatio intelligatur esse modici temporis, nam alii extendunt ad tres menses, ut videre est apud card. de Lugo *de euch. d.* 21. *sect.* 2. Donatum *t.* 4. *tr.* 7. *q.* 69. *n.* 3. alii limitant tempus solum usque ad mensem, alii relinquunt arbitrio prudentis, attento numero missarum et necessitate petentium. Menoch. *de arbitr. judic. l.* 2. *cent.* 1. *cas.* 8. *n.* 10. Ego ordinarie loquendo, non censerem posse differri celebrationem missarum ultra mensem cum dimidio, cum longior dilatio videatur contra mentem dantis eleemosynam. E contra vero cum sciat ut plurimum sacristas habere alia onera missarum, praecisa necessitate, non debet exposcere magis celerem satisfactionem. * Spatium duorum mensium, quod ceteroquin admittunt Lug. *l. c.* Contin. Tourn. *l. c.* non esse modicum tradit Benedictus XIV. *instit. eccles.* 56. *n.* 14. ex decreto S. C. 17. Julii 1655. *lib.* 19. *decret. p.* 497. *Cum in declaratione undecimi admittatur receptio onerum missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfieri, quaeritur an dictum modicum tempus reputetur tempus duorum vel trium mensium:*

s. Congregatio respondit: *modicum tempus intelligi infra mensem*. * Optarem etiam missas pro defunctis celerius celebrari; unius enim mensis spatium nimis longum esse putant Salmant. *cap.* 5. *n.* 57. Palaus *p.* 13. *n.* 21. cum Contin. Tourn. et la Croix *ll. cc.* *

Non desunt qui putent sacerdotem incertum de solutione stipendii posse missas differre, usquedum detur stipendium, vel de eo sit certus. Verum si missae affixae sint tempori determinato, puto id non posse fieri; tum propter praejudicium, quod faceret e. g. defunctis, pro quibus tali tempore esset celebrandum; tum quia, si celebret postea, forte jam transivit illa necessitas, pro qua tali tempore erat celebrandum, et ita postea celebrando non posset accipere stipendium. Si ergo non vult tempore determinato celebrare, moneat offerentem eleemosynam, ut alia via missarum celebrationem procuret. Passer. *n.* 187. *n.* 1245. * Ita sentit etiam p. Henno *t.* 2. *theol. tr.* 2. *disp.* 6. apud Reiff. *add.* 2. *post n.* 99. licet probabilis ibi reputetur sententia contraria.*

R. III. Paulus V. speciali decreto sub die 15. Novembris 1605. prohibuit celebrari missam pro primo in futurum offerente stipendium. Ratio autem potuit esse non solum, quia hoc fovebat lucri cupiditatem, sed etiam quia fieret contra intentionem dantis stipendium, qui intendit sibi missam in posterum celebrari, nec vult subjacere diversis theologorum placitis; cum non desint qui dicant missam antea celebratam non prodesse, si applicetur pro illo, qui primo dabit eleemosynam. Barbos. *de potest. ep. alleg.* 24 *n.* 13. Laym. *de sacrific. miss. cap.* 2. *n.* 19. Anton. a Spir. S. *disp.* 6. *n.* 294. Si vero sacerdos sciat alicui jam datas esse eleemosynas pro missis celebrandis, et putet aliquas etiam sibi daturum, tunc poterit eas missas celebrare, antequam det; nam cum missae jam sint applicatae ex intentione illius, qui dedit eleemosynam, applicatio missae non remanet suspensa. Anton. a Sp. S. *n.* 295.* tantumque incurreret sacerdos periculum amittendi stipendii, ait Continuat. Tourn. *l. c. q.* 8.*

Q. X. Quomodo peccet, qui non celebravit missam, ad quam se ex stipendio obligavit; an teneatur restituere; et quid dicendum, si omisit missas quas liberaliter promisit.

R. I. Omnes conveniunt, quod omittens plures missas, quarum ratione accepit stipendium, peccet graviter, et teneatur ad restitutionem; nam dans stipendium, solummodo intendit illud a sacerdote fieri suum, si missas celebret. Difficultas est, an peccet graviter unam tantum missam

omittendo, si stipendium acceperit. Et quamvis multi asserant non peccare mortaliter, quia ipsis videtur materia levis, * ut videtur Pal. *p.* 24. *n.* 2. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 5. *n.* 25. Elbel *n.* 217. *, nihilominus mihi arridet opinio contraria. Ratio mihi est, quia obligatio unius missae celebrandae non est solum mensuranda in ordine ad stipendium, quo pacto levis dici posset; sed in ordine etiam ad fructum sacrificii, quo non celebrando privat offerentem eleemosynam; sicut et in ordine ad injuriam, quae fit virtuti religionis, dum super re gravi ad ipsam spectante est infidelis. Passer. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1268. * Contin. Tourn. *tract. de euch. p.* 2. *c.* 9. *sect.* 4. *c.* 4. *v. Saltem* *. Illud saltem apud me certum est, graviter peccare sacerdotem non celebrantem unam missam quam gravi urgente necessitate exposcit dans eleemosynam; nam tunc est rationabiliter graviter invitus, si omittatur.

R. II. Si postea adhuc sit locus celebrandi missas omissas, puta quia celebrandae erant pro defunctis, pro voto, in honorem alicujus sancti, tunc potest et debet eas celebrare, et consequenter poterit retinere eleemosynam. Secus si non amplius locus sit eas celebrandi, quia ex. gr. celebrandae erant pro instanti necessitate; et tunc quamvis celebret, adhuc stipendium restituendum est illi qui dedit; cum ipsius intentio alia esse non potuerit, nisi ut sibi restituatur, casu quo missae expostulatae non fuerint celebratae, vel dilatae fuerint ultra tempus, quo non amplius celebrari poterant pro ea necessitate, cujus ratione eas expostulavit. Bonaccin. *de sacrif. miss. d.* 4. *q. ult. p.* 8. *n.* 5. * Spor. *theol. sacram. p.* 2. *cap.* 5. *n.* 353. *. Ubi etiam advertas, quod ille etiam qui bona fide retinuit stipendium, in casibus quibus non fecit suum, tenetur illud restituere, quando cognoscit non ita celebrasse, ut potuerit stipendium facere suum: sicut tenetur ad restitutionem, qui possidet bona fide rem alienam, quando cognoscit non esse suam. Passer. *q.* 187. *n.* 1275. Pasqual. *de sacrif. q.* 869.

R. III. Qui gratis promisit unam, vel plures missas non peccat mortaliter, si eas omittat. Ratio apud me efficacissima est, quamvis non pauci contradicant, maxime quoad promissionem liberalem plurium missarum, quia qui liberaliter aliquid promittit, nunquam censetur se velle sub gravi obligare; quis etenim est, qui velit assumere obligationem peccati mortalis, quoad faciendum id, quod alias facere non tenetur? Alii id probant, quia obligatio ex virtute fidelitatis non cadit sub mortali. Ant. a Sp. S. *tr.* 7.

disp. 6. *n*. 260. Dian. *t*. 2. *tr*. 1. *res*. 33. Haec nihilominus ratio apud me non est efficax. quia obligatio fidelitatis in rebus non levibus ad religionem pertinentibus, bene potest esse gravis ob injuriam, quae fit ipsi religioni.

Limitanda est haec doctrina in casu, quo quis alteri se gratis obligaret ad celebrandam missam, ad quam teneretur ex voto, vel altera gravi obligatione; nam cum tunc sacerdos in se suscipiat alterius gravem obligationem, non posset talem missam sine gravi culpa omittere. * Videantur Salmant. *cit. cap*. 5. *n*. 39. Passer. Pasqualig. et alii. *

Regulae in praxi observandae

I. Curent propriae conscientiae consulere illi sacerdotes, qui diebus festis, vel aliis in quibus in ecclesiis plures missae sunt celebrandae, nolunt celebrare, nisi prius de stipendio multo majori obtinendo pacti fuerint. Hanc agendi rationem omnes theologi criminantur, et simoniacam aliqui dicunt. Si se excusare velint ratione consuetudinis, futilem adhibent defensionem, nam haec consuetudo, si quae sit in nostra dioecesi, oritur, quia ipsi videntes ecclesiarum necessitatem renuunt celebrare consueto et justo stipendio, adeoque quod de plus dant sacristae, dant veluti coacte. Sed quamvis adesset ista consuetudo, possunt ne excusari a gravi culpa illi sacerdotes, qui pro celebrando die festo inquirunt, ubi majus stipendium consequi possunt, et illic tunc celebrant, dimittendo illas ecclesias in quibus promiserant celebrare; quia alibi aliquos obulos de plus offerentem adinvenerunt? Forte hoc non est uti sacrosancto missae sacrificio ad turpem quaestum et sordidissimam negociationem?

II. Caveant omnino, qui habuerunt eleemosynas pro missis celebrandis, partem eleemosynae sibi retinere, putantes pontificias constitutiones id prohibentes non obligare sub gravi. Hanc unius, aut alterius opinionem omnino respuendam credo; nam quamvis etiam jure naturali integra eleemosyna celebranti non esset tribuenda, uti dandam credo ex intentione dantis eleemosynam, adhuc lex pontificia obligat sub gravi; quia facta est ad removendum ab ecclesia omne damnabile lucrum, et sordidam negociationem; et ratione talis finis non potuit nisi sub gravi obligare.

* Nostris temporibus prae oculis maxime habenda supralaudata Benedicti XIV. constitutio *Quanta cura*. Ex ea enim multa veniunt resolvenda aliter, ac olim a theologis admittebantur. Non sufficit igitur quod sacerdos, vel alius missae celebrationem mandans indicet tantummodo alteri ce-

lebraturo, se majus accepisse stipendium; et roget ut partem remittens, consueto contentus sit, nec ab eo quaerat, an consentiat, ut partem retineat; haec duo a Benedicto reprobantur, et tanquam execrabiles abusus asseruntur: *a quolibet sacerdote*, en verba constitutionis §. 3. *stipendio majoris praetii pro celebratione missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti, et consentienti se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset*. Debet ergo constare sacerdoti celebranti majus stipendium, et illud sponte et liberaliter cedere ad hoc ut possit ab altero retineri, sed cavendum omnino, ne condonatio sit tantum oretenus voluntaria, in rei autem veritate coacta, utpote facta ob metum, ne deinceps stipendium pro missis adinveniat. *

III. Valde sibi caveant ii, qui habuerunt eleemosynas pro missis celebrandis, dum aliis celebrare faciunt dando alias res loco pecuniae. Hoc fieri posse, dum vere pretium rei aequivaleat pecuniae, docet Pasqualigus *de sacrif. q.* 918. *n.* 4. Sed et in hoc aliquam injustitiam intervenire posse credo, dum illae res non voluntarie acceptarentur, sed ex solo timore quod missae illis non darentur celebrandae. Ratio mihi est, quia sacerdos vere jus habet ad stipendium collatum pro missa, quam celebrat, unde si non voluntarie cedat tali juri, injuste illi non datur pecunia. Hoc dignosci potest, si pro missa celebranda sumeret res sibi non necessarias, vel quas emere noluisset. Hinc si vendendo quod illi traditum est, cogatur vendere minori pretio, quam fuisset stipendium missarum, puto omnino compensandum esse damnum quod patitur; quia illud patitur, eo quod quodammodo coactus sit res sumere loco stipendii. Ad eum modum quo, si famulo vel artifici, loco pecuniae debitae, ipsis non plene consentientibus, tribuantur merces, in quarum venditione non obtineat pecuniam, quae erat illis debita, ipsorum damnum est compensandum. Si e contra, qui celebrat missas, sumit res sibi necessarias, vel quas alias erat empturus, vel dum illi offeruntur, plene voluntarie acceptat; ut sunt ex. gr. libri, utensilia pro sacristia etc. in hoc casu puto veram sententiam Pasqualigi, dum semper justum pretium servetur. * Et hic etiam figendi oculi in supracit. constitutione, et valde caute procedendum in dandis aliis rebus loco pecuniae pro missarum eleemosynis, nam ultraquamquod hoc a multis tamquam abusus reprobatur, utpote maxime contrarium fini illi, quem habent eleemosynae hujusmodi, nimis facile fieri potest, ut justae

aestimationis limites transgrediantur, et injustitia aliqua admittatur, et tunc quis non videt locum habituras poenas ab eodem summo Pontifice inflictas, dum verificatur imminutio aut retentio alicujus portionis stipendii? Hoc ipsum monendum censuit pro sua dioecesi Lucensi in suo pastorali edicto die 23. Septembris 1741. Fabius de Colloredo tunc temporis archiepiscopus. *

IV. Sacristae aliique qui habent eleemosynas pro missis celebrandis, non facile sibi blandiantur omnino voluntarie remitti partem eleemosynae a sacerdotibus celebrantibus. Donatio ordinarie non praesumitur: et maxime dum dignoscitur ex circumstantia personae non donaturae, qualis e. g. esset sacerdos pauper, sacerdos non liberalis, et quicumque sacerdos non habens motivum donandi; si etenim hi omnes aliquas eleemosynas, vel partem illius relaxent, praesumi debet relaxare ex timore, ne in posterum ipsis tribuantur eleemosynae pro missis celebrandis. Secus si adsit prudens fundamentum credendi liberam condonationem, ut si sacerdos dives celebret aliquas missas pro sacristia, in qua ipse celebrat; si sacerdos relaxet suo benefactori, vel consanguineo; si sacerdos importunis precibus non coactus relaxet eleemosynam pro paupere subveniendo, vel alio opere pio praestando. Ex circumstantia ergo personae, et motivis talis relaxationis dignosci poterit, an relaxatio sit plene voluntaria, necne.

V. Curet sacerdos, ne nova missarum onera recipiat, dum intra debitum tempus non potest illis satisfacere; nam alias fraudat in re gravi intentionem offerentium eleemosynas, in hoc facile peccare possunt administratores ecclesiarum magnae devotionis, maxime si rure sint; nam ibi nonnisi post longum tempus celebrari non possunt missae, ratione multiplicitatis eleemosynarum: unde meminisse debent s. Congr. *in resp. ad* 15. declarasse non posse novas eleemosynas recipere, etsi minueretur cultus ecclesiae, et devotio ac concursus fidelium, nisi dantes eleemosynam consentiant diu differri missarum celebrationem.

VI. Facile peccare possunt haeredes, vel executores testamentarii, si alibi minori stipendio curent celebrari missas a testatore praescriptas; nam praesumi debet ipsius mentem non solum fuisse, ut pro se tot missae celebrentur, sed etiam ut detur eleemosyna juxta consuetudinem; atque ita ex hoc quod magis ecclesiae ministris tribuatur, fiat opus Deo magis acceptum. Id solum licite fieret, dum haereditas non pateretur missas celebrari consueto stipendio; nam tunc testatori magis utile est, ut alibi minori stipendio mis-

sae praescriptae celebrentur. Multo magis praefati peccabunt si eo quod curent alibi missas celebrari minori stipendio, sibi retinerent quod superest.

CAPUT VIII.

De obligationibus capellani.

Q. I. An capellanus teneatur per seipsum celebrare.

R. Ut constat ex dictis *t.* 5. *c.* 2. *q.* 9. *resp.* 4. nisi clare constet fundatorem capellaniae voluisse capellanum tantum per seipsum celebrare, bene potest id facere per alium. Ut ergo teneatur per seipsum celebrare, oportet in fundatione expressum fuisse, vel formaliter, vel aequivalenter, ut tantum per seipsum celebret: alias non praesumitur non voluisse etiam celebrare per alium. Passer. *q.* 187. *n.* 1108. Hinc capellanum, cui expresse non imposita fuit obligatio tantum per seipsum celebrandi, non posse ad id compelli declaravit s. Congregatio apud Riccium in praxi *t.* 4. *resol.* 102. et docet Barbosa *de pot. episc. p.* 2. *alleg.* 24. *n.* 29. Nec satis haberi voluisse fundatorem capellanum per seipsum celebrare, eo quod voluerit praesentandum, et instituendum capellanum, qui et missas celebret, docent Squill. *de priv. cleric. c.* 4. *n.* 27. Peregr. *de capell. l.* 2. *c.* 5. *n.* 8. cum illa verba censeantur apposita potius ad significandum onus, quam qualitatem.

Q. II. An semper censendum sit capellanum teneri ad applicationem sacrificii.

R. Quoties certum non est testatorem voluisse solam celebrationem, non vero applicationem sacrificii, utramque voluisse censendum est; nam, ut communiter docent DD. validum sumitur argumentum ab iis quae ordinarie fieri solent, et communiter dantes stipendium, vel assignantes redditus pro missis celebrandis, non solum volunt celebrationem, sed etiam applicationem sacrificii. Hinc merito etiam dum dubitari potest, an testator voluerit celebrationem tantum, vel etiam applicationem, communiter dicitur utramque esse ponendam. Solum exciperem, si fundator capellaniae tales reliquisset redditus, ut longe minores essent iis, qui correspondere debent oneri etiam missas applicandi; nam tunc juste praesumeretur solam celebrationem in aliquo loco, non vero applicationem voluisse. Amostaz *de caus. piis l.* 2. *c.* 3. *n.* 51. * Videantur dicta superius *c. praec. q.* 3. Barbos *de off. par. c.* 11. *n.* 13. Pignat. *t.* 1. *cons.* 139.*

Q. III. An capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, possit aliquando cessare a celebrando; et si cesset, an teneatur per alium supplere.

R. I. Capellanus obligatus quotidie per se ipsum celebrare, potest unam missam omittere in hebdommada ad vitandum peccatum, vel ratione gravis evagationis mentis, seu indevotionis; nam censetur fundatorem illum juxta jus commune obligasse, quod propter praedictas causas concedit solum in hebdomada omittere missam: *c. Sign.* 2. *de praeb. in* 6. ibique Glos. et quia quotidiana obligatio celebrandi ita ex jure est regulanda, ideo bene dici potest capellanum non teneri ad supplendas missas omissas. Pasqual. *de sacr. q.* 1119. Nullatenus autem adhaerendum puto illis theologis, qui dicunt posse capellanum praefatum cessare a celebrando semel in hebdomada, v. g. ex causa itineris, recreationis etc.* Leand. *tr.* 7. *disp.* 5. *q.* 17. citans pro hac sententia Hurtadum, Dian. et Pal. *tr.* 22. *p.* 13. *n.* 1. Bonac. *disp.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 2. *n.* 17.*; nam in jure haec non considerantur tanquam legitima impedimenta, ut cesset a celebratione: * *d. cap. Significatum*, ubi Alexander III. vetat abstinere, sive causa voluptatis, sive ad aliam ecclesiam se transferendo *; et fundator potuit juste velle ex his motivis non remittere saltem tam frequenter obligationem capellano impositam quotidie celebrandi. Passer. *l. c. n.* 1139. *et* 1140. Fagn. *in cap. Significatum de praeb. n.* 8. Lezan. *v. Missa n.* 42.* Neque pro illa sententia afferri potest consuetudo, cui nituntur Palaus, Diana et Bonaccina; nisi enim de hac legitime constet, admitti non debet, ut asserit Rot. Rom. cor. Ludovis. *dec.* 274. et cor Seraph. *dec.* 1341, *. Bene tamen praesumi potest fundatorem non renuisse, ut semel et iterum ratione honestae recreationis, vel urgentis negotii etc. possit a celebratione cessare. Amostaz *n.* 10. Caeterum si in fundatione capellaniae expresse cautum sit, ut capellanus per se ipsum, vel per alium quotidie celebret, non potest a celebratione cessare; unde s. Congregatio sub die 30. Maji 1699. interrogata ab episcopo Collensi, an capellanus non obligatus celebrare per seipsum, possit aliquando vacare, respondit negative. Item nec unquam vacandum est, si celebratio missae imposita sit ratione loci, ut e. g. in tali ecclesia quotidie missa celebretur, unde tunc capellanus vel per se, vel per alium deberet semper hujusmodi missas celebrare. Bonacc. *de sacr. d.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 2. *n.* 16. Dian. *part.* 2. *tr.* 14. *resol.* 28. Item nunquam cessare possunt a celebratione monasteria etc. quae habent onus

missas quotidianas celebrandi; secus si hujusmodi obligatio pertineret ad particularem religiosum; nam tunc etiam pro eo militant quae supra dicta sunt. Lezan. *v. Missa n.* 41.

Semper tamen prae oculis habeat capellanus ea die, qua potest missam omittere, non posse stipendium sumere pro alia missa celebranda; nam si celebret, signum est non habere rationem vacandi, aut nolle vacare, unde tenetur applicare pro fundatore. Amostaz *de caus. piis l.* 3. *c.* 6. *n.* 16. aliique apud ipsum. Idem decrevit s. Congregatio paulo ante citata in resp. ad tertium dubium, a dicto episcopo illi propositum. * Hoc etiam tradit Benedictus XIV. *de sacrif. miss. l.* 3. *c.* 22. *n.* 4. *. Solum id licite faceret in die natalis Domini; nam cum non teneatur nisi unicam missam pro fundatore capellaniae applicare. Barbos. *de potest. episc alleg.* 24. *n.* 31. Passerin. *q.* 187. *n.* 1109. Pasqual. *de sacr. q.* 1133. poterit accipere stipendium pro aliis celebrandi: * et tenet idem Benedictus *l. c. c.* 9. §. 9. *

R. II. Capellanus obligatus quotidie celebrare, poterit quater, vel sexies in anno celebrare pro se, vel pro sibi conjuncto etc. Huic assertioni repugnat Passerinus *q.* 187. *n.* 1141. at videtur tutum fundamentum habere in praesumpta mente testatoris: neque etenim credi rationabiliter potest id negavisse, si de hoc fuisset interrogatus. Lezan. *v. Missa n.* 41. Tambur. *de sacr. miss. l.* 3. *c.* 3. §. 1. Id autem maxime credendum concessurum, si in reliquo anni cursu capellanus non omisisset celebrare, vel si urgens causa adesset, ut si capellanus celebrare vellet pro aliqua sua urgente necessitate, vel in morte patris, seu alterius sibi proxime conjuncti. Eo ipso autem, quod recte praesumatur fundatorem concessurum, non sunt supplendae missae, quae ex his causis omitterentur. * Advertunt tamen Pasq. *l. c.* Salm. *c.* 5. *n.* 38. Cont. Tour. *l. c. sect.* 1. *concl.* 4. *v. Crediderim*, non posse tunc eleemosynam accipere. *

R. III. Capellanus obligatus per se ipsum celebrare, si infirmetur, potest non supplere missas, quas spatio quindecim dierum cogitur omittere. Nec ostat etiam illis diebus recipere stipendium pro celebrando, qua ratione vult Passerinus *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1120. et alii, debere missas supplere; cum earum celebrationem principaliter intellexerit fundator, et secundario quod per seipsum celebraret. Non inquam obstat; quia bene praesumitur fundatorem pro tali tempore noluisse obligare, dum ratione infirmitatis impeditur a celebrando, si alias diligens fuerit in adimplenda sua

obligatione. Bonac. *de sacr. d. 4. q. ult. p. 7. n. 17.* Lezan. *v. Missa n. 40.* Ultra quindecim dies non extenderem hanc exemptionem, quia non potest prudenter praesumi majorem dilationem fundatorem concessisse: quamvis Hurtadus *de sacram. d. 4. de sacrif. miss. diff. 1.* et alii putent non esse compensandas missas pro uno mense ratione infirmitatis omissas. * Haec Auctoris nostri opinio non extendendi ultra quindecim dies exemptionem a celebrando ratione infirmitatis, et post dictum tempus supplendi per alium, traditur a Reiffenst. *l. c. n.* 88. a Contin. Tourn. *l. c. v. Et confirmari*, et ex repetitis declarationibus S. C. C. apud Piton. *de paroch. n.* 1595. ubi dictum fuit non teneri capellanum per alium supplere tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. Videatur etiam Passer. *de stat. hom. q.* 187. *a.* 9. *n.* 1120. *. Haec tamen dicta velim intelligenda, dum capellania sit pinguis, unde ipsius fructibus possit supplere missas, quas omittit, ultra quindecim dies ratione longae infirmitatis. Si vero capellania sit tenuis, et capellanus ita pauper, ut necesse habeat fructibus ipsius ad se sustentandum, tunc non mihi apparet rejicienda opinio, qua dicitur posse capellanum etiam perpetuo morbo laborantem, missas, quas omittit, neque per substitutum supplere. Ratio efficacissima est, quia in tali casu bene praesumitur fundatorem voluisse fructus capellaniae titulo eleemosynae concedi in necessariam sustentationem capellani. Amostaz *de caus. piis l.* 3. *c.* 6. *a n.* 31. * Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 7. Contin. Tourn. *l. c.* *

Q. IV. An qui non celebravit per seipsum, dum tenebatur, peccet, et ad aliquam restitutionem teneatur.

R. Certum est peccare graviter, quia non satisfacit gravi obligationi sibi impositae. Potest tamen excusari ex parvitate materiae, puta, si semel in mense celebret per alium. Scio Pasqualigum *de sacrif. q.* 1127. censere posse capellanum celebrare per alium per tres menses, ea ductus ratione, quod etiam canonicis et episcopis conceditur singulis annis vacantia trium mensium. At haec opinio non mihi videtur habere fundamentum; nam cap. *Significatum* 2. *de praeb.* * ibiq. glossa, et tradunt plurimi ap. Pass. *q.* 186. *n.* 1289. *, dicitur capellanos celebrare debere quam frequentius possunt, salva honestate et devotione sacrificii; unde a jure non conceditur capellanis posse vacare, nisi prout habetur in dicto capite.

R. II. Capellanus, qui ratione capellaniae non habet nisi solitum stipendium, non debet aliquid restituere, si celebret per alium: nam illud stipendium correspondet soli celebrationi,

vel per se, vel per alium adimpletae. Si vero habeat stipendium pinguins, tenetur restituere, quod arbitrio prudentis correspondet obligationi celebrandi per se. Pass. *q.* 186. *n.* 1290.

Q. V. An capellanus possit missas anticipate celebrare, vel differre; et an differendo teneatur ad restitutionem.

R. Quaesitum non procedit de capellano, qui tantum per se debet singulis diebus celebrare; nam tunc mens fundatoris est, ut singulis diebus missa celebretur. Si vero capellanus possit et per se, et per alium celebrare, vel solum teneatur ad aliquas missas v. g. ter, vel quater in singulis hebdomadibus, tunc distinguendum est. Si missa fuit affixa diei determinato, v. g. diei veneris in honorem passionis, vel sabbati, in honorem beatae Virginis; vel si affixa sit aliquibus diebus pro commoditate audientium, tunc non possunt anticipari, sed diebus determinatis sunt celebrandae; quia tunc constat ita esse mentem fundatoris. Lugo *de euch. d.* 21. *n.* 44. Passer. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1167. Anton. a Sp. S. *tr.* 7. *d.* 7. *n.* 280. Si vero nullatenus constet voluisse fundatorem potius una, quam altera die celebrari, sed solum quaesisse fructum sacrificii, melius fit, si anticipentur; nam ita citius fundator assequitur finem intentum, fructum nempe sacrificii. Passer. *n.* 1166. Barbos. *de potest. episc. alleg.* 24. *num.* 14. * Reiff. *l. c. n.* 91. Bonacc. *de euch. disp.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 2. *n.* 16. Contin. Tourn. *l. c. v. Hinc colliges*. * Hac ratione puto capellanum, qui potest per se et per alium celebrare quotidie, posse anticipare missas, quas debet in anni decursu celebrare, adhibendo socium.

R. II. Capellanus non potest differre missas diei alligatas, ut de se constat, quamvis dubitaret se non recepturum stipendium; nam eas differendo, non amplius adimpleri posset mens testatoris. Item differri non possunt missae ab eo, qui quotidie tenetur per se tantum celebrare, etsi timeat non accepturum stipendium; nam ex dilatione sequeretur non posse eas celebrare per se contra mentem testatoris. Passer. *q.* 187. *n.* 1145. Idem dicendum de eo, qui debet vel per se, vel per alium quotidie celebrare, vel aliquoties in hebdomada; nam ex dilatione semper violatur mens testatoris, quae sub gravi obligat, si non excuset parvitas materiae. Passer. *n.* 1167. Ant. a Sp. S. *tr.* 7. *d.* 7. *num.* 279. Dices cum Tamburino et aliis capellanum non teneri subire onus certum celebrandi pro incerto stipendio. Sed contra est, quia si capellanus, dum acceptavit capellaniam, sciebat non facile obtenturum ipsius fructus ab eo, qui debebat solvere, tunc imputare sibimet debet, si se exposuit tali periculo. Si vero

difficultas exigendi stipendium postea superveniat, et adhuc retinere velit capellaniam, censetur simul se submittere oneribus illius, adeoque non debet ex alterius culpa fundatorem defraudare. Defendat ergo sua jura, interponendo legitimam auctoritatem ad obtinendam solutionem.

Si vero fundator capellaniae aliquas voluit missas celebrari sine limitatione temporis; tunc possunt differri, ita tamen ut dilatio non reputetur contra mentem testatoris. Ita sequeretur, si valde differrentur, maxime dum missae celebrandae sunt pro defunctis, qua de re vide quae dixi capite superiori *quaest.* 9. Atque hic notandum mihi displicere opinionem Tamburini, qui dicit, quod si missa quotidiana reducatur e. g. ad missas sexaginta, potest expectari finis anni ad illis satisfaciendum. Mihi, inquam, displicet, quia ratio dictat jus fundatoris minus quoad fieri potest esse laedendum; unde in singulis mensibus distribuendae sunt quinque missae celebrandae; ista etenim distributio magis est juxta mentem testatoris, qui volebat vel singulis diebus, vel aliquoties intra hebdomadam esse celebrandum. Passer. *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1156.

R. III. Capellanus non celebrans tempore determinato; quando obligatio erat affixa diei, tenetur restituere quoties stipendium tale est, ut non solum celebrationi correspondeat, sed etiam obligationi hac, vel illa die celebrandi; nam censetur fundatorem pro utraque obligatione stipendium determinasse, si majus sit consueto, ut magis explicabo in sequenti quaesito. Hic autem duxi advertendum, quod si capellanus etiam ex justo impedimento, puta infirmitatis, omisit celebrare aliquas missas affixas diebus e. g. veneris et sabbati, ordinarie loquendo, tenetur missas supplere, alias debebit restituere totum stipendium. Ratio est, quia obligatio aliquid adimplendi intra certum tempus, adhuc illo transacto durat: *l. Celsus* 23. *ff. de recep. arb.* et in dubio non praesumitur tempus appositum causa limitandae obligationis, sed ne ultra differatur: *l. Si mandato* 59. §. 5. *ff. mandati*; unde, nisi clare constet fundatorem velle missas aliis diebus non esse adimplendas, a capellano supplendae sunt, alias et peccabit, et tenebitur ad restitutionem. Amost. *de caus. piis c.* 6. *n.* 37. * Hoc idem docet Reiff. *in* 3. *decr. tit.* 6. *de cler. aegr. n.* 7. *

Q. VI. An capellanus teneatur celebrare in ecclesia, vel altari determinato; quando possit id omittere; et an ad restitutionem teneatur ibi non celebrando.

R. Regulariter loquendo capellanus celebrando in alia ecclesia, vel altare, at non ubi determinavit fundator, peccat mortaliter, quia dum determinavit aliquam ecclesiam, vel

altare, semper praesumendum est ultra applicationem sacrificii, intendisse vel majus servitium ipsius ecclesiae, vel populi commoditatem, vel familiae splendorem, si ad illam spectet capella, seu altare, vel majorem cultum sancti, in cujus altari voluit esse celebrandum; quapropter cum in his violare intentionem testatoris sit quid grave, non potest esse sine culpa mortali, Lugo *disp.* 21. *n.* 37. Passer. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1172. Barb. *de pot. episc. alleg.* 24. *n.* 33. Neque excusari potest ille qui alibi celebraret, quia putaret rem gratiorem facere testatori, celebrando e. g. in altari privilegiato, dum altare ab ipso determinatum tale non esset; quia ex designatione altaris constat fundatorem id noluisse, bene vero splendorem familiae, cultum altaris, vel ecclesiae etc. Passer. *n.* 1171. Pasqual. *de sacrif. q.* 1142. Accedit capellanos ex fructibus capellae quandoque habere stipendium multo majus consueto, quod proinde non solum correspondet celebrationi, sed etiam praesentiae, qua tenentur celebrare in determinata ecclesia, seu altari; unde capellanus non satisfaciens utrique oneri, peccat etiam contra justitiam. Excusari posset, si dum ipse alibi celebraret pro fundatore, mitteret alium sacerdotem ad celebrandum, ubi debebat ipse celebrare; quia saltem per alium satisfacit etiam obligationi praesentiae, quamvis et in hoc peccare possit; si tantum per seipsum debebat celebrare, ut supra dictum est. In casu autem quo pingue stipendium corresponderet etiam obligationi praesentiae, non excusandus a gravi culpa, qui semel in mense alibi celebraret; nam quamvis hoc aliquibus videatur quid leve, potest nihilominus fieri grave, eo quod retineantur in cursu anni duodecim partes stipendii correspondentes officiaturae. Excusari tunc solum potest, qui ter, vel quater in anno alibi celebraret, quamvis haberet pingue stipendium etiam pro praesentia, non quia tunc de se non posset esse quid grave, sed ex praesumpta voluntate testatoris. Idem dici potest, si aliquando non sine gravi incommodo diu expectare deberet pro celebranda missa in altari designato. Passer. *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1173. Lug. *d.* 21. *n.* 40. vel etiam si aliquando ex justa causa abesse deberet. Lezan. *v. Missa n.* 45.

R. II. Si omnibus inspectis constet fundatorem solummodo intendisse fructum sacrificii, et ad abundantiam ecclesiam, vel altare designasse, tunc nullum esset peccatum in hoc, vel illo altari celebrare; nam locus nec auget, nec minuit fructum. Tambur. *de sacrif. l.* 3. *cap.* 2. §. 1. Gabr. a S. Vinc. *de euch. d.* 3. *q.* 7. Idem dicendum, si constet fundatorem, designando aliquod altare privilegiatum, id non

fecisse ratione illius particularis altaris, sed solum intendisse altare, qua privilegiatum; nam tunc licebit in quocumque privilegiato altari celebrare. Lugo *d.* 21. *n.* 39.

Secundo posset alibi celebrare, si adaequate cessaret causa, qua testator voluit in aliquo loco esse celebrandum, sicuti cessante fine adaequato legis, cessat lex. Hac ratione, cum quidam vir nobilis in suo oratorio rurali voluerit ex testamento celebrari missas tempore verno et autumni, ut ibi commodo esset suae familiae missam audire, censui posse anticipari has missas, dum tali tempore familia rure non degebat. Hac eadem ratione, dum fundatio capellae facta est intuitu personarum, translatis personis, transfertur celebratio missarum. Passer. *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1183. Ricc. *in prax. t.* 4. *res.* 96. *n.* 4. E contra non transfertur, translatis personis, v. gr. personis collegii, vel monasterii, si facta fuerit intuitu loci. Passer. *art.* 4. *n.* 1189. * ubi etiam tradit, quando fundatio dicenda sit facta intuitu personarum, quando intuitu loci*. Fagn. *in c. Extirpandae* §. *Qui vero de praeb. n.* 61.

Tertio potest alibi celebrare, si ex justa causa episcopus alio transferat obligationem celebrandi. Ubi observandum, quod quamvis soli summo Pontifici competat pias voluntates in alium usum convertere; nihilominus episcopus, tamquam sedis apostolicae delegatus, potest ex justa causa dispensare, ut missa alibi celebretur; sicut eadem interveniente causa potest commutare legata saltem in alios usus aequales pios. Non est autem necesse, ut impossibilitas celebrandi in loco destinato sit manifesta; nam tunc non requiritur dispensatio episcopi pro alibi celebrando; unde sat est, si fuerit dubia. Passer. *q.* 187. *art.* 4. *a n.* 1180. Barbos. *de potest. episc. alleg.* 29. *n.* 8. Ricc. *in prax. t.* 4. *resol.* 104. *n.* 2.

Quarto potest capellanus alibi celebrare, dum ecclesia, vel altare designatum sunt impedita, v. g. quia fuerunt polluta, diruta etc. Passer. *art.* 4. *n.* 1173 Lugo *disp.* 21. *n.* 41. Quod si omnino constaret fundatorem non intendisse applicationem missae, sed solum celebrationem localem in aliqua ecclesia, vel altari ob commoditatem populi, splendorem familiae, cultum alicujus sancti etc. tunc dum haec loca essent impedita, capellanus neque teneretur alibi celebrare; quia cessaret finis adaequatus testatoris. Lugo *disp.* 21. *num.* 41. Barbos. *alleg.* 24. *n.* 35. Dum autem non solum respexit ad locum, in quo est celebrandum, sed simul voluit applicationem sacrificii, tunc impedita celebratione in loco, alibi est celebrandum; nam adhuc adimpleri potest finis primario intentus a fundatore, qualis semper repu-

tanda est applicatio sacrificii. Lug. et Barb. *cit.* Semper item advertendum, ut dixi supra, nunquam praesumendam solam celebrationem localem absque applicatione sacrificii, si id non clare probetur.

R. III. Si capellanus non celebret in loco destinato a fundatore, qui unice voluerit celebrationem localem et non applicationem sacrificii, totum stipendium tenetur restituere; in nihilo etenim adimplet voluntatem testatoris. E contra nil tenetur restituere, dum applicet, si constet voluisse tantum applicationem sacrificii, et locum ad superabundantiam designasse: * ita Corrad. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 23. Fraxinell. *de oblig. sacerd. sect.* 4. *coroll.* 5. §. 3. Leur. *for. benef. t.* 1. *q.* 104.* Si fundator voluit applicationem sacrificii et simul celebrationem in tali loco, nihil tenetur restituere capellanus alibi celebrando, si ex capellania non habeat stipendium majus consueto. Passer. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1297. Ratio est, quia tunc censendum ratione stipendii voluisse tantum applicationem sacrificii; et solum ex fidelitate teneri capellanum in loco destinato celebrare, eo ipso quod acceptet capellaniam. Quod si stipendium, quod habet capellanus ratione capellaniae, sit pingue, cum tunc aliquam ejus portionem obligationi in tali loco celebrandi dicendum sit correspondere, consequens est, illi non satisfacientem teneri aliquid restituere. Et quidem si aeque principaliter intendisset fundator applicationem sacrificii et celebrationem in tali loco, tunc deberet dimidium stipendii restituere, maxime si stipendium sit duplex respectu stipendii ordinarii. Quia vero, ordinarie loquendo, praesumitur testatorem principaliter voluisse applicationem sacrificii, et de secundario celebrationem in loco determinato, crederem restitutionem debere esse minorem ea parte, quam sibi retineret capellanus pro applicatione sacrificii; sicut major esse deberet, quando testator principaliter voluisset celebrationem in loco, et de secundario applicationem sacrificii; etenim praesumitur testatorem majus stipendium relinquere pro ea obligatione, quam principaliter intendit. Passer. *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1295. Semper tamen crederem salvum remanere debere consuetum stipendium pro applicatione, ex dictis in decursu hujus responsionis.

Q. VII. An capellanus teneatur ad celebrandas missas designatas a testatore v. g. votivas, vel de requiem.

R. Huic quaesito jam satisfactum est capite praecedenti. Solum hic addo, quod si accipiens eleemosynam manualem, vel obtinens capellaniam teneatur celebrare in altari privilegiato, in quo privilegium aptatur solummodo missis de

requiem, tales missae omnino dicendae sunt; nam alias fraudaretur mens testatoris, vel dantis eleemosynam in re gravi. Jam vero alias innui indulgentiam altaris privilegiati habere suum effectum, dum celebranda est missa de festo duplici currente. * Omnino dicendas missas de requiem ad lucrandas indulgentias altaris privilegiati olim respondit sacra Congregatio die primo Junii an. 1601. apud Dian. *p. 4. tr. 4. resolut.* 233. Verum Alexander VII. in decreto *Creditae nobis* die 22. Jan. 1667. declaravit iis diebus, quibus non licent missae de requiem, easdem habere indulgentias missas de festo occurrente. Hoc idem valere pro diebus dominicis, et pro diebus infra octavas paschatis, pentecostes, corporis Christi, et aliis infra annum, quibus defunctorum missae prohibentur, statuit Innocentius XI. die 4. Maji an. 1688. quae omnia demum confirmavit Clemens XI. die 29. Septembr. an. 1714. et videnda apud Merat. in indice dec. sub *n.* 623. *et* 625. *tom.* 1. *p.* 2.*

Q. VIII. An capellanus reducere possit missas praescriptas a fundatore capellaniae.

Regulariter loquendo episcopis et summo Pontifici competit reducere onera missarum. Episcopi possunt reducere missas perpetuas ex testamento, vel alio modo relictas ante concilium Tridentinum, non autem impositas in limine fundationis; dummodo tantus sit numerus missarum, ut nequeat eis satisfieri, et eleemosyna ita tenuis, ut non facile reperire sit, qui velit eis satisfacere. Trident. *sess.* 21. *c.* 4. *de reform.* Barbos. *de potest. episc. alleg.* 29. *num.* 2. Passerin. *q.* 187. *art.* 4. *num.* 1053. *et* 1062. * Non posse extra dioecesanam synodum docent fusius Garz. *de benef. p.* 7. *cap.* 1. *n.* 134. Francisc. Lugo *de sacram. l.* 5. *c.* 12. *q.* 9. Pasqualig. *de sacrif. nov. leg. q.* 1166. Felin. *in cap. Cum dilecto de rescript.* Suar. *de leg. lib.* 3. *cap.* 31.*. Videtur autem Concilium velle id posse facere in synodo dioecesana, quamvis et extra illam ex justa causa posse facere quamplures doceant. Barbosa *cit. n.* 15. Pasqual. *de sacrif. q.* 1175. Laym. *de sacrif. miss. cap.* 3. Quod episcopis, concessum pariter est a Tridentino generalibus ordinum. Pontifici vero reservatur reducere missas perpetuas ante Tridentinum in limine fundationis capellae impositas, et omnia onera perpetua missarum relicta post Tridentinum. Ita clare decernit decretum s. Congregationis jussu Urbani VIII. sub die 25. Junii 1625. et legendi sunt Barb. et Pass. *cit.* Bonacin. *de sacr. d.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 2. *n.* 12. * In hoc eodem decreto Urbani VIII. declaratur bene posse epi-

scopum reducere missas, si hoc ei testator expresse in fundatione permittit; cum decreta reductionem missarum episcopis vetantia legem hanc fundationis non sustulerint.*

Nihilominus primo certum est capellanum non teneri ad celebrandas missas, si absque ipsius culpa in totum perierit fundus, ex cujus fructibus ipse capellanus sustentabatur; nam fundationi oneris missarum intime inest haec conditio, ut tamdiu duret obligatio, quamdiu durat ipsius fundamentum, quod est sustentatio ministri celebrantis. Si vero fructus periere culpa seu rectoris, seu capellani, sibi imputare debent, si teneantur sine stipendio celebrare. Pasq. *de sacrif. q.* 1074. *n.* 1. 2. Passer. *q.* 187. *a.* 4. *n.* 1037. Tamb. *l.* 3. *c.* 1. §. 2. * Hoc etiam confirmari potest ex decreto s. Concilii congregationis emanato die 7. Jun. ann. 1686. et novissime 8. Aug. 1705. apud Pitton. *constit. paroch. n.* 1697. In iis enim declaratur non teneri capellanos et beneficiatos celebrare eo tempore, quo fundi capellaniae vel beneficii otiosi et infructiferi remanent sine eorum culpa *. Ubi obiter advertas culpam antecessoris nocere non debere successoribus, vel ecclesiae; unde non tenentur celebrare missas, si aliorum culpa fructus pro eis relicti periere. Passer. *n.* 1043. Secundo non pauci concedunt posse capellanum reducere onera missarum, si indubitata sit causa reductionis; quia ex. gr. ex diminutione fructuum non remaneat consuetum stipendium. Ad decreta vero s. Congregationis, quibus dicitur pro reducendis missis, etiam quando legatum est tenue, recurrendum esse ad sedem apostolicam, respondent quod ubi non amplius adest consuetum stipendium, non intervenit proprie reductio, quam sedes apostolica sibi reservat; sed de jure cessare obligationem in totum, aut pro parte, ut perpendit Pasq. *q.* 1076. *n.* 4. Item hanc reductionem interpretative fieri ab ipso testatore; nam si ejus mens judicanda est rationabilis, dicendum est voluisse stipendium esse justum, nec voluisse capellanum gratis celebrare; alias reputandum esset iniquam fuisse ejus mentem: nam stipendium capellano debetur ex justitia, utpote correspondens salario debito pro sua sustentatione. Hinc dicunt, quod si mens testatoris recipit justam interpretationem a charitate: *l. Cum alimenta ff. de alim. legat.* Mant. *l.* 6. *de conject. ult. vol. tit.* 11. *n.* 5. multo magis eam recipere debet a justitia. Bord. *de legat. c.* 16. *a n.* 78. Amost. *de caus. piis l.* 2. *c.* 12. *a n.* 41. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 24. *q.* 6. Contrariam opinionem videre est apud Fagnan. *in cap. Ex parte n.* 29. *de constit.* et Passer. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1045.

rector, vel capellanus negligens fuerit in investienda pecunia, tunc ipse tenetur celebrare; neque etenim ipsius culpa debet nocere fundatori. Passer. *n.* 1243. * Videantur decreta s. Concilii congregationis supra emanata. *

Regulae in praxi observandae

I. Cum vacatio a celebrando una vice in singulis hebdomadibus fundamentum in jure habeat, ideo non facile putet confessarius in conscientia tutos illos sacerdotes, qui talem vacationem usurpant in casibus a jure non comprehensis. Ultra causam infirmitatis, addit jus *in cap. Significatum de praebend.* posse omitti sacrificium ob salvandam ipsius honestatem et debitam devotionem, quod intelligi debet, vel quia celebrando committeretur peccatum, vel quia est in celebrante aliqua specialis indevotio et evagatio mentis, vel quia ex continua celebratione reverentia erga sacrificium valde minueretur. Nil aliud certe credo ex jure haberi posse, nisi impropriis interpretationibus explicetur. Improbanda proinde omnino mihi videtur illorum capellanorum praxis, qui tanquam regulam sibi proponunt, posse etiam ad libitum vacare a celebratione semel in hebdomada quamvis eandem devotionem, seu indevotionem habeant, vel quotidie celebrent, vel aliquando intermittant. Passer. *quaest.* 187. *art.* 4. *num.* 1113. Fag. *in cap. Significatum num.* 8. Bon. *de sacr. dist.* 4. *quaest. ult. p.* 7. §. 2. *n.* 17. Lezan. *v. Missa n.* 42. Fortasse etiam ita se gerunt illi capellani, qui non habent obligationem tantum per se ipsos celebrandi, quibus certe non assistit voluntas praesumpta testatoris. Admoneat ergo illos confessarius de suo errore, tam testatoribus pernicioso, et antequam aliquam vacationem concedat capellanis, bene perspiciat, an capellanus teneatur per seipsum tantum celebrare, quod raro accidit; nam neque hoc colligitur sufficienter eo quod voluerit testator eligendum capellanum qui et missam celebret, ut dixi capite superiori *q.* 2. *in fin.* et jam dixeram *tr.* 5. *q.* 1. *c.* 2. *q.* 9. *resp.* 4. Dum ergo clare non constet missas praescriptas a fundatore esse a solo capellano celebrandas, cum possit eas etiam per alium celebrare, cessat ratio vacationis, ut dictum est.

II. Videat etiam confessarius, ne capellani nimis sibi indulgeant, dum missas tempore infirmitatis omissas non supplent. Quamvis, si tenues sint redditus capelleniae, indulgentior esse possit confessarius, et concedere capellano juxta benigniorem sententiam, ut non teneatur supplere missas etiam per mensem, et forte amplius omissas, maxime

dum capellanus est pauper, nihilominus dum redditus capellaniae essent pingues, nimis laxam putarem opinionem, qua concederetur non supplendas missas saltem ultra quindecim dies omissas. Et quidem cum in hac materia non sit melior regula ratiocinandi, quam recurrere ad rationabilem praesumptam mentem testatoris, rationabiliter praesumi non potest, ut dum pingues capellano redditus assignavit, longiorem, quam per quindecim dies, permissurus esset vacationem.

* Dictum est superius non contemnendam opinionem illam, quae concedit capellanis perpetuo morbo laborantibus exemptionem a celebrandis, vel per alium supplendis missis, quoties fructus valde tenues, et illi ita inopes sint, ut iisdem fructibus egeant ad vitae sustentationem. Verum ne hoc temere fieri contingat, etiam in hoc eventu suadeat confessarius hujusmodi capellanis, ut ad Pontificem vel saltem episcopum confugiant, quorum est pias testatorum voluntates interpretari, et etiam mutare. Ita suadent AA. cc. una cum Reiff. *in* 3. *decr. tit.* 6. *n.* 7. *et* 8. Videantur insuper decisiones Lucenses ann. 1756. pro mense Januarii *cas.* 4. *

III. Non facilis sit confessarius in admittenda ea opinione, qua conceditur capellano ex propria auctoritate reducere missas, quando fructus capellaniae ita diminuti sunt, ut saltem non pertingant ad consuetum stipendium. Non nego hujus opinionis probabilitatem; at quia generaliter eam admittendo, facile intervenire possent errores, et fraudes, vel ex ignorantia, vel ex desiderio majoris lucri, hinc bene sanciri potuit, ut pro quacumque missarum diminutione sedes apostolica consulatur. Saltem semper suadere debet capellano, ut statum capellaniae ordinario, vel docto et pio viro exhibeat, ne capellanus in suae ac animae testatoris praejudicium decipiatur.

* Admissa etiam sententia illa, quae concedit capellano missarum onera reducere, dum non remanet consuetum stipendium, advertendum cum Tambur. *meth. miss. lib.* 3, *c.* 1. §. 3. *n.* 96. quod si capellanus praeteritis annis pinguius solito stipendium acceperit, deberet eumdem missarum numerum celebrando compensare, ea ratione, quia si antea commodum sensit, stare deinde debet et incommodo. Verum in praxi ut conscientiarum quieti consulatur, vel fundus omnino perierit, vel fructus imminuti sint, omnino adeunda est sedes apostolica, cui reservata est omnis facultas missarum onera in perpetuum minuendi, ac moderandi, ut clare patet ex decretis s. Congregationis Urbani VIII. jussu editis, ac ab Innocentio XII. confirmatis in constitutione *Nuper a congreg. bullar. Rom. tom.* 9. *pag.* 464. Haec

quoad futurum tempus. Quod si praeterito tempore missas aliquas celebrare quis omiserit, confugiendum quoque est ad Romanum pontificem, qui vel immediate per scriptum vel ordinarie per organum congregationis fabricae s. Petri et nonnunquam congregationis Concilii, examinatis omissionum causis, opportune providet, prout in Domino magis expedire judicat. Haec locum habent, cum haeres fundatoris supplere non tenetur. *

* Quae hic, et superius *quaesit.* 3. *resp.* 2. dicta sunt de obligatione capellani, supplendi per alium missarum celebrationem, si infirmitas diu duret, intelligenda volunt Pasqualig. *de sacrif. nov. leg. quaest.* 1122. et cum eo Andreas Bianchini in opusculo recentissime typis edito *de reduct. missar. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 18. de sacerdote habente capellaniam non collativam, et mere laicalem, seu annuum stipendium cum onere missas celebrandi, vel cum testator injunxit quotidianam missarum celebrationem, praecipiens haeredibus suae voluntatis executionem; si enim habeat capellaniam collativam, quae ceu beneficium ecclesiasticum reputanda, probabiliter docent hujusmodi capellanum ab obligatione celebrandi absolutum, quocumque tempore duret infirmitas, nec teneri supplere; et hoc desumendum dicunt ex *cap. Significatum de praebend.* ubi Alexander III. capellanum electum ad quotidie celebrandum excepto infirmitatis tempore confirmat, inquiens: *nisi infirmitate corporis fuerit impeditus*, quae clausula *nisi* utpote exclusiva, ut traditur communiter a DD. Jason. *in l. Et si praetor n.* 11. *de offic. ejus* Seraphin. *de privileg. juram. privileg.* 57. *num.* 12. Surd. *consil.* 21. *num.* 6. Barbos. *de diction. usu frequent. dict.* 217. *num.* 3. *et* 4. cum infirmitatis casum excipiat, excludere videtur totum ejusdem infirmitatis tempus. Neque dicatur supradictum caput continere decisionem casus particularis, ac ideo ad caeteros non extendendum: nam responderi potest illud efficere jus commune, quia decisio casus particularis in corpore juris inserta facit legem universalem, et ideo capellaniae quae in fundatione non sunt expresse in specie diversae, regulandae sunt juxta d. cap. *Dispositionem.* Insuper hujusmodi capellania ad instar est distributionum quotidianarum, quae licet neque ex consensu aliorum choro non interessentibus dari nequeant, licite tamen et valide percipiuntur ab infirmo; quocumque tempore duret infirmitas, ut declaravit s. Congr. apud Garc. *de benif. p.* 3. *c.* 2. *n.* 363. Neque deest disparitatis ratio, quia capellania collativa utpote beneficium, datur capellano in titulum, qui dat jus percipiendi, et administrandi fructus

fundi ecclesiastici procedens ex benevola actione fundatoris cum aliquo onere e. g. celebrandi quotidie non per se primo imposito, sed ut secundario: capellania vero non collativa est tamquam stipendium servitii praestiti, quod juxta illud regulanda est, et de hac ultima loqui videntur plures s. Congregationis declarationes, quae pro contraria assertione afferri solent. Advertendum quidem cum eod. Pasqualig. *q.* 1123. et Bianchin. quod sacerdos infirmus habens capellaniam vel collativam, vel non, teneatur integrum missarum numerum a testatore praescriptum per alium supplere, quoties idem testator expresse, vel verisimiliter hoc praestandum capellano infirmo praescripserit. *

* Quid autem fieri oporteat casu quo vere imminutus sit capellaniae fundus sine capellani culpa, antequam ad missarum numerum minuendum deveniatur, videnda quae diximus supra *tr.* 14. *q.* 15. *c.* 6. *in reg. pract.* ubi ex Bened. XIV. vidimus, quando haeres supplere ex bonis haereditariis testatoris tenetur, vel non. *

* Quae dicta sunt de celebratione missarum incipienda a die investiturae in bona fructifera, intelligenda sunt, si pro donatione capellaniae relictae fuerint pecuniae vel alia bona mobilia, quae distrahi debeant, et in fundum fructiferum investiri, non vero si relictus fuerit fundus aliquis frugiferus; tunc enim obligatio missas celebrandi statim incipit cum ejus traditur possessio, et quamvis Pasq. *q.* 1050. contrarium sentiat, velitque capellani obligationem a die acceptationis legati vim omnem habere, cum a dicta die aditae haereditatis ei debeantur fructus juxta *l. Herennius. ff. de usur. et l. Quaesit. ff. de acquir. rer. dom.* nihilominus cum capellanus, antequam possideat fundum, habeat jus ad rem non in re, non tenetur de praesenti missas celebrare ex jure quod habet in futurum possidendi fundum, et suo tempore fructus percipiendi. Videatur Passe. *l. c. n.* 1242. *

* In hac nostra Lucensi dioecesi si beneficium, vel capellania vacaverit ante mediam noctem ultimae diei Junii, prima die Julii incipit obligatio beneficiati, seu capellani, ab eo enim tempore beneficii, seu capellaniae fructus novo beneficiato, seu capellano debentur; si vero vacaverit post mediam noctem ultimae diei Junii, omnes fructus toto mense Junii anni insequentis ad haeredes pertinent, et ipsi debent omnia onera toto eo tempore persolvere: synod. Fab. Collored. *p.* 3. *c.* 8. *n.* 12. *

FINIS

INDEX
TOMI SEPTIMI
TRACTATUUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM

TRACTATUS XV.
DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO
QUAESTIO I.
De falso testimonio et mendacio

Pubblicato questo giorno 16 Febbrajo 1835. ed è di facciate 352.